UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1647

urn:nbn:de:hbz:466:1-51168

Visual Library

Th. 2975.

I. 9
24.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

DE MONSTRIS ET MONSTROSIS,

QVAM MIRABILIS, BONVS, ET IVSTVS, IN MVNDO ADMINISTRANDO, SIT DEVS, MONSTRANTIBVS.

Authore

GEORGIO STENGELIO
Soc. IESV Theologo.



Venite et videte opera DOMINI, quæ posuit prodigia super terram. Psal. 45. 9. Wolf. Kilian sud.

Permissu Superiorum.
Et cum Priuilegio Sacræ Cæsareæ Maiestatis.
Ingolstadij, Apud GREGORIVM HÆNLIN.
Sumtu IOANNIS WAGNERI. Anno 1647.

Sodalis IESV Collegii Paderbornensis
1657.

DE MONSTRIS
ET MONSTROSIS,
QVAM MIRABILIS, BONVS, ET IVSTVS, IN MVNDO ADMI-
NISTRANDO, SIT DEVS,
MONSTRANTIBVS,

Auctore

GEORGIO STENGELIO
Soc. Iesv Theologo.

Venite et videte opera DOMINI qua posuit prodigia super terram. Psalm. 9.

Terrifilii Superiorum.

Herbipoli, Typis Georgii Fleischmanni.
Impensis Ioannis Wagneri. Anno 1647.

SERENISSIMO ET REVERENDISSIMO DOMINO DOMINO

MAXIMILIANO HENRICO,

VTRIVSQVE BAVARIÆ DVCI; SERENISSIMI ET REVERENDISSIMI FERDINANDI ARCHIEPISCOPI ET ELECTORIS COLONIENSIS V. B. DVCIS

COADIVTORI, &c.

PRINCIPI AC DOMINO SVO Clementißimo.

PRIVATIS duntaxat litteris officium gratulationis colui, cùm ante aliquot annos, in SERENITATE VESTRA eligenda, virtus & calculus conſpirarent. Nunc, publica voce & nomine, id ipſum præſto: ſilentium enim mihi imperare, non potui, in tanta loquendi opportuni-

tate. Cuius rei multæ mihi præterea ſuppetunt cauſſæ. Obedientia, obſeruantia, ſpes publica, ipſum libri argumentum, me impellunt. Nam & Superiorum meorum juſſu; & meo affectu; & Bauariæ, quam SERENITAS VESTRA denuo relinquit, gemitu; Coloniæque, quam repetit, applauſu; & Prodigiorum, quæ affero, monitu excitor, ad hunc meum, ſeu felicem, ſeu infelicem partum, vel in manus, vel ad pedes SERENITATIS VESTRÆ deponendum.

Superiores mei, laudatæ, apud Perſas, conſuetudinis non immemores, Principem ſuum hac tranſire inſalutatũ noluerunt. Et meritò Principem ſuum agnoſcunt, Fundatorũ ſuorum nepotem. Sufficit illis, SERENITATEM VESTRAM ex hac radice prodijſſe; quæ, vt citò benefacere inciperet, jam in ſtirpe ſua benefecit.

Animi autem mei affectus is eſt, vt non ſalutare tantùm, aç verba dare,

ſed

sed re quoque ipsa, atque munere aliquo, mentem existimationemque meam Mundo exponere cupiam; & munere sanè magno, si facultas voto responderet. Verùm quia honorarium maius esse non potest, quàm ærarium; itidem cum Persâ, pomum offero, non caballum; hoc est, donum exiguum Principi magno, & ad magna nato; vt ei non ab Authore ac donante, sed ab accipiente accedat magnitudo. Neq; paruum sanè munus quoque ipsum foret, si illud ex voluntate æstimaretur. Ex quo tempore SER.tem V.ram noui, præcipuum erga illam affectum assumsi; animaduerti enim, illi non solùm Palladem in capite, sed etiam in pectore Virtutem habitare. Indoles erat, quam amarent omnes; ingenium, quod omnes optarent; amor litterarum, quem omnes suspicerent; in adolescentia virilis maturitas; mirifica, in tantâ sanguinis eminentiâ, morum

ſuauitas; ſuperabat ætatem prudentia; denique, ante annos, ſtudia illius, illius merita prodiderunt: neq; alibi vſquam verius fuit, in ſummis omnia ſumma reperiri. Cuius affectum non traherent iſta? Quæ ſi omnia non fuiſſent, SER.tas V.ta ipſo ſuo affectu meum meruiſſet. Proſequar igitur quantum licet; &, quia pedibus non poſſum, ſaltem in libro hoc meo, abeuntem SERtem. V.ram comitabor.

Factum hoc meum probabit Bauaria, Colonia laudabit: illa quidem, quoniam, quem ægrè à ſe dimittit, libenter intelliget, bonis alitibus votiſque in via procedere; iſta autem, quia lætabitur, ſi audiet, acclamatum eſſe illi proficiſcenti, quem cum maximo applauſu eſt exceptura. Mauritaniæ rex *A*tlas, qui, ob peritiam ſiderum, à Poëtis fingitur, cælum humeris geſtaſſe, quamuis de corporis & animi robore *ferreus* diceretur, tamen

men tantæ molis immensitate pressus Herculem sibi fertur sociasse, in quem diu sustentatum pondus reclinaret; ne, si ipse succumberet, illud quoque baiulo destitutum prolaberetur. Hac eâdem mihi videntur prouidentiâ vsi, qui quanquam scirent, sibi Atlantem in FERDINANDO non deesse, tamen temporum nostrorum tempestatem intuentes, consideratáque rerum mortalium vicissitudine, sibi maturè de Hercule aliquo prospexerunt, in cuius humeros & lacertos Ecclesia Colonienſis recumberet. Itaque SER.tem V.ram inuenerunt, cuius cùm genus & Genium, laborem & industriam, virtutem & felicitatem etiam atque etiam considerarent, haud immeritò existimarunt, se Herculem reperisse, qui Atlanti posset succedere, & par esse tanto oneri sustinendo. Nèque fefellit eos opinio. Latere non potuit splendor; sed nunc *lucerna super candela-*

brum posita longè latiùs clariusque radios suæ lucis effundit. Vt enim Herculem labores & certamina fecerunt celebrem; ita & SER.tem V.ram passim occurrentia circumstantiaq; vndique & vndique pericula, & mille Hydræ imperterritam illustrauerunt. Quæ nisi laudes mereri, quàm audire, mallet, quid hîc non posset dici? quæ non solatia Parentis, gaudia Patrui, Patriæ decora, totius Germaniæ virtutem admirantis encomia commemorari? Grande compendium est, SER.tem V.ram *Sapientiâ* MAXIMILIANVM, *castitate atque integritate* HENRICVM appellari. Multum dixit, qui hæc duo dixit. Ob quæ SERENITATEM VESTRAM Bauaria ægrè dimittit, Rhenus cum gaudio accipit; ego cum vtrisque vel plango, vel plaudo; quia video in magnum gloriæ testimonium, vno eodemque itinere, alios oculos siccari, alios humectari.

Ad

Ad argumentum librimei quod attinet, cupit id ipsum ire ad VESTRAM SERENITATEM. Omnes historiæ testantur, *Monstra & monstrosa*, ad Magnos afferri consueuisse, qui non solùm raris ac mirabilibus rebus conspiciendis delectantur, verùm etiam plerumque ipsi vel virtutum sunt prodigia, vel vitiorum. SERENITAS VESTRA vt in meliorum esset parte, maluit prodigiosæ virtutis, quàm monstrosæ temeritatis habere admiratores; dum ita eam semper innocentia delectabat, vt vanæ omnes displicerent voluptates. Nimirum non *Sirenes* tantùm, aut *Centauri* sunt monstra; sed multò magis etiam *Vlysses inter Sirenes surdus*, *Hercules indeiectus inter Centauros*; vel hinc cælo recipiendus, quia inter tot aduersa sustinuit cælum. Hanc viam VESTRA quoque SERENITAS calcabit, cui hunc librum dedico, vt meminerit, olim

de se quoque libros scribendos; simulque opto & precor, vt faustis auibus proficiscatur. Ingolstadij. Anno Christi 1647. Cal. Iunij.

SERENITATIS VESTRÆ

infimus Seruus

GEORGIVS STENGELIVS
Soc. IESV.

PRÆFATIO.

Monstra dicere, & monstra narrare, seu Τερατολογεῖν, *vt Græci loquuntur, varijs de caussis homines solent. Quia enim curiosorum cibus est, noua atque mirabilia audire, quidam res prodigiosas memorant, vt earum narratione aures curiosorum pascant. Alij, vt res raras, monstra capitibus coronatis offerunt, quibus, eorum gratiam captant. Qualia monstra multa, ex vtraq; India, vel descripta, vel missa sunt ad Reges Hispaniarum. Alij, in his ipsis colligendis, industriam, potentiam, vel magnificentiam suam demonstrant; vt olim Romani Imperatores, in belluis, aliisúe bestiis theatro inducendis.* Ita Leonum simul plurium pugnam, Romæ princeps dedit Q. Scæuola P. filius in curuli ædilitate. Centum autem iubatorum primus omnium L. Sylla, qui postea dictator fuit, in prætura. Post eum Pompeius Magnus in circo

Plin. l. 8. Nat. hist. cap. 16.

DC. in ijs iubatorum CCCV. Cæsar dictator CCCC. *Probus Imp. mille; item mille Leopardorum; mille ceruorũ; mille aprorum; mille ibicum; mille struthionum. Atque, ne in paruis ostentandis vanitas deesset; Heliogabalus collegit mille mustelas; totidem sorices; decem millia murium; decem millia pondo aranearum, & muscarum; monstrosa vtiq; prodigalitate; & inutili vanitate. Alio fine Samson* cepit trecentas vulpes, caudasque earum iunxit ad caudas, & faces ligauit in medio: quas igne succendens, dimisit, vt huc illucque discurrerent. *Aliam ob causſam, Noë in arcam coegit* omne animal, secundùm genus suum; *nimirum, vt Vniuersi Conditor, eiusdem etiam Vniuersi Conseruator esset, &, in illis etiam animantibus, post diluuium, à mortalibus laudaretur.*

Lamprid. in eor. vita.

Iudic. 15. 4.

Gen. 7. 14.

Quamobrem, sicut Noe in arcam, ita omnis formæ animalia in Mundum collegit Deus; inter quæ & monstra subinde reperiuntur; quæ quia à consueto naturæ ordine,

ordine, ac præsertim à matrimoniorum fine videntur aberrare, vulgò non solùm putantur contaminare pulchritudinem creaturarum, sed etiam existimantur diuinæ bonitati atque æquitati minùs conuenire. Igitur isti laborẽ ex labore serunt, dum mala & pati coguntur, & malè patiuntur; atque idcirco in omni, vt prouerbio fertur, fabula Dædali execrationem admiscent. Sed humi serpunt isti, neque mentem ad diuina attollunt, vt cognoscant, quàm sapientes sint cælestis Architecti cogitationes, quàm iusta consilia; quæ norunt etiam his ipsis Mundo quisquilijs ornatum conciliare, hominiq; stimulum admouere, ad diuinam maiestatem cum timore & tremore venerandã.

Itaque non certatur de oleastro, non de nugis, aut corollis, quando de MONSTRIS *aut* MONSTROSIS *agitur; ipsa diuina iudicia in trutinam veniunt, ipsa Numinis laus & gloria diuulgatur & amplificatur, quando eiuscemodi opera ducuntur in quæstionem. Semper enim altissi-*

altissimæ prouidentiæ, iustitiæ, aut misericordiæ latentis vena deprehenditur. Hinc multis sacræ paginæ locis hæc meditatio præscribitur: Ausculta hæc, Iob: sta, & considera mirabilia Dei. *Et, ad Tobiam eiusq; familiam, valedicens Angelus ait:* Vos autem benedicite Deum, & narrate omnia mirabilia eius. *In celebri quoq; illa Dauidis musica istud carmen canebatur:* Confitemini Domino, & inuocate nomen eius: notas facite in populis adinuentiones eius. Cantate ei, & psallite ei: & narrate omnia mirabilia eius. *Iterumq;:* Cantate Domino omnis terra: annunciate ex die in diem salutare eius. Narrate in gentibus gloriam eius: in cunctis populis mirabilia eius. Quia magnus Dominus, & laudabilis nimis: & horribilis super omnes deos. *Apud Esdram quoq;:* Dedisti signa atque portenta in Pharaone, & in vniuersis seruis eius, & in omni populo terræ illius: cognouisti enim quia superbè egerant contra eos: & fecisti tibi nomen, sicut & in hac die. *Quin & Dauid ipse:* Mementote mirabilium eius, quæ fecit:

Iob. 37. 14.

Tob. 12. 20.

1. Paralip. 16. 8.

Ibid. v. 23.

2. Esdræ. 9. 10.

Psal. 104. 5.

cit: prodigia eius,& iudicia oris: *Denique, ne longum faciam, ipse rex Nabuchodonosor, ex hoc* MONSTRORVM *censu cætuq; liberatus, mentiq; restitutus, quasi de profundo somno euigilans dixit:* Ego Dan.4.31. Nabuchodonosor oculos meos ad cælum leuaui, & sensus meus redditus est mihi: & Altissimo benedixi, & viuentem in sempiternum laudaui, & glorificaui: quia potestas eius, potestas sempiterna, & regnum eius in generationem, & generationem. Et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati sunt: iuxta voluntatem enim suam facit tam in virtutibus cæli, quàm in habitatoribus terræ: & non est, qui resistat manui eius, & dicat ei: Quare fecisti? In ipso tempore sensus meus reuersus est ad me, & ad honorem regni mei decoremque perueni: & figura mea reuersa est ad me: & optimates mei requisierunt me, & in regno meo restitutus sum: & magnificentia amplior addita est mihi. Nunc igitur ego Nabuchodonosor laudo, & magnifico, & glorifico regem cæli: quia omnia opera eius vera, & viæ eius judicia, & gradientes in superbia potest humiliare.

Hunc

Hunc fructum è MONSTRIS & MONSTROSIS decerpere mens est; hinc Monstra Deûm refero.

Attonitum monstris vulgus, *si curiositatem his non satiat, sciat, me delectum, non numerum quæsijsse. Haud enim ignoro Conradi Lycosthenis copias; haud nescio ostenta Iulij Obsequentis; neq; mihi ignota sunt monstra Arnaldi Sorbini, quæ à temporibus Constantini huc vsq; ortum habuerunt; aut centuriæ quas Schenk in observationibus Medicis collegit; vel quæ Martinus VVeinreichius, de ortu monstrorum Lypsiæ. Anno 1595. edidit; neq; Alcoranus Turcius Schvveickheri Norinbergici, qui plenus est monstris. Habent isti plurima, quæ ego omisi; sed & ego pleraq; discutio, quæ neque illi attigerunt.*

DE

DE MONSTRIS ET MONSTROSIS, QVAM MIRABILIS, BONVS, ET IVSTVS, IN MVNDO ADMINISTRANDO, SIT DEVS, MONSTRANTIBVS.

CAPVT I.

Quid, & quàm varia sint Monstra? Et num ea etiam in omnibus Mundi partibus reperiantur?

§. I.

Cur de Monstris agendum?

MVNDVM & Mundi inquilinos non morum duntaxat, sed nonnulli ipsius etiam naturæ errores videntur contaminare. Quod num ita sit, & quo Numinis iudicio fiat, paullò est à nobis examinatiùs inquirendum. Inter hos autem errores, potissimè sunt *Monstra* & *Monstrosa*, quæ sine diuina voluntate non accidunt, atque ipsa raritate sua nos inuitant ad meditandum, rapiuntq;

ad ſapientiſſimi Gubernatoris Mundi æquiſſimã prouidentiam, cum maxima admiratione contemplandam. Quò digitum intendit regius Pſalles, cùm ait: *Venite, & videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram.* Et alio loco: *Confitemini Domino, & inuocate nomen eius: notas facite in populis adinuentiones eius. Cantate ei, & Pſallite ei: & narrate omnia mirabilia eius.* Non erit hæc Agathonia cantio, quæ ſola argumenti ſuauitate permulceat; ſed vtiliter iucundam diſputationem propinabit.

Pſal. 45. 9. 1 Paral. 16. 8. Pſ. 104. 1.

§. II.

Monſtri acceptio, & exempla.

Monſtrum autem Grammaticis, quòd aliquid ſignificando monſtret, dictum, etſi aliqui inter animantia, ſiue homines, ſiue bruta, *Portentum* verò in rebus inanimatis duntaxat aiunt reperiri; parum tamen refert, de vtris id nomen vſurpes. Poteſt enim æquè aliquid in cælo, elementis, lapidibus aut metallis monſtrari, ac in hominibus aut brutis portendi. Eſt igitur *Monſtrum* vniuerſim *aliquid præter naturam editum, aut procreatum:* vel, vt in ſcholis loquuntur, *eſt effectus naturæ, qui deuiat a recta conſuetaq; ſecundùm ſpeciem, diſpoſitione.*

*sposition*e. Itaque quò magis deuiat, magis est monstrum; & prodigij mensura, est erroris magnitudo. Sic

Scilicet horreres, maioraq; monstra putares, Iuuenal. Satyr. 2.

Si mulier vitulum, vel si bos ederet agnũ.

Sic monstrum dictum est, quando Meles Sardium rex sustulit ex pellice leonem, homo illius parens, qui filius esse non potuit. Quamuis enim neque vitulus alioqui, neque agnus, neque leo est *monstrum*, si primum vacca, alterum ouis, tertium leæna pariat; partus tamen isti, quando à progenitoribus suis in totum discrepant, in totum sunt *monstra*, quia in totum *deuiant à recta consuetaq;, secundùm speciem, dispositione*. Ne autem, in naturæ historia, Poëtica duntaxat authoritate, aut exemplo conficto niti videamur, testantur fide digni scriptores, aliquid simile euenisse. Nam ex muliere vitulum natum affirmat Isidorus. Idem affirmant alij factum apud Iudæos. Fertur enim, paulo ante Hierosolymitanæ ciuitatis euersionem, *bos agnum*, pro maximo vtique monstro *habitum*, peperisse. Quanquam autem res ita se habeat, vulgò tamen magis *monstra* esse putantur

Herodot. lib. 1.

Isid. l. 11. Origin. Niceph. lib. 2. c 4. hist. Eccl. & Ioseph. lib. 7. de bell. Iud. cap. 12.

tantur, quæ non in totum, sed in partibus solùm diuersarum naturarum mixturâ à specie deerrant, vt puer capite arietino, vitulus humano, ouis bubulo, equus asinino, nati, teste Aristotele; & Arimaspi, qui, ritu Cyclopis Homerici, vnum oculum in fronte gerunt; itemque qui sine ceruicibus oculos habent in humeris, vt recenset Gellius; & qui caninis capitibus, pro humana voce, latratum edunt: aut qui magis sunt variegati, vt cùm regnante, apud Gallos, Ludouico duodecimo, & sedente in pontificatu Iulio secundo, monstrum natum est, Rauennæ, habens cornu in capite, vtrinque alas, brachia nulla, pedem vnum, oculum in genu, vtrumque sexum, in medio pectore ypsilon, & crucis effigiē. Nimirum hæc talia oculo insueta, & in vno corpore diuersarum alioquin animarum organa, enormiora videntur, cùm tamen reipsa illa, quæ tota degenerant ab vno, vel vtroque genitore, plus errent, si cùm specie illorum, & origine sua comparentur. Similior quippe est homini partus, qui aliquid habet hominis, quàm qui nihil. Atq; hæc quidem, quid sint *Monstra*, docent. Videndum nunc est etiam, an talia,

Aristot. lib. 4 de generat. animal. cap 3. A. Gellius noct. Attic. lib. 9. c. 4. Vide & Plin. lib. 5. c. 8. l. 7. cap. 2. Isidor. lib. 11. c. 3.

lia, & quàm varia, itemque quibus in rebus occurrant? Illis enim negatis, nequicquam diuinæ potestatis, bonitatis, & æquitatis in ijs judicia indagaremus: at enucleatè perspectis, exclamare nobis libebit: *Quis similis tui in fortibus, Domine? quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis faciens mirabilia?* Exod. 5. 11.

§. III.

An Monstra in omnibus rebus, ac etiam in artibus dentur.

Reperiuntur itaque eiuscemodi inconsueti naturæ effectus, in omni propemodum rerum genere, in elementis, in lapidibus, in metallis, in plantis, in bestijs, in hominibus, apud quos non natura tantùm errat, sed sæpiùs etiam mores, qui à ratione deuij haud immeritò & ipsi *monstrosi* appellantur: sicut & aliæ quædam res insolitæ & inconsuetæ. Artes autem, etiam quando monstra producunt, si scitè producunt, non errant, sed id producunt, quod volunt. Quare picti, aut sculpti Satyrisci, Tragelaphi, Hippocentauri, non tam monstra, quàm imagines monstrorum sunt appellandi. Quòd si quis, præter mentem suam, aut contra voluntatem,

diabolum pingit, cùm Angelum formosum destinâsset, is effectus, non arti, sed imperitiæ artis est attribuendus. Vnde, si ad mentem pingere volentis attendamus, monstra possunt dici, sed artificis veriùs, quàm artis. Naturæ autem monstra, quæ non sunt præter mentem summi Opificis, sed præter peculiaris duntaxat naturæ finem, in omnibus subinde elementis gigni, immò non tantùm supra nos in aëre, qui in sacris & profanis libris *cælum* appellatur, sed etiam in cælo ipso superiore conspici, historiæ narrant, docet experientia, oculi testantur.

Matth. 6 26 & 8. 20. & 12 13. Plin. lib. 2 c. 38.

§. IV.

In cælo stellato, & sub eo Monstra esse.

Nam, si quis cometas siue in aëre accensos & extinctos, siue in cœlo sublimiore natos, aut eò tandem promotos, ex hac classe vult eximere; si & stellam, quæ Magos ad Christum natum vtique prodigiosè perducens aliquid significando monstrauit, atque extra naturæ ordinem astrorumque vias visa est per aërem decurrere; si nouam illam, quæ, anno salutis nostrę 572. supra millesimum, per biennium, inter fixas stellas, in Cassiopea apparuit,

Matth. 2. 9.

stellam

stellam nullum extraordinarium naturæ effectum putat fuisse, ipse potest pro monstro haberi. In cælo etiam stellæ circa solis orbem visæ sunt, Augusto Cæsare, post mortem patris, in prima iuuenta vrbem intrante. Et circa solem arcus apparuit L. Opimio, & Q. Fabio Coss. Trini soles Sp. Posthumio, & Q. Minutio Coss. trinæ Lunæ Cn. Domitio & L. Annio Coss. splenduerunt. Deniq;, Christo moriente, quàm monstrosè sol est obscuratus? In aëre certè ipsa diuina litteratura imagines eiuscemodi, quales sub initium Suedici belli pugnantium inter se nubium, velut exercituum, conspectæ sunt, *monstra* nominat. Ita enim loquitur: *Contigit autem,* (Antiocho secundam profectionem in Ægyptum parante) *per vniuersam Ieroſolymorum ciuitatem videri diebus quadraginta, per aëra equites discurrentes, auratas stolas habentes, & hastis, quasi cohortes, armatos, & currus equorum per ordines digestos, & congressiones fieri comminus, & scutorum motus, & galeatorum multitudinẽ gladijs districtis, & telorum iactus, & aureorum armorum splendorem, omnisq; generis loricarum. Quapropter omnes rogabant in bonum* MONSTRA *conuerti.* 2. Mach. 5. 2.

Plin. l. 2. cap. 24. S. Augustin. l. 12. de ciuit. c. 8.

ti. Itaque *& in ipso cælo stellæ repentè nascuntur*, ait Plinius, & stella noua Cassiopeæ, & illa vetus stella Veneris, quàm D. Augustinus, ex libris M. Varronis refert, sub rege Ogyge, magnitudinem, figuram, & cursum mutauisse, & nuper visi satellites Iouis, & si quid aliud insoliti natura in astris, aut sub astris parit, testantur vel monstra subinde quædam inibi, vel monstrosa emergere. Qualia non Machabæorum duntaxat liber, aut Danielis Prophetæ, qui arietem vidit multicornem, sed etiam profani scriptores referunt. Plinij hæc sunt: *Armorum crepitus, & tubæ sonitus auditos è cælo, Cimbricis bellis, accepimus, crebrosq́, & priùs, & postea. Tertio verò consulatu Marij, ab Amerinis & Tutertibus spectata arma cælestia, ab ortu occasuq́, inter se concurrentia, pulsis, quæ ab occasu erant. Ipsum ardere cælum, minimè mirum est, & sæpius visum, maiore vi ignis nubibus correptis.*

Daniel. 8. 3. Plin. l. 2. nat. hist. c. 57.

§. V.

Ignium Monstra.

Quod si pro monstro habendum est, & igni, & aëri ascribi potest. Vti & quando cælum sanguinea specie apparuit, Philippo Græ-

Græciam inuadente. Nec non ille *clypeus, qui ardens ab occasu ad ortum scintillans transcurrit, solis occasu, L. Valerio, C Mario Consulibus.* Quin & *scintillam è stella cadere, & augeri terræ appropinquantem: ac postquam lunæ magnitudine facta sit, illuxisse, ceu nubilo diei: dein cùm in cælum se reciperet, lampadem factam, semel vnquam proditur, Cn. Octauio. C. Scribonio Coss. Vidit hoc Licinius Syllanus proconsul cum comitatu suo.* Imminente Romanis primo ciuili bello, ignis ex hastis subitò emicuit, qui vix potuit extingui. *Vidi nocturnis militum vigiliis*, ait idem author, *inhærere pilis pro vallo fulgorem effigie ea, & antennis nauigantiũ, aliisq; nauium partibus: ceu vocali quodam sono insistunt, vt volucres sedem ex sede mutantes: graues, cùm solitariæ venêre, mergentesq; nauigia: si in carinæ ima deciderint, exurentes. Geminæ autem salutares, & prosperi cursus prænunciæ, quarum aduentu fugari diram illam ac minacem appellatamq; Helenam, ferunt. Et ob id Polluci & Castori id numen assignant, eosq; in mari deos inuocant. Hominum quoque capita, vespertinis horis, magno præsagio, circumfulgent. Omnia incerta ratione, & in naturæ maiestate abdita.* Idem l. 2. cap. 34. & seq. lib. c. 37.

Hæc ille. Tametsi & Theologi, & Philosophi multa è naturæ maiestate eruerint, quæ non semper sunt censenda propriè monstra, quia à recta consuetaque secundùm speciem dispositione non deuiarunt. Hominum non capita solùm, verùm etiam reliqua membra, nocturnis, præsertim frigidioribus horis, fulgorem; ac veluti scintillantes stricturas iaculari, cùm diloricantur, sæpius experti sumus, exhalationibus calidis tunc exilientibus, & per antiperistasin frigoris, se se accendentibus, quæ interdiu collectæ conclusæque latuerunt. Quo pacto fortasse Seruio Tullio adhuc puerulo dormienti flammam circa caput emicuisse domestici oculi annotauerunt. Quamquam non potest negari, plurimos Sanctos, diuina etiam vi radiasse, claraque in luce refulsisse. Ob quam causam etiam Diui pinguntur capite radioso. Neque enim Angeli duntaxat explendescunt ad eum modum, quo luxit is, cuius *aspectus* erat *sicut fulgur*, sed etiam homines sancti, vt Moyses cuius cornuta facies insolitam lucem faceisque iaculans filios Israel exterruit; & ipse sanctus sanctorũ, cuius *facies resplenduit sicut sol.* Sed facile est ei,

Val. Max. l. 1. c. 7.

Matth. 28. 3.

Exod. 34. 29.

Matth. 17. 2.

ei, lucem producere, qui ipsum condidit solem. De Castore & Polluce, etiam num nauigantibus omen ferentibus, copiosè disputat, in sua Peregrinatione Hierosolymitana Illustrissimus Princeps Nicolaus Raziuilius. Meteora ignita talia posse, Philosophi ostendunt; solere, multi oculati testantur; Deos non esse, fides & Theologi docent; dæmones subinde esse malos, quin & bonos Genios, pronum est æstimare; certum est, bonum Angelum sub prodigioso igne fuisse, quando Moysi *apparuit Dominus in flamma ignis de medio rubi: & videbat, quod rubus arderet, & non combureretur.* Excitatus igitur nouitate rei dixit: *Vadam, & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.* Exod. 3. 2.

§. VI.

Aëris Monstra.

Sed ab ignibus ad aërem reuertamur, varijs pluuiarum monstris insignem. Siquidem *præter hæc, inferiore cælo relatum in monumenta est, lacte & sanguine pluisse M. Acilio. C. Portio Coss. Et sæpe aliàs carne, sicut L. Volumnio, Seruio Sulpicio Coss. eamq; non perputruisse, quòd non diripuissent aues. Item ferro in Lucanis, anno antè, quàm M. Crassus* Plin. l. 2. nat. hist. c. 56.

Crassus à Parthis interemtus est, omnesq; cum eo Lucani milites, quorum magnus numerus in exercitu erat. Effigies quæ pluerat, spongiarum ferè similis fuit : aruspices cauenda præmonuerunt superna vulnera. L. autem Paulo, & C. Marcello Coss. lana pluit, circa castellum Carissanum, iuxta quod post annum T. Annius Milo occisus est. Eodem caussam dicente lateribus coctis pluisse, in eius anni acta
Ib. c. 58. *relatum est. Celebrant Græci Anaxagoram Clazomenium, Olympiadis septuagesimæ octauæ, secundo anno, prædixisse cælestium litterarum scientia, quibus diebus saxum casurum esset è sole. Idq; factum interdiu, in Thraciæ parte ad Ægos flumen. Qui lapis etiam nunc ostenditur magnitudine vehis, colore adusto, comete quoque illis noctibus flagrante. Quod si quis prædictum credat, simul fateatur necesse est, maioris miraculi diuinitatem Anaxagoræ fuisse: soluiq; rerum naturæ intellectum, & confundi omnia, si aut ipse sol lapis esse, aut vnquam lapidem in eo fuisse credatur, decidere tamen crebrò non erit dubium.* Pluuias sæpe cecidisse portentosas etiam Sanctorum historiæ confirmant ; lapidem è sole lapsum, Anaxagoræ fabula est, tametsi in Abydi gymnasio ex ea caussa cultus dicatur.

catur. Mirum est, si non & lucem fudit, & tanto casu libratus se aut subiecta rumpens altè terram subijt. Posset fortasse color huic fabulæ addi ex Peucero, qui scribit, paulò ante initium belli Peloponnesiaci ingentem cometem, post solis occasum enituisse, & continuos 75. dies exarsisse: mox tantam ventorum coortam vim, vt fragmen à monte auulsum in sublime abripuerint: quod, vbi ad vrbem Thracię Ægospotamon decidisset, è cælo fuisse prȩcipitatum, creditum esse. Sed fabulę fabulis non fulciuntur. Et suppetunt alia monstra, vt non necesse sit, à fabulis opem flagitare. Nam de B. Lupo Episcopo & Confessore, apud Senonas, refertur, præsente clero, quadam die, eo sacris altaribus astante, lapsam esse cælitus gemmam in eius calicem sanctum; similiaque complura possent recensęri, miraculosa potiùs, quàm monstrosa. In aëre quoque alia multa euenerunt, sed illa alium sibi locum postulant; & sufficiunt, quæ dedimus, quæque de admirabili auium genere passim narrantur, vt de auibus bina capita gerentibus, & de anseribus venenatis, qui in Pfylensi regione conspiciuntur in-

Caſparus Peucer. de Meteorol. fol. 252.

Monteuill. pag. 173.

in alto quodam monte, vbi est lacus, quẽ ex lachrymis Adami & Euæ, cùm ab angelo è Paradiso expulsi essent, ortum fabulantur. Et quia de aquis loqui cœpimus, ad aquas porrò eamus.

§. VII.

Aquarum Monstra.

Plin. l. 2. nat. hist. cap. III. Plura de mirabilibus aquarũ idem lib. 31. c. 1. & seq.

Aquis sua monstra esse quis dubitet, cùm nonnullæ vel ipsæ sint monstrosæ? *Nam nec aquarũ natura à miraculis cessat. In Ciconum flumine, & in Piceno lacu Velino lignum deiectum, lapideo cortice obducitur: & in Surio Colchidis flumine adeò, vt lapidem plerumq; durans adhuc integat cortex. Similiter in flumine Silaro, vltra Surrentum non virgulta modò immersa, verùm & folia lapidescunt. In Dodone Iouis fons cùm sit gelidus, & immersas faces extinguat, si extinctæ admoueantur, accendit. In Illyrijs supra fontem frigidum expansæ vestes accenduntur. Iouis Hammonis fons interdiu frigidus, noctibus feruet. In Falisco omnis aqua pota candidos boues facit: in Bœotia amnis Melas oues nigras: Cephisus ex eodem lacu profluens, albas: rursus nigras Penius, ruffasq; iuxta Ilium Xanthus, vnde & nomen amni In Ponto fluuius Astaces rigat campos, in quibus pastæ ni-*

gro

gro lacte equæ gentem alunt. In Carrinensi Hispaniæ agro duo fontes iuxta fluunt, alter omnia respuens, alter absorbens. Amnes retrò fluere, & nostra vidit ætas, Neronis Principis annis supremis. Hæc si naturæ sunt opera potiùs, quàm monstra, sunt tamen mirabilia; neque omnia seruant naturæ tenorem, cui saltem aduersum est, vt flumina in caput reuocent liquorem, nullo terræ motu exterrita. Neque solita lege accidit prodigium, vt cùm Dionysius iunior suo principatu pelleretur, mare, vno integro die, dulcescceret.

VIII.

Duo Nilotica vel Monstra, vel Spectra.

In ipsis autem aquis, vel ab ipsis haud rarò vera monstra proueniunt. Vt enim immania illa, & sua se vastitate prodentia mendacia hîc non immiscеam, quæ Lucianus, in duobus libris *verarum historiarum* recenset, ex vero notus est S. Maclouij piscis, pro insula habitus, in quem & vectores exscenderunt, & S. Maclouio sacrificanti adfuerunt. *Mena Ægypti præfecturam gerente, in Nilo flumine mira quædam & inopinata apparuerunt. Nam cùm Præfe-*

Theoph. Simocatt. lib 7. historiæ

Mauritij Tiberij Imp. c. 16.

Præfectus hic in locum Ægypti, qui à figura elementi Delta nomen accepit, negotij cauſſa veniſſet, maneq; ad littus acceßiſſet, ab imo fluuio vir obſtupeſcendæ molis emerſit, facie gigantem referens, truci aſpectu, coma ſubflaua, canis intermixta. Malæ, quales habitiorum, & ad palæſtrã inſtitutorum eſſe ſolent. Lumbi nautici, pectus validum, tergum latum, quale heroum, brachia toroſa. Porrò vſque ad uaturam ſeſe ſpectandum præbebat: reliqua membra aquæ cooperiebant. Imitabatur enim virum pudentem, nolentemq; partes illas liberorum procreationi idoneas ſpectantium oculis exponere. Hunc contemplatus Alexandriæ, ſiue Ægypti Præfectus, crebriùs adiurat, vt, ſi quidem è dæmonibus ſit, ſpectatores illæſos dimittat, & quieſcat. Sin aliquid naturæ opificio productum, ne antè ſe ſubducat, quàm omnes præſentes intuendo oculos animosq; ſatiauerint. Rumor fuit, eum ipſum fuiſſe Nilum, Poetarum fabulis nobilitatum. Hoc igitur Niloticum animal (hominem enim dicere vereor) adiurationibus obligatum, diutiùs in aperto manſit, corpusq; videndum omnibus obiecit. Tertia hora pòſt etiam ex vndis rectà emergit mulieri ſimile animal, quod ipſe vultus femineus, glaber, item mammæ, comæ,

quæ

quæ partim in nodum collectæ, partim solutæ pendebant, totaq; corporis apparentis constitutio indicabant. Fœmina erat pulchritudine eximia: capilli nigri admodum; facies candidissima; nasus bellè formatus; digiti elegantes; labia roſea. Sororiabant vbera, & papillæ à recenti pubertate aliquantum prospicere, ac se se exertare videbantur. Locos autem aqua tegens ab aspectu remouebat, mysteria cubilis ab intuentium luminibus, tamquam arcanis nondum initiatorum abscondens. Prefectus igitur, & circumfusa cohors, vsque ad occasum solem, spectando voluptatem capiebant. Imminente iam nocte visa illa in ima aquarũ, vnde extiterant, descendunt, cùm se cupidè lustrantibus vocem quodammodo eripuissent; ita altùm omnes admirabundi silebant. Hæc Theophylactus Simocatta, Iacobo noſtro Pontano interprete: qui & mox subiungit: *De animalibus Nili, humanam figuram referentibus, veteres conscripserunt.* Siue autem dæmones aquatici, siue homines Nilotici, siue alia quædam animalia hæc fuerant, pro monſtris certè aquarum habebantur.

§. IX.

Piscis mirificè figuratus.

Et fuerint phantaſmata iſta, veris ta-

men monstris alijs pluribus abundat aqua, &, siue magnitudinem, siue figuram, siue raritatem spectes, maximè admirandis. Vt enim taceam illa antiquiora, Bizarrus refert, in vrbe Ceuta Idibus Maij Anno Christi 1563. eiectum & ad littus inuentum esse non solùm mole conspicuum cetum, sed etiam, ad morem Brasilorum pictissimè variegatum, non hominis penicillo, sed naturæ artificio. Cernebantur in eius lateribus plurimæ triremes velut coloribus scitissimè expressæ, cum suis remis, arboribus, antennis, velis, funibus, nautis, bellicis tormentis, inter fluctuantes vndas velut impulsæ. Nonnullæ harum nauium, haud exigua magnitudine, circa ingentem quamdam triremen stabant, vndequaque ad certamen, quàm optimè instructæ atque armatæ. Quædam aliæ reliquas tamquam harpagonibus iniectis, iam adoriebantur, & prælij acerrimi imaginem luculentam referebant. Quæ omnia naturali quodam miroq; artificio, in pelle & carne piscis expressa, cum eo adoleuisse videbantur, itaque clarè & distinctè, vt tamquam spectaculum numquam antè visum, aut auditum, incredibilem omni-

Bizarr. pag. 303.

bus

bus vndique accurrentibus stuporem gignerent. Misit huius prodigij exemplar ad Hispaniæ regem Licentius Voleranus, vrbis Gibelterræ præfectus, per Ioannem Fructuosum scribam regium, eiusdem vrbis ciuem, qui testimonio sex grauium virorum, id verissimum esse dictitauit. Dubitare hîc igitur, non de facto licet, sed de modo. Potuit, cùm partum hunc in vtero ferret, genitrix eius, aspecta in mari compugnantium classe, exterrita, imaginatione quadam, figuras oculis haustas, fœtui imprimere. Potuit Deus, quod futurum videbat, in piscem, velut in tabellam, inscriptum præmonere. Potuit vtrumque simul esse, vt & Numinis bonitas, & naturæ efficacitas simul hominibus innotesceret. Si enim ars illa naturalis fuit, fuit vtique etiam natura ipsa valde artificiosa, cuius tam miro opere aspecto, dici potuit: *Benedicite cete, & omnia quæ mouentur in aquis, Domino.* Dan. 3. 79

§. X.

Alius piscis armis bellicis prodigiosus.

Anno salutis 1623. die Septembris octauo, seu in festo Beatissimæ Mariæ Virginis natæ, in Polonia, prope Warsauiam, in

Vistula, eiuscemodi monstrosus piscis captus est. Longitudo erat triginta sex pedum, crassities seu latitudo trium vlnarum, cum duabus partibus; altitudo decem vlnarum & itidem semis. Huic tam vasto pisci caput erat, instar hominis, carneum; quin & cetera erant instar carnis humanæ, ac mollia, sed squamis ita duris atque asperis amicta, vt cornu esse putarentur. A capite, per collum, vsque ad caudam, cruces, tamquam stellæ quædam per cælum, dispersæ cernebantur. Quæ omnia si cui minùs mira esse censentur, audiat magis portentosa. Siquidem nulla vmquam Pallas adeò armata, neque ita Mars ipse adamantina tunica tectus horridè bellum spirauit. Pisci enim huic, in tergo tormentum curule, suis rotis nixum, impositum stabat, & antrorsum quidem os porrigebat, ad ignem expuendum; retrorsum autem syrma à dorso proiectum trahebat, more draconis. In pinnis rotundi hærebant globi, infrà supraq; transfixi. Ad latera vtrimque longæ velut hastæ suspendebantur. Armamentarium quoddam esse credidisses. Neque deerant bipennes in modum crucis decussatæ ve-

xillum

xillum vtrimque secus insignientes. Atque ne naturam existimes illitteratam, vni vexillo litteræ A. D. I. H, alteri F. R F. inscriptæ legebantur, interpretatione spectatoribus relicta. Præter hæc, gladius & fistula ænea iaculationibus apta, itemq; mortui hominis caput cute & carnibus denudatum, vt in cranio mortis effigies esset, nec non vndique tubera, vulnera, cicatrices, exprimebantur. Cauda sanguinei coloris erat, fissa in eum modum, vt prærubra quædam parua spicula in vnum fascem viderẽtur colligata; multi ea sagittis similia esse dicebant. Habebat hic piscis etiam duos pedes, admodum diuersos, alter aquilino, alter leonino similis fuit. Referebatur hoc monstrum non in nouis tantùm publicis, sed etiam typis ac penicillo effigiatum vendebatur. Quid mysterij indicârit, multa ingenia diuinauerunt; clarissimè detexerunt bella attrocia inde continuata. In confesso sunt aquæ maris, & Iordanis stantes, & ad instar montis intumescentes, vt siccam darent viam transituris, de quibus Iosue prædixit: *Cras faciet Dominus inter vos mirabilia.* Verùm etiam hæc miracula sunt, non propriè

Exod. 14. 22. Iosue. 3. 15. Ibid. v. 5.

monstra, de quibus agere non est nostrum institutum. Et quæ perstricta sunt, affatim docent, satis superque in aquis siue monstrorum, siue miraculorum extitisse.

§. XI.

Terrena Monstra.

In terris, quid monstra diu quæramus, cùm ipsæ sint etiam, multis in locis satis monstrosæ? *Motus enim terræ*, ait naturalis historiæ author, *sileantur, & quidquid est, vbi saltem busta vrbium extant: simul vt terræ miracula potiùs dicamus, quàm scelera naturæ. Et Hercule non cœlestia enarrata difficiliora fuerint. Metallorum opulentia tam varia, tam diues, tam fœcunda, tot sæculis suboriens: cùm tantum quotidie in orbe toto populentur ignes, ruinæ, naufragia, bella, fraudes, tantum verò luxuria, & tot mortales conterant: gemmarum pictura tam multiplex, lapidum tam discolores maculæ, interq; eos candor alicuius, præter lucem omnia excludens: medicatorum fontium vis: ignium tot locis emicantium perpetua tot sæculis incendia: spiritus lethales alibi, aut scrobibus emissi, aut ipso loci situ mortiferi; alibi volucribus tantùm, vt Soracte vicino vrbi tractu: alibi præter hominem ceteris animantibus: non-*

Plin. l. 2. nat. hist. cap. 93.

num-

numquam & homini, vt in Sinuessano agro & Puteolano: spiracula vocant, alij Charoneas scrobes mortiferum spiritum exhalantes &c. Quædam verò terræ ad ingressus tremunt, sicut in Gabiensi agro, non procul vrbe Roma, iugera fermè trecenta, equitantium cursu: similiter in Reatino. Quædam insulæ semper fluctuant, sicut in agro Cæcubo, & eodem Reatino, Mutinensi, Statoniensi. In Vadimonis lacu, & ad Cutilias aquas opaca silua, quæ numquam die ac nocte eodem loco visitur. In Lydia, quæ vocantur Calaminæ, non ventis solùm, sed etiam contis, quò libeat impulsæ, multorum ciuium Mithritatico bello salus Sunt & in Nymphæo paruæ, salutares dictæ, quoniam in symphoniæ cantu ad ictus modulantium pedum mouentur. In Tarquiniensi lacu magno Italiæ, duo nemora circumferunt, nunc triquetram figuram edentes, nunc rotundam complexu, ventis impellentibus, quadratam numquam. Iuxta Harpasa oppidum Asiæ cautes stat horrenda, vno digito mobilis: eadem si toto corpore impellatur, resistens. Ib. c. 94. Ib. c. 95. Ib. c. 96.

§. XII.

Monstrosi terræ motus.

Hæc, si veri sunt naturæ effectus, etsi non vniuersim sint vera terræ monstra;

sunt tamen pleraque veris monstris similia, videntur enim vtique *à consueta, secundùm speciem dispositione deuiare.* Neq; enim ordinario naturæ tenore terra tremit, aut siluæ saltant. Quamquam alia multò monstri nomine digniora in terris reperiuntur. Si enim naturæ iniuria facta est, quando pro monstro habitum est, quòd Tiberio principante, maximus, post hominum memoriã, terræ motus contigit, quo duodecim vrbes Asiæ, vna nocte prostratæ sunt; verum certè monstrum extitit, quando L. Martio & Sex. Iulio Coss. in agro Mutinensi duo montes inter se concurrerunt, crepitu maximo assultantes, & recedentes, & inter eos flamma fumoq; exeunte. Quo concursu villæ omnes elisæ, animalia permulta (quæ intrà fuerant) exanimata sunt. Nec sine prodigio, moriente Christo, *velum templi scissum est in duas partes à summo vsq; deorsum, & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt: & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.*

Matth. 27. 51.

§. XIII.

Monstrosorum effectuum lapis.

Quòd si iam siue ad viuentia, siue ad

ea

ea corpora mixta quæ vita carent, progressum faciamus, ipsos quoque lapides, ipsas arbores monstrosas inueniemus. Quippe Ionstonus Anglus vir doctissimus, in admirandis Fossilium hæc habet. *Cùm Henricus II. rex Galliæ Bononiæ esset, allatus est ad eum ex India Orientali, ab incognito homine, sed, vt apparebat moribus, barbaro, lapis stupenda specie & natura; videlicet lumine & fulgore mirabiliter coruscans; quiq; totus velut ardens, incredibili splendore micabat; & iactis quoquò versus radijs, aerem luce, nullis propè oculis tolerabili latissimè complebat. Erat & hoc in eo mirabile, quòd terræ impatientissimus, si cooperiretur, sua sponte, & vi facto impetu confestim euolabat in sublime. Contineri verò includiué, nullo angusto loco, nulla humana arte, industriaué poterat, sed ampla liberaq; duntaxat loca amare videbatur. Summa in eo puritas: eximius nitor: nulla sorde, aut labe coinquinatus: figuræ species nulla ei certa, sed inconstans, & momento mutabilis: cumq; esset aspectu pulcherrimus, contrectari se se tamen impunè non patiebatur; & diutiùs contra adnitentibus, aut obstinatiùs cum eo agentibus incommodum afferebat. Quod multi, multis spectantibus, sunt*

Ionston. in Admirand. Fossiliū. c. 32.

experti. Si quid fortasse eminus ex eo conando detrahebatur (nam durus admodum erat) nihilo minor fiebat. Huius virtutem ac vim esse ad complurima tum vtilem, tum præcipuè regibus necessariam, aiebat hospes, qui miraculum ostentabat, sed quam relaturus non esset, nisi ingenti pretio accepto. Hæc, vt in litteris Ioannis Pipini, oculati testis rei, qui in familia A: Montmorentij M. E. medicinam faciebat, ad Anton. Mizald. & ipsum insignem medicum pridie Ascensionis Domini, Bononia datis descripta sunt. Ita trado, inquit Thuanus lib. 5. Hist. & ampliùs discutienda Physiologis relinquo. Ego, etsi huic traditori parùm credo, tamen magis magica fuisse censeo, quàm fabulosa. Quamquam lapidem ipse alium in manu habui, & sæpius expertus sum, eum interdiu soli, noctu lucernæ exhibitum, ita lumen radiosque imbibisse; vt (contra naturam luminis, alioqui non diutiùs perseuerantis, quàm à præsente corpore lumjnoso conseruatur) etiam à sole, vel lucerna remotus, & in obscuro loco, aut pileo aspectus adhuc velut ardens lumen retineret.

§. XIV.

§. XIV.

Metallorum Monstra.

In metallis quoque pro monstro habitũ est, quòd, imminente Romanis primo ciuili bello, mures *aurum* in templo roserint, & capta ex his femina quinos masculos in muscipula enixa sit, quæ tres ex illis deuorauit; *tubarumq; clangor* in aëre concrepuerit. Nequaquam aliàs auro mures, sed fures insidiantur; & tubarum clangor in aëre, ob ipsam tubarum & tubicinum absentiam est prodigiosus; sicut & in *nouissima tuba* erit. *Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti.* Talia in ære signa multa contigerunt, si miracula pro monstris essent habenda, quæ non naturæ, sed diuinæ potentiæ effectus, quia naturæ vim ordinemque excedunt, non immeritò prodigia saltem vocantur, tametsi vera monstra non sint, cùm non sint naturæ aberrantis. Duo eiuscemodi exempla, paulo infrà referemus, de significatu monstrorum acturi. Hæc sola hîc abundè nos excitare possunt, ad laudes Domino dicendas, *qui facit mirabilia.*

1. Cor. 15. 52.

Iudic. 13. 19.

§. XV.

§. XV.

Plantarum monstra.

Val. Max. l. 1. c. 6. Plin. l. 18. Nat. hist. c. 18.

Viuentium plura occurrunt vel ficta, vel vera monstra; & in plantis quoque. Sic in Boëotia derosæ à locustis ficus germinauerunt. Sic Laodiceæ, aduenientę Xerxe, platanus in oleam mutata est. Sic Neronis principatu arbores dicuntur sedem mutauisse. Sic Trallibus, in ędę Victorię, palma viridis, sub Cęsaris statua, inter coagmenta lapidum iustę magnitudinis enata est. P. Ælio, Cn. Cornelio Coss. quo anno superatus est Annibal, in arboribus nata sunt frumenta. Et C. Lepidus, apud Plinium testis est, arbores locutas, ac oliua in totum ambusta reuixit. Quę, si vera sunt, idem de his arboribus sentiendum est, quod de quercu Dodonęa Stygijs artibus loquace. *Prope Harlemium*, ait Ionstonus, *Rhabarbarum Anno 1585. erutum, humanam manum cum vnguibus, & distinctißimis digitorum lineamentis obtinens. Picturam Leidæ, apud D. Bodarcium vidimus.* Putantur quędam prodigiosa, quia insueta nobis, licet consueta naturę. Ita sub imperio Prete Ioannis, ex arena quotidie prorescunt arbusculę quędam, vsque ad meridiem,

Herodot. l. 2. Ionston. in admirandis c. 35.

ridiem, postea ad occasum solis denuò redeunt in terram, ita vt non ampliùs appareant. *Atque hoc quotidie*, ait Monteuillanus. *Fructus, quos ferunt, nemo carpit metu fascinationis;* qui sanè non imprudens est: quamquã & flores quidam, vno duntaxat die perdurant; vt adeò & naturę hoc possit esse opus. Redire autem in terram eiuscemodi plantæ videntur, dum aridę decidunt, & in puluerem rediguntur, sicut *homo natus de muliere, breui viuens tempore, qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra. Quia omnis caro vt fœnum; & omnis gloria eius, tamquam flos fœni: exaruit fœnum, & flos eius decidit.* Sagunti puer reuersus est in vterum matris, eo anno, quo Saguntus ab Annibale deleta est, cur plantę non possent æquè citò in gremium matris suæ reuerti? Sunt animalia quædam ephemera, cur non & terræ germina possint esse talia? Sæpe aliquid naturæ monstrum putatur, quod aliunde est oriundum. Megaris diu stetit Oleaster in foro, quæ arbor fatalis habebatur excidio vrbis pręmonitę oraculo, cùm arbor arma peperisset, quod succisę accidit, ocreis galeisque intus repertis; quia olim viri fortes illi sua

Monteuill. pag. 225.

Iob. 14. 1. 1. Petr. 1. 24.

Plin. l. 16. cap. 39.

li sua affixerant arma, quę cortice ętas longa ambiente occultauerat. Ni priùs ibi suspensa fuissent, numquam arbor illa arma peperisset. Ad eundem modum credibile est, imagines quasdam sacras arboribus appensas, corticibus inuolutas, & à tempestate atque imbribus seruatas, in pietatem posterorum, quorum tempore detectę & inuentę fuerunt, vt tanto emolumento, quanto studio colerentur.

§. XVI.

Animalia intra rupes monstrosè inuenta.

Neobrug. cap. 2. In bestijs, simili euentu, dissimili ortu, duo monstra reperta sunt, nostro tempore, cùm enim in lapicidina quadam petra ingens ferramentis finderetur, apparuêre duo canes, capacem sui, in eadem petra, concauitatem replentes, absque omni spiraculo. Videbantur ex leporariorum genere; sed truces vultu, quasi ex Cerberi prosapia; odore graues, quasi ex Auerno; pilorum expertes. Et vnus quidem citò defecit; alterum stupendæ edacitatis Henricus Wintonienſis Episcopus, multis diebus in delicijs habuit. Refertur ibidem ab eodem authore, de bufone, ad eundem modum,

modum, inter saxa, cum torque aureo inuento. Aurum intra montes nasci posse scimus, non item torquem aureum. Nec bufones inibi posse gigni negarem; canes autem crescere, velut vermes, aut lapides, nemo mihi persuaserit. Facile autem est spiritui malo viam aperire, & talia in tali carcere includere, aut canem bufonemq; agere. Qua arte virginem vultu retulit, quando, in venatu, sitienti comiti Oldenburgico, è rupe velut ostio diducta progrediens, scyphum illum argenteum obtulit, qui adhuc ostenditur, miris multisq; emblematis cælatum.

§. XVII.

Animalia monstrosè loquentia, vel parientia.

Multa alia non solùm mirabilia, verùm etiam monstrosa acciderunt circa bestias. *Præcipuæ enim admirationis* sunt *etiam illa prodigia, quæ P. Volumnio. Ser. Sulpicio Coss. in vrbe nostra, inter initia motusq; bellorum acciderunt. Bos namq;, mugitu in humanum sermonem conuerso, nouitate monstri, audientium animos exterruit. Carnis quoq;, in modum nimbi dissipatæ partes ceciderunt: quarum maiorem numerum præpetes diripuerunt aues* Val. Max. l. 1. c. 6.

aues, reliquum humi per aliquot dies neque odore tetro, neque deformi aspectu mutatum iacuit. Eiusdem generis monstra alio tumultu credita sunt. Siquidem *bello etiam Punico secundo constitit, Cn. Domitio bouem dixisse: Caue tibi Roma.* Antè paullô, quàm Augustus Imper. factus esset, bos in suburbano Romæ ad arantem locutus est, frustra se vrgeri: *Non enim frumenta, sed homines breui defuturos.* Quæ boni malíue Angeli virtute fieri potuisse, ostendunt illa sacræ scripturæ verba: *Aperuitq; Dominus os asinæ, & locuta est: Quid feci tibi? cur percutis me? ecce iam tertiò?* Et rursum: *Nonnè animal tuum sum, cui semper sedere consueuisti vsque in præsentem diem? dic, quid simile vnquam fecerim tibi?* Quàm diserta fuit asina Balaam? & fieri non posset, vt aliæ quoque bestiæ loquerentur, Deo volente, aut spiritu verba, in ore earum, formante, plectrumq; linguæ in sermonem quatiente? Potuit ergo loqui asina, & non possit vacca? eiusdem vtrumque animal ingenij ad lyram? Dario Babylonem obsidenti vox è muris reddita est, vrbem ipsam tunc à Persis captum iri, cùm mula pareret. Quo præsagio omnes capiendæ

Num. 22. 28.

vrbis

vrbis desperatio iam ceperat, donec Zophyri Persæ mula enixa est.

§. XVIII.

An mulæ sint Monstra, & num naturaliter pariant?

Et quia de mulis mentionem fecimus, quæri potest, an non & ipsæ mulæ in monstrorum censu sint ponendæ? Certè eas à natura deuiare ostendunt progenitores, & sterilitas eorum; licet, quia consuetæ, & ordinarij talium parentum partus, vulgò pro monstris non habeantur. *Obseruatum* est, ait Plinius, *è duobus diuersis generibus nata, tertij generis fieri, & neutri parentum esse similia: eaq; ipsa, quæ sunt ita nata, non gignere. Idcirco mulas non parere. Est in annalibus nostris, peperisse sæpe, verùm prodigij loco habitum. Theophrastus vulgò parere in Cappadocia tradit: sed esse id animal ibi sui generis.* Plin. l. 8. nat. hist. cap. 44.

§. XIX.

Monstra ex hominibus nata.

Inter homines monstra existere deformantia naturam, experientia testatur quotidiana. Adstipulatur & D. Augustinus, quo memorante, *apud Hipponem natus est homo quasi lunatas habens plantas, & in eis binos tantummodo digitos, similes & manus.* S. Augustin. l. 16. de ciuit. c. 8.

Qui idem Pater eodem loco ait: *Ante annos aliquot, noſtra certè memoria, in oriente duplex homo natus ſuperioribus membris, inferioribus ſimplex. Nam duo erant capita, duo pectora, quatuor manus, venter autem vnus, & pedes duo, ſicut vni homini: & tam diu vixit, vt multos ad eum videndum fama contraheret.* Quod cùm ita ſit, apparet nihil nimium finxiſſe Poëtas, quando ab illis *forma tricorporis vmbra* Geryonis eſt introducta. Certè, apud Cedrenum, *Imperantibus Conſtantino Leonis Philoſophi Imp. F. & Romano Lacapeno, ex Armenia allatum eſt monſtrum, Conſtantinopolim, pueri maſculi concreti, vterini, ijq́, vt infelix omen, vrbe ſunt eiecti. Redierunt ſub Conſtantino: &, cùm alter mortuus eſſet, peritiores medici cadauer à viuo reſecuerunt, parum tamen diu alter ſuperuixit.* Viſi ſunt & alij monſtroſi vel partus, vel euentus. Inter initia Marſici belli peperit quædam ancilla ſerpentem. Hæreticus alioquin author ſcribit. *An. 1552. in Haſſia VVitzenhauſia, tertio poſt feſtum trium Regum die, infantem maſculum bicipitem, collo duplici, duobus capitibus ac corpore optimè cum reliquis membris compoſito natum;* cuius monſtri occaſione, nouum

Sil. lib. 3. Virgil. l. 6 Æneid.

Lycothen. in Chron. de prodigijs & oſtentis. An. 1552. lib. 2.

nouum in ea prouincia Euangelium monstrosè nobilitat.

§. XX.

Infantes locuti, & varia superstitio quorundam de nocte Natiuitatis Christi.

Aiunt, Romæ, in quodam tumultu, *infantẽ semestrem, in foro boiario triumphũ proclamâsse: Alium cum elephantino capite natũ.* Vtrumq; monstrũ erat. De infantibus ante tempus locutis multa extant exempla, præsertim non sine diuina vi procurata. Sed cur os infantium aperire non posset, qui potest os rudentiũ in loquelã referare? Quod etsi nonnumquam fecit, non tamen censendus est facere semper. Stultitiam sapit, si non superstitionem, quod vulgatissimè tamen creditur ab imperitis, equos scilicet, & boues, asinos, & omnia iumenta, quotannis, in sacratissima illa nocte Natiuitatis Domini nostri, solere loqui, & verò etiam vaticinari. Qua de caussa etiam nonnullorum tanta est simplicitas, vt in stabulis tum vigilent, expectantes, & audire cupientes, quid bestiæ loquantur, aut in annum sequentem prædicant. Quasi Deus miracula velit perennare; aut, qui curiosa scire cupienti Herodi non respon-

Val. Max. l. 1. c. 6.

Num. 22. 28.

Luc. 23. 8.

dit, per pecudes istas velit respondere, vt horum satiet curiositatem? Igitur nequaquam tunc bestiæ humanum sermonem, sed homines bestiarum stuporem imitantur. Quemadmodum & illi, qui quia audierunt, non solùm hac nocte oleum pro consueto elemento fluxisse olim, verùm etiam alicubi semel ac iterum aquas fuisse in vinum commutatas; illa ipsa sanctissima nocte media, quotannis, summo in frigore, os ad fontes applicant, arbitrantes, se vinum pro aqua hausturos. Non enim tunc fontes monstrosè fluunt, sed isti monstrosè sapiunt, quorum pietas est bibere; & religio, Christi infantis loco, Bacchum osculari, digni quibus labia glacie astricta, cum liquore tam desiderato concrescerent. Nec opus est his fictis seu miraculis, seu monstris. Veritas, ne hinc debeat mendicare, à se est opulenta. Sed huc vsque plus satis demonstratum est, quid, & quàm varia sint monstra, & quòd ea in omnibus rebus reperiantur. Plura suis quæque locis apponentur, quæ omnia dictis subscribent. Et ob hæc sola dicere vnusquisque potest: *Ego deprecabor Dominum, & ad Deum ponam eloquium meum:* Iob. 5. 8.

qui

qui facit magna & inscrutabilia, & mirabilia absq; numero.

CAPVT II.

De illis elementorum monstris, quæ in dubium vocantur, vt de Pyrali, Salamandra, Phœnice, Scylla, Charybdi, Sirenibus, piscibus fossilibus, Vnicorne, Sphinge, Centauris, &c.

§. I.

Pyralis & Salamandra num sint fabulosæ?

MVlta Poëtæ, neque pauca historici memorant, quæ neque authoritatem, neq; fidem videntur habere sufficientem. Nempe quoniam

Tarda solet magnis rebus inesse fides.

Sed si illi, quorum ea de re notio est, æstiment, & fidem pleraque merentur, & obtinent authoritatem; quamuis nonnulla, etiam quæ testes habent, careant veritate: vt difficile sit vera falsis permista seligere. Inter hæc sunt monstra quæpiam diuersis elementis tributa. Ab igne incipiamus, cui, quòd nihil gigneret, Vesta & Vestales

virgines in sacerdotium sunt datæ. Et Ouidij carmen est:

Nataq́; de flamma corpora nulla vides.

Plin. l. 11. cap. 36. Plinij tamen verba hæc sunt. *Gignit aliqua & contrarium naturæ elementum. Siquidem in Cypri ærarijs fornacibus ex medio igni, maioris muſca magnitudinis volat, pennatũ quadrupes: appellatur pyralis, à quibuſdam pyrauſta. Quamdiu eſt in igne, viuit: cùm euaſit longiore paulo volatu, emoritur.* Facit huius muſcæ mentionem etiam Laërtius in vita Pyrrhonis, vbi inter animalia, ſine congreſſu nata ponit, *quæ in igne viuunt, quæ πυρρίβια vocantur.* Demus non ſcintillas ignis, non ſtricturas æris euolantes pro eiuſcemodi muſcis aſpici; demus exhalantes vapores materiamque eiuſcemodi animalibus gignendis etiam in ære non deeſſe; demus aridas beſtiolas ad breue tempus non comburi; certè vim flammę diu non poterunt ſuſtinere. Quid eſt enim, quod vis flammę non vincat? Fabulam igitur olet ſiue intra, ſiue extra ignem hæc muſca. *Sicut ſalamandra, animal lacerti figura, ſtellatum, numquam niſi magnis imbribus proueniens, & ſerenitate deficiens. Huic tantus rigor*, ait Plinius, *vt ignem tactum*

Laert. lib. 9. de vitis Philoſoph.

Plin. l. 10. cap. 67.

extin-

extinguat, non alio modo, quàm glacies. Vidi ego talem in ignem coniectam, vixit sanè aliquamdiu erumpere non valens, & maculis trallucentibus splenduit, sed ignē etiam modicū non extinxit extincta ipsa, non sine graui fætore. Quamuis etiā mortuam flammę diu vorantes non consumsêre. Denique in fimum abiecta est, ne, vt naribus, ita etiam toti corpori pestem crearet. Etsi ergo Salmandra aliquid est, fabulosis tamen aucta est; qualiscumque imago corporum, in inferno vrendorum, non comburendorum.

§. II.

Vnde probari videatur, Phœnicem esse in rerum natura?

Phœnix, si animal, ac si tale animal est, quale describitur, & ad duo elementa ignē atque aërem pertinet, & maximè monstrosum est, *vnica semper auis*, neq; ex ouo prodiens, & incredendę viuacitatis. Hanc non solùm Græci & Latini Poëtę Hesiodus, apud Plutarchum, Antiphanes apud Athenęum, Ouidius, Lucanus, Statius Papinius, alijque carminibus suis celebrauerunt; sed asseruerunt etiam multi historici & graues scriptores Ethnicorum, Herodotus,

Hesiod. apud Plutarch. de orac. defectu, Athen. l. 14. c. 25. Ouid. l. 5. Metam.

Lucan. l. 6 Stat. l. 2. & 3. Silu. Claud. lib. 2. in laudes Stilico-nis. Herodot. l. 2. Horus Hiero-glyph. 32. Senec ad Lucill. l. 5. ep. 42. Pompon. Mel. l. 3. 9. Plin. l. 10. nat. hist. cap. 2. Solin. c. 36. Ælian. de hist. animal. lib. 5. cap. 57. Phil. in vita Apollonij Dionys. Cassius lib. 58. in fine. Daldian. de somnior.

dotus, Horus Apollo Niliacus, Seneca, Pomponius Mela, Plinius, Solinus Plinij assecla, Ælianus, Philostratus, Lampridius, in Heliogabalo, Dion Cassius, Sextus Aurelius Victor in Claudio, Artemidorus Daldianus, Æneas Platonicus, & alij. Sed Placet ante alios audire Tacitum cautè de hac aue ista memorantem. *Paulo Fabio, Lucio Vitellio Coss. post longum sæculorum ambitum auis Phœnix in Ægyptum venit, præbuitq; materiam doctissimis indigenarum, & Græcorum, multa super eo miraculo differendi, de quibus congruunt, & plura ambigua, sed cognitu non absurda promere libet. Sacrũ soli id animal, & ore ac distinctu pennarum à ceteris auibus diuersum; consentiunt, qui formam eius definiêre. De numero annorum varia traduntur, maximè vulgatum quingentorũ spatium Sunt qui asseuerent, mille quadringentos sexaginta vnum interijci, prioresq; alites Sesostride primùm, pòst Amaside dominantibus, deinde Ptolomæo, qui ex Macedonibus tertius regnauit, in ciuitatem, cui Heliopolis nomen, aduolauisse multo ceterarum volucrum comitatu, nouam faciem mirantium. Sed antiquitas quidem obscura; inter Ptolomæum, ac Tiberium minùs ducenti quinquagin-*

quaginta anni fuerunt. Vnde nonnulli falsum hunc Phœnicem, neque Arabum è terris credidêre, nihilq; vsurpauisse ex his, quæ vetus memoria firmauit. Confecto quippe annorum numero, vbi mors propinquet, suis in terris struere nidum, eiq; vim genitalem affundere, ex qua fœtum oriri, & primam adulto curam sepeliendi patris. Neq; id temerè, sed sublato myrrhæ pondere, tentatoq; per longum iter, vbi par oneri, par meatui sit, subire patrium corpus, inq; solis aram perferre atque adolere. Hæc incerta & fabulosis aucta. Ceterùm aspici aliquando, in Ægypto eam volucrem, non ambigitur. Hæc Tacitus, alia referens, alia in dubium vocans. Maius momentum huic aui addunt SS. Patres, qui etiam passim in ea resurrectionis simulachrum ostendunt. Clementis Romani verba sunt: *Aiunt Græci, auem quandam esse soligenam, vberem præbentem resurrectionis demonstrationem, quam dicunt comparem non habere, solamq; in mundo reperiri. Phœnicem appellant, narrantq; eam, post quingentesimum annum, in Ægyptum aduolantem, secumq; copiam cinnamomi, casiæ, Xylobalsami adducentem, in loco, qui dicitur solis ara, consistere, ibiq; conuersam ad aspectum Solis, ei, vt aiunt, supplicem*

interpr. l. 4. c. 49. Tacit. Annal. lib. 5.

Clemen. Rom. l. 5. Apostolicarum Const. cap. 6.

cem sponte conflagrare, redigiq; in puluerem. Ex cineribus autem vermem existere, eumq; concalefactum in nouum Phœnicem formari, alitemq; factum, in Arabiam, quæ est vltra Ægyptiacum saltum, aduolare. Idem scripserunt S. Cyprianus, (si non Ruffinus Aquilegiensis illius operis est author) Eusebius Cæsariensis Episcopus, Cyrillus Hierosolymitanus Archiepiscopus, Epiphanius, Gregorius Nazianzenus, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, alijque SS. Patres passim. Eleganter Tertullianus inter monstra referens Phœnicem ait: *Animalis est res vitæ obnoxia, & morti, illum dico alitem orientis peculiarem de singularitate famosum, de posteritate* MONSTROSVM, *qui semetipsum libenter funerans, renouat, natali fine decedens, atque succedens iterum Phœnix: Vbi jam nemo, iterum ipse, qui jam non alius idem. Quid expressius in hanc scilicet resurrectionis caussam? aut cui alij rei tale documentum?* Et infrà. *Deus etiam scripturis suis; & florebis enim* (inquit) *velut Phœnix, id est, de morte, de funere, vti credas de ignibus quoque substantiam corporis exigi posse.* Ac rursum: *Multis passeribus antestare nos Dominus pronunciauit, si non & Phœnicibus, nihil*

S. Cypr. in expositione symboli. Euseb. Cæsar. lib. 4. de vita Constantini c. 72 Cyrill. catechesi 18. Epiphan. in Ancorato. & ad Physiol. cap. 11. Greg. Nazianz. orat. 37. de S. Spiritu. Hieron. ep. 19 Ambros. de fide & resurrect. & lib. 5.

nihil magnum. Sed homines ſemel interibunt, quibus Arabiæ de reſurrectione ſecuris. Vult ergo Tertullianus Phœnici ipſas ſacras litteras teſtimonium dare. Certè illud Iob: *Dicebamq́: In nidulo meo moriar, & ſicut palma multiplicabo dies;* Septuaginta verterunt; *& ſicut Phœnix multiplicabo dies.* Accedit ad hæc teſtimonia rationis ſimilitudo. Quippe & bombyces fiunt è vermibus. *Hi eruca ſunt. Fit deinde, quod vocatur bombylis, ex ea necydalus, ex hoc in VI. menſibus bombyx. Telas araneorum modo texunt ad veſtem luxumq́ feminarum, quæ bombycina appellatur. Bombycas & in Coo inſula naſci tradunt, cupreſſi, terebinthi, fraxini, quercus florem imbribus decuſſum terræ halitu animante. Fieri autem primò papiliones paruos nudoſq́, mox frigorum impatientia villis inhorreſcere, & aduerſum hyemem tunicas ſibi inſtaurare denſas, pedum aſperitate radentes foliorum lanuginem in vellera. Hanc ab his cogi ſubigiq́ vnguium carminatione, mox trahi inter ramos, tenuari ceu pectine. Poſtea apprehenſam corpori inuolui nido volubili. Tum ab homine tolli, fictilibusq́ vaſis tepore & furfurum eſca nutriri: atque ita ſubnaſci ſui generis plumas, quibus veſtitos ad alia penſa dimittit.*

c. 23. Auguſtin. l. 4 cap. 20 de anima. Tertull. lib. de reſurrect. Iob. 29. 18.

Plin. l. 11. nat. hiſt. cap. 22. & ſeq.

mitti. Quæ verò cœpta sint lanificia, humore lenteſcere, mox in fila tenuari iunceo fuſo. Vt ergo hîc ex verme fit auis, & ex aue rurſus vermis, mirabili naturæ in ſe redeuntis circulo, cur non idem poſſit fieri in aue vitâ digniore? quid enim nobilius, Bombyx, an Phœnix? Hæc talia pro Phœnice cauſſam agunt.

§. III.

Phœnicis ætatem & vrbem fabuloſam eſſe.

Mihi tamen longè ſecus videtur, nimirum vel Phœnicem omnino non eſſe, vel, ſi eſt, non talem eſſe, qualis deſcribitur, & paſſim putatur. Nam in primis, quis, tempore Romanorum, quingentis annis vixit, vt Phœnicis annos numeraret? Deinde etſi prima mundi ætas Macrobios tales habuit, immò & qui octingentos etiam annos excederent, vnde illi, ſi poſt quingentos annos Phœnicem denuò viderunt, ſcire potuerunt, eundem eſſe, & non alium, quem ante tot annos aſpexerunt? Fateor, in prouerbio eſſe, vt longæui *Phœnicis ætatem viuere* dicantur; num idcirco Phœnix quingentos annos, &, vt alij fabulantur, cum Ioanne Tzetze (qui id

ex

ex Chæremone Ægyptio sacrarum litterarum scriba constanter affirmat) sex & septem annorum millia viuit, quia Nestor plurimos vixit, cui Homerus tres attribuit ætates? Audierat quidam litterarum studiosus, seu scholasticus, apud Hieroclem, cornicem, (quippe ni & coruum?) trecentos annos perdurare. Emit ergo, vt veritatem experiretur; quasi & ipse trecentos annos victurus. Tales mihi videntur & isti exploratores naturæ, qui temeritate sua quingentos Phœnicis annos metiuntur, non quinquaginta victuri. Quantò illis plùs credendum est, quàm qui aiunt pubentis hominis ætatem nouies vinci à cornice, cornicis ætatem quater à ceruo; cerui ter à coruo, & denique corui nouies à Phœnice? quis harum inter se, bestiarum annos & vitam potuit computare? quis eas vnà aluit, aut posteris tradidit alendas? Nam de aue hac sex aut septem annorum millibus viuente, nimis palpabile est mendacium, cùm neque ipse hic Mundus adhuc tam diu durauerit, neque fortasse etiam tam diu sit duraturus. At *probatum est* ait Solinus, *quadraginta & quingentis eam durare annis?* vnde probatum

Homer. Odyss. 3.

Plin. l. 7. cap. 48.

Solin. Polyhist. c. 36.

batum est? *rogos suos struit cinnamis, quos prope Panchaiam concinnat, in Solis vrbem strue altaribus superposita?* Vnde mors, & vita eius, & tota ætas tabulis publicis annotata sciri potest, & *Cornelius Valerianus Phœnicem deuolasse in Ægytum tradit Q. Plautio, Sexto Papinio Coss.* Ex his quæro, quo volârit Phœnix, & vbi se renascens restaurârit antè, quàm Heliopolis conderetur? An eò vsque nullus senescens casiâ, thurisque surculis alibi construxit nidum, repleuitque odoribus, vt super emoreretur? Si tunc alibi denatus & renatus est, cur, post eam vrbem conditam demum, ad hæc altaria astringitur? an non vnum casu eò deuenisse, ceteros alibi vitam posuisse credibile est? Quæro iterum, an nullus interimi à fortiore bestia, aut perimi iaculo potuerit venatoris? Si enim mortalis est, occidi potuit. Si occisus aliquis fuit, & *vnica semper auis est*, vnde posteri eius repullulârunt? Certè ipsi authores, qui id affirmant, valde dubitant. Plinius enim, vbi dixit: *Allatus est in vrbem Claudij Principis censura, & in comitio propositus* (Phœnix) *quod actis testatum est*, mox adiecit, *sed quem falsum esse nemo*

Plin. Nat. hist. l. 10. cap. 2.

Plin. loc. cit.

nemo dubitaret. Esto igitur, multi sint, qui dicant; esto tabulis publicis sit annotatum, tamen etiam quod *actis testatum est, falsum esse*, Plinij ætate, *nemo dubitauit.* Herodotus de eodem loquens, ita scribit: *Eum aiunt (quod mihi non sit verisimile hoc excogitare) ex Arabia proficiscentem in templum solis gestare patrem myrrha obuolutum, & in eo templo humare.* En vt dissentiunt narratores, neque *verisimile* autumant, quod ipsi memorauerunt. Ælianus certè de longa Phœnicis ætate loquitur ita. *Horum quingentorum annorum tempus impletum sciunt Ægyptiorum valde pauci, & hi Sacerdotes; & quidem inter se conuenire non possunt de his, & contendunt, vel quod nunc, vel inposterũ hæc diuina auis veniet; vel quòd iam oportebat eam venisse.* Tanta apud ipsos Aegyptios huius auis est incertitudo. Quid quòd & diuinam eam esse oportet? *Nonne sapientia est*, ait idem, *Phœnicem auem scire vbi Aegyptus est? vbi Heliopolis, quò ipsi definitum est venire? & vbi aliquando pater conditus sit? & in quibus loculis?* Et esto, viam nôrit, quæro tamen, si Heliopolim Phœnici venire necessum est, & in templo Solis ex se ipso renasci,

Ælian. de hist. animal. lib. 5. cap. 56.

renaſci, quò iam, hoc noſtro tempore, volet, vt funus, & ex funere pullus fiat, cùm neque templum, vrbs ſolis ampliùs extat? Certè meritò dictum eſt, Heſiodum *fabulosè multa de hominum æuo, reliqua fabuloſiùs in Phœnice & Nymphis retuliſſe.* Nam & ortus animalis perfectiſſimi, &, vt deſcribitur, elegantiſſimi, non ex ouo, ſed ex cinere, ex verme, ſine ſemine; & ſingularitas ſine compare; & ætas, ſiue ſolares, ſiue lunares tot annos credatur viuere; & veniendi modus, & ſe ipſum interimendi per flammam ratio ac locus naturæ repugnat.

§. IV.

Semendæ, & Phœnicis refutatio.

Nicol. de Comitib. A Fabrica del mundo.

Qua de cauſſa fabulis etiam aſcribendum eſt, quod Nicolaus de Comitibus tradit, in vlteriore India, auem eſſe, cui *Semenda* nomen, trifido roſtro, ſentientem mortis ſuæ horam, eâ enim propinquâ, deferre ligna in nidum ſuum, cantillareque ſuauiter, atque alarum percuſſione incendere ligna, ipſaque illo igne conſumi, indeque vermiculum gigni, qui poſtea in auem creſcat. Ab Phœnice hæc ſumta, quis non videt? auem calore ignis non

non cruciari, quis credat ? cruciari autem, & nullis catenis alligatam, non profugere, quis sibi persuadeat ? Nempe iam & in bestijs Laurentios & Apollonias habebimus? Pulchrè B. Maximus monachus & Martyr fabulosam hanc auem his argumentis refutauit: *Quòd si auis est Phœnix, etiam animal sit omnino necesse est; quòd si animal esse concedis, primùm non omninò potest illud esse singulare, quantum saltem animal est; nullum enim solum animal. Deinde si animal est, vtiq; corpus animatum simul, & sensu præditum. Iam si corpus est animatum, & sensu præditum, certè etiam generationi, & corruptioni obnoxium erit. Ipsos, si libet, sapientes consule, rerum, quæ existunt, inspectores, fiérine possit, vt generationi quod obnoxium est, atque corruptioni corpus animatum item, ac sensu præditum, singularis esse naturæ (ad existentiam quod attinet) possit? cùm aliorum in his ex alijs successio euidentissimum sit existendi iudicium, certissimusq; terminus, quemadmodum id scriptura sacra ipsa testatur, iustè illi Noëmo huius rei certitudinem exhibens, vbi Geneseos septimo ait: Ingredere tu & omnis &c. itemq; ex omnibus volatilibus, &c. in quibus si Phœnix, quòd*

alatum ille sit animal, numerandus est, sanè singularis quoad existentiam naturæ non est, vt Deus ipse pronunciauit.

§. V.

Qualis concedi possit Phœnix?

Ob has, vel similes causſas existimo, neque ab Aristotele, in illis, quos de animalium generatione ac historia conscripsit libris, neque à Diodoro Siculo eruditissimo, neque à diligentissimo Strabone, qui de Ægypto, de India, deq; earum regionum animalibus multa memorijs hominũ reliquerunt, facta est vlla Phœnicis mentio. Quare & ego censeo, vel Phœnicem in rerum natura nullum esse, vel si vllus est, non esse vnicum, sed plures, non generari ex cinere & verme, sed ex ouo, non viuere tot sæculis, quantumuis sit longæuus, neque se ipsum in rogo comburere, sed vel casu, vel ætate fessum emori, more auium ceterarum. Denique quòd tam rarò videatur, degere illum in locis inaccessis, atque inde tam rarò apud alias nationes conspici. Ad ea quæ pro Phœnice allata sunt, facilè potest responderi. Nam alia est ratio bombycis, qui est imperfectũ animal, atque ea propter facilè potest fieri ex

ri ex verme alatus. Cetera nituntur authoritate Poëtarum, & profanorum scriptorum, & S S. Patrum comparatione, qui Ethnicis Phœnicem tamquam imaginem resurrectionis sæpiùs proposuerunt, non quòd, quæ de Phœnice narrabantur, vera crederent, aut quòd ea discutere vellent, sed quia *argumento ad hominem* dicto vti voluerunt. Si enim in vulgi & Gentium opinione Phœnicis historia & resurrectio passim credebatur, quantò æquius erat credere, id hominibus non esse negandũ, quod auiculæ Arabicæ concederetur, vt Tertullianus ratiocinatur. Hinc & hic ipse Tertullianus Phœnicem *de posteritate monstrosum* vocat; & S. Gregorius Nazianzenus clarè indicat, se tantùm vti ea ratione aduersus illos, qui Phœnicem rediuiuum credunt; ait enim: *Quòd si etiam cuiquam fidem facit hic sermo &c.* Et S. Augustinus de eodem loquens: *Si tamen, vt creditur, de sua morte renascitur.* Denique ipsi, vt vidimus, profani scriptores pleriq; trepidè, aut dubitanter de Phœnice tam incredibilia, & à naturæ legibus abhorrentia recensuetunt. Locum illum ex Iob allatum, vulgatus noster Bibliorum textus, quem

Iob. 20. Concil. Tridenti Sess. 4.

sequi debemus, non *Phœnici*, sed *palmæ* tribuit; non enim ibi *Phœnix*, sed *palma* legitur. Quia etsi ibi Iob agat de resurrectione mortuorum, illam tamen etiam *palma* significat, quæ & ipsa habet ex se renascendi potestatem. Septuaginta autem interpretes, *Phœnicem* posuerunt, quia cùm hæc vox, tam auem, quàm *palmam* significet; illi vsi sunt ea significatione, quæ Græcis, in quorum gratiam sacra ipsi vertebant volumina, mortuorum resurrectionem, secundùm vulgarem ipsorũ de Phœnice sententiam, magis aperiret, vt doctè aduertit Franciscus Ferdinandus de Corduba, qui hanc quæstionem fusè est prosecutus. Atq; hæc de portentosis ignium; nunc ad quædam aquatica monstra examinanda veniamus.

Fran. Ferdinan. de Corduba. in Didascal. multiplici. cap. 7.

§. VI.

Scyllas esse rem fabulosam.

In aquis monstra non omnia sunt ficta, quæ à Poëtis celebrantur. Fictum est, quod aiunt de *Scyllis* duabus, quarum vna Nisi, altera Phorci filia, illa in auem, hęc in maris monstrum mutata sit. De vtraque ita canit Naso.

Ouid. l. 1. *Filia purpureos patri furata capillos,*

Puppe

Puppe cadens celsa facta refertur auis.
Altera Scylla maris monstrum medicamine Circes
Pube premit rabidos, inguinibusq; canes.

de arte. Vide eũdem l. 8. Metam.

Etsi enim olim *respiciens vxor* Lot *post se, conuersa est in statuam salis,* Deo prohibitam curiositatem puniente, non tamen eadem est veneficis potestas homines mutandi in saxa. Et quamuis eadem fingatur in fabulis, multa tamen non sunt conuenientia. Scylla enim saxum est ingens, aut rupes in mari prominens, quæ procul visentibus muliebrem formam imitatur, & in quam illisi fluctus, quoniam & luporum eiulatum, & canum latratum videntur imitari, finxerunt illam Poëtæ à pube huiusmodi feris succinctam esse. Quantam oportet fuisse puellam, quæ in tam magnũ saxum induruit, vt inde totum fieret promontorium in Peloponneso? Idem de Charybdi voraciſſima femina in mare præcipitata judicium est: non enim femina in eiuscemodi monstrum versa est, quod adhuc pristinam seruet formam: sed cautes muliebri figura absorbet ea, quæ illi fiunt

Gen. 19. 26.

Strabo lib. 6.

propinqua, & circa Taurominitanum egerit littus; ea res fabulæ locum dedit. Si femina in eiusmodi cautem fuisset commutata, non tantùm eam grandem fuisse, sed etiam immane quantum os habuisse oportuisset, quo totæ naues absorberentur.

§. VII.

Variæ de Sirenibus opiniones.

Potest huic similis videri fabula de Sirenibus, in aues mutatis, quibus tamen, vt Poëta canit,

Ouid. l. 5. Metam. *Virginei vultus, & vox humana remansit.*

Etsi enim hæ videntur ad aërem pertinere, quia dicuntur inferiorem corporis partem volucrum auium, & superiorem ad formam humanam effictam habuisse, tamen aliter picturæ docent, aliter ipse Ouidius his versibus scribit:

Ouid. l. 3. de art, *Monstra maris Sirenes erant, quæ voce canora*
Quaslibet admissas detinuêre rates.

Harum vna voce, altera tibijs, alia lyra cecinisse, & primò iuxta Pelorum, pòst in Caphareis insulis finguntur habitauisse, quæ illectos suo cantu in naufragia deduxerint,

xerint, quippe dum ex omnibus cantilenis eas excogitarent, quas pro cuiusuis ingenio iucundiores fore putauerant, vt ita homines nauigantes demulcentes in profundissimum somnum traherent, sopitosque vel vnà cum nauibus in scopulos alliderent, vel in mare detractos necarent. Has qui Acheloi fluminis & Calliopes Musæ filias in eiuscemodi monstra versas credit, credere etiam potest, Æneæ naues in Nymphas abijsse. Itaque alij quidem cum Dorione in libro de piscibus censent, Sirenes meretrices in littore habitantes fuisse, apud quas famæ fortunarumque suarum naufragium fecerint, qui harmoniæ suauitate capti ijs non vitatis ducti sunt ad extremam egestatem, verè in Sirenum scopulos illati. Alij aiunt, itidem vt in Scyllæis saxis, sonum fabulæ ansam præbuisse, è procellarum insultu resonantem. Huius opinionis est Archippus, scribens, loca quædam maritima in præruptorum montium angustias contracta, & velut testudinata fuisse, in quæ illisi fluctus sonum cum suauitate & harmonia emittentes, præternauigantes ad visendum allicerent; quò cum appulissent, vndarum impe-

Archipp. lib. 5. de Piscib.

Natal. Comes lib. 7. Mythолog. cap. 13.

impetu delati, absorbebantur. Qua de caussa: *Illud primùm ridiculum videtur*, ait Natalis Comes, *fuisse vmquam aliqua animalia, quæ fuerint è duabus tam diuersis formis composita, vt altera pars esset piscis, altera hominis, cùm neutrum horum animalium in aquis & in sicco viuat.* Accedit & illa ratio eorum, qui docent, fieri non posse, vt ex humana & belluina specie homines nascantur; quia istiusmodi effecta sequuntur deteriorem partem suæ caussæ. Sed profectò experientia hîc aliud fateri cogit, cùm certò constet, ex congressu hominis & bestiæ sæpius biformes partus prodijsse. Fieri enim potest, vt caussa partialis nobilior ita efficacitate sua prævaleat supra minùs nobilem, vt trahat effectum ad suam speciem. Quare in eo euentu, non necesse est, vt effectus sequatur deteriorem caussæ partem, sed tunc demum, quando vtriusque vis & concursus par est; aut quando deterior vincit. Illud autem Comitis argumentum, quòd neque homo in aquis, neque piscis in sicco viuat, perspicuè refutatur ab amphibijs. Non enim rana solùm jam supra, jam infra aquas, jam etiam in ipsa ripa degit, sed castores etiam & lutræ,

lutræ. Et lutra quidem corpore velut porcino piſcem habet appendicem. Aiunt & phocas exire in littora, & alios piſces euolare in altum. Quare ratio illa neminem mouere debet; poſſunt enim & Sirenes, quà hominis ſpeciem exprimunt, extra vndas os efferre, & quà piſcium ſquamis teguntur, aquis immergi, atque more cygnorum circumnatare. Quamquam igitur ordinariè exiſtimandum non ſit, ea monſtra, quæ ſemihomines & ſemibeſtiæ dicuntur, aut homines eſſe, cùm non conſtet, ex humani ſeminis permiſtione prodijſſe, nec videatur ſaltem vt plurimum ea permiſtio ad id ſufficere; aut partim belluas eſſe, partim homines, (cùm impoſſibile ſit, duas naturas completas in vnam ſpeciem coaleſcere) poſſunt tamen reuera eſſe bruta alicuius certæ ſpeciei, licet effigie vtramq; ſpeciem imitentur.

Conimb. in libr. 2. Phyſ. c. 9. q. 5. art. 3.

VIII.

Sirenes omnino in rerum natura eſſe.

Itaque tot experientijs, complurium oculatorum hominum grauiſſimis teſtimonijs adductus, etſi quæ de Sirenibus in immenſum auxerunt Poetæ, fabuloſa duco, Sirenes tamen viuere in mari non du-

bito, quacumque tandem animalium specie censeantur. Capitaneus Ioan. Schmid in nauigatione anni 1614. quam ipse cum *noua Anglia* oculatus testis descripsit, sequentia habet. *Non possum hoc loco silentio præterire admirabilem Dei creaturam, quam An. 1610. ipse hisce meis oculis vidi. Accidit vt aliquando, aurora primulùm pungente, in littore non procul à portu S. Ioannis me consistente, summa celeritate adnataret monstrum marinum. Eximia illi erat forma. Oculi, nares, aures, genæ, os, collum, frons, & totus vultus virginem venustissimam præ se ferebant. Capilli cyaneo colore per humeros defluxêre. Hoc monstrum, cùm vix longioris hastæ spatio à me famuloq; meo abesset, ita me perterruit, vt referre pedem cogeret. Sed & ipsum aspectu nostro perterritum aquas subiuit. Paulò tamen post denuò emersit ibi, vbi ego appuli. Rursus igitur datum est mihi illud intueri, quamquam distantia longiore. Videbatur igitur à capite vsque ad vmbilicum vel esse homo, vel hominis imago, ea autem quæ ab vmbilico deorsum erant, piscem repræsentabant. Hoc ipsum etiam prodigium inde ad illam nauem se transtulit, in qua alter meus seruus Guilielmus Hacobrigde, nunc orientalis*

Io. Ludouic. Gottfrid. in historia Antipod. part. 1. pag. 193.

entalis Indiæ capitaneus, erat. Postquam ad nauim accessit, omni vi conatum est in illam conscendere; qua audacia omnes, qui nauem custodiebant, in formidinem sunt dati. Quare fudibus contisq; illud percutientes in mare repulerunt. Tantæ autem erat pertinaciæ, vt repulsum ad alias duas naues nando properaret, atque inibi etiam territos vectores in fugam conyceret. Huius rei se, & quam plurimos alios oculatos testes profitetur nauigationis illius Capitaneus. Quis hîc non potuisset dicere,

Emersêre feri canenti è gurgite vultus
Æquoreæ monstrum Nereides admirantes?

Catull. de Nuptijs Pel. & Thet.

Scio, dici posse, fuisse laruam ex Orco; sed habentur alia exempla, vt illius Sirenis, quæ in Hollandiam ducta manibus fila ducere, nere, aliaq; similia hominum operibus facere didicit, & multis argumentis ostendit, se laruam non esse.

§. IX.

An dentur pisces fossiles?

Inter alieni elementi habitatores numerandi sunt pisces qui *fossiles* appellantur. Maximi prodigij loco, inter alia, narrat Liuius, *In Gallico agro, quà induceretur aratrum*

Tit. Liu. l. 42. hist.

aratrum, sub existentibus glebis, pisces emersisse. Vidi ego ipse etiam varij generis pisces è rupibus erutos, sed qui lapideserent. Et fossiles, in quibusdam terris inueniri pisces, vnde cuniculorum, aut talparum more extrahantur, Leonicenus, Ioan. Camers, & Casaubonus affirmant. Ac ne res noua putetur, habet antiquos authores. Nam siue Theophrastus, siue Aristoteles ipse, in libello de mirandis auditionibus, ita loquitur. *Circa Babylonis rigua decedentibus fluuijs in cauernis aqueis hebetes pisces nonnullos remanere, proditur, quos inde exire ad pabula pinnulis gradientes crebro caudæ motu, contraq; venantes refugere in suas cauernas, & in his obuersos stare, ac sæpenumero viros aliquos eorum cauernas ingredi, ipsosq; irritare aiunt. Illorum autem capita ranæ marinæ proxima extant, reliquæ partes gobijs, branchiæ ceteris piscibus.* Et cap. seq. *In Heraclea, quæ in Ponto est, & in Rhegio defossos pisces innasci legitur, qui iuxta amnes aquatilesq; regiones incolunt. Cùm verò certo tempore hæc exsiccantur, exarescuntq; in terram iter contendunt. Postea autem, terra magis desiccata, humorem insectantes ad siluam confugiunt. Postremò verò hac*

Leonic. Variæ hist. l. 2. 15. & l. 3. cap. 12. Camers in Solinũ c. 56. Casaub. in Strabon. Aristot. lib. de mirand. cap. 69. Plin. l. 9. nat. hist. cap. 9.

rò hac arefacta, adhuc in humore perseuerant, quemadmodum animalia, quæ in latebris remorantur. Cùm autem eos effodiunt, antequam aquarum successio eueniat, motu demum corporum ipsos viuere approbant. Ac rursus seq. cap. *Apud Paphlagoniam, effossos ex altis scrobibus pisces oriri asserunt, virtute quidem præstantissimos, in locis, vbi nullæ propè restagnant aquæ, sola tellure vitam illis suppetente.* Eadem prorsus retulit Plinius: eadem alij attigerunt.

§. X.

Fossiles pisces à Seneca non rectè esse negatos.

Seneca tamen hæc, vt fabulosa, videtur ridere, dum scribit: *Multa tibi, hoc loco, in mentem venêre, quæ vrbanè, in re incredibili, fabulosèq; dicas: Non cum retibus aliquem, aut cum hamis, sed cum dolabra ire piscatum. Expecto, vt aliquis in mari venetur. Quid ejs autem, quare pisces in terrã non transeant, si nos maria transimus? Permutabimus sedes.* Sunt & argumenta, quæ pisces hos tollunt è medio, vt non nemo arbitratur.

Senec. Natural. qq. lib. 3. c. 17.

1. *Quo pacto pisces ibi generentur, vel eò per terras penetrent?* 2. *Cùm nullum animal extra suum viuere possit elementum, ad longiusculum*

Francisc. Ferd de Corduba, in Didasc. cap. xi.

sculum tempus, quomodo illi pisces naturam suam exuant, vt extra aquas viuant? 3. *Quia credibile est, pisces respirare, qua via aer ad eos ingreditur, vt eos refrigeret?* Respondeti potest, Senecæ rem hanc incredibilem fuisse visam & fabulosam, alijs autē compluribus veram. Vni neganti centum testes opponuntur, cui credas? Quin & ipsum Senecam Senecæ obijcio, qui si non *fossiles*, saltem subterraneos pisces reperiri ipse affirmat. *Sed, vt ad propositum reuertar*, ait, *accipe argumentum magnam vim aquarum in subterraneis loculis fertilem fœdo situ piscium. Si quando erumpit, affert secum immensam animalium turbam, horridam aspici, ac turpem, ac noxiam gustu. Certè cùm in Caria, circa Myndum vrbem talis exilisset vnda, perière, quicumque illos ederant pisces, quos ignoto, ante eum diem, cælo nouus amnis ostendit. Nec id mirum, erant enim pinguia, & differta, vt ex longo otio corpora; ceterùm inexcitata, & in tenebris saginata, & lucis expertia, ex qua salubritas ducitur.* Quid si hæc sub terris vnda fuisset exsiccata, nonnè pisces inibi vel viui, vel mortui mansissent?

Senec. Nat. qq. l. 3. c. 19.

§. XI.

§. XI.

Quo modo pisces fossiles sub terram venire possint?

Nam vt allatis rationibus satisfiat, si 1. quæritur: *Quo pacto pisces ibi generentur, vel eò per terras penetrent?* Ex illo ipso vel Aristotelis, vel Theophrasti libello de mirandis auditionibus responsum accipimus; ait enim. *Circa Liguriam, in Massilienſium agro stagnum quoddā reperiri asserunt, quod ebullire, ac aquas superfundere aiunt, tantamq; piscium copiam eijcere, vt nec credere dignum sit. Cùm verò Etesiæ efflant, terræ pulueremsuper se obducit, eumq; talem illic procreat, vt superficiem eius, ceu solum firmet. Ceterùm indigenæ tridente id interrumpunt, & quotquot pisces voluerint, promtè excipiunt.* Quod si hoc testimonium vacillat, ob illa verba: *vt nec credere dignum sit.* Strabonem audiamus: *E Pyrena fluunt Roscyno*, ait, *& Illybernis, vterque vrbem habens cognominem. Roscynoni etiam lacus est propinquus, ac paulò supra mare locus aquosus, plenus salinarum, is etiam fossiles habet mugiles; vbi enim duos aut tres pedes foderis, immmisso in aquam limosam tridente, configere licet piscem eum iustæ magnitudinis, is alitur limo sicut anguillæ.*

Aristot. lib. de admiranda audit. c. 87.

Strabo. lib. 4. Geographor.

Certè

Poly. l. 34. histor. Athen. lib. 8. c. 1.

Certè vt nemo negare potest, pisces à glacie, tempore hiemali, intercipi, ita proteruum est, inficiari, pisces ab arenis aut limo obrui. Ita Polybius, *planitiem esse*, inquit, *post Pyrenem, ad Narbonem, vsque fluuium, per quam Illybernis, & Roscynus ciuitates à Celtis conditas eiusdem nominis alluentes defluunt, in qua pisces sint effossi. Habet autem hæc planicies terram exolutam, multumque gramen innatum. Subter terra est sabulosa ad duas vel tres vlnas, sub qua aqua inuenitur, quæ à fluminibus aberrauit, in qua pisces sub terra discurrunt per riuos ipsos cibi gratia: quia graminis radicibus mirum in modum delectantur, totam planiciem idcirco pisces subterranei occupârunt, quos excauantes capiunt.* Hæc Polybius. Et apud Athenæum, Democritus: *Opus est autem*, inquit, *vt vos etiam pisces, effossos dictos, in obsonium parum capiatis, qui nascuntur in Heraclea, & apud Tium Milesiorum coloniam; de quo scribit Theophrastus. Hic idem Philosophus de piscibus, in glacie, per hiemem compactis, qui non priùs sentiunt, aut mouentur, quàm in ollas coniecti coquantur. Illud proprium est, quòd præter hos, ijs piscibus accidit in Paphlagonia, qui effossi dicuntur: nam in*

pro-

profundum, in ijs locis excauari, inquit, quæ neque fluuiorum, neque calidarum aquarum habeant fluxus, pisces q3 ibi viuos inueniri.

§. XII.

An, & quomodo pisces extra aquam viuere, & respirare possint?

Sed hinc nascitur altera quæstio, Quomodo hi pisces extra suum elementum viuere; & tertia, Quomodo intra terram respirare possint? Ad tertiam facilis est responsio. Si enim (vt aduersarij volunt, & se demonstrare putant) certius est, pisces omnino non respirare, nullo aëre ad respirandum indigent. Quòd si autem sub glacie suffocati pisces ostendunt, illos aëre indigere, multa dici possunt. Nam sicut vrinatores spongiam oleo imbutam in os indunt, quando sub aquis sunt; ita sæpius vidimus carpionem, panis bolo imposito, diu extra aquam viuere: si ergo illis spongiæ oleum pro aëre, huic panis bolus, pro aqua esse potest, cur non & frigida terræ gleba id pisci præstare queat? Deinde: *Quidquid est*, ait Plinius, *hoc certè minùs admirabile facit talparum vita, subterranei animalis, nisi fortè vermium terrenorum & piscibus natura est.* Plin. l. 9. Nat. hist. cap. 57. Siue ergo aëre opus est

piscibus, possunt in terræ cauernis tantundem habere, quantum talpæ; siue vermium more, suo se succo refrigerant; non necesse est illos terræ insertos statim extingui. Vidi ego præstantem medicum, qui cùm viperam triduo suspendisset, & suffocatam arbitrans, superinfuso vndiq; gypso, eius lineamenta in modulo exprimere vellet, dissecto, post aliud triduum, jam indurato gypso, prosiliente bestia viua, ac sibilante, & carcerariũ suum quærente, periclitatus est. Vidi & ipse viperam, è gypsato sepulchro rediuiuam. Cur non & pisces ad eundem modum aliquamdiu viuere, sub terris possent, qui alioqui diu satis, sine vlla respiratione sub aquis degunt? Denique esto, nihil ibi aquarum, nihil succi, nihil sæpe etiam sit alimenti, facilè concedo, plurimos emori, & in lapides indurescere; quod etiam ipsis plantis, fruticibus & herbis contingit ab arenâ interceptis paulatim lapidescente. Tales pisces, frutices, herbulas in saxis fissis, prope Kelhemium in Bauaria inuentas, mihi olim in Rorensis cœnobij bibliotheca mõstratas memini; quamquam vtique monstratas loco monstri. Est enim non solùm incon-

inconsuetum, sed etiam naturæ ordini aduersum, vt extra aquam degant pisces, aut vt piscatio in terris institui possit; sicut esset, si aliquis in mari venaretur. Hæc de aquaticis monstris, quæ in dubium vocantur.

§. XIII.

An sint in terris Monocerotes.

Terra quoque fertur alere quasdam portentosas, vel quasi portentosas bestias, quas quidam negant in rerum natura inueniri, & fabulis permixtas rapiunt in quæstionem. Talis bestia est Monoceros, de quo D. Ambrosius ita scripsit: *Cornua quomodo posuit vnicornuum, requirendum, cùm ipse vnicornuus inter generationes ferarum, vt periti aiunt, non inueniatur.* Reddit hoc animal suspectum, quòd passim pro fabula habeantur ea, quæ SS. Patres commodè in similitudinem adhibentes recensuerunt. *Rhinoceros iste,* ait S. Gregorius, *qui & Monoceros in Græcis exemplaribus nominatur, tantæ esse fortitudinis dicitur, vt nulla venantium virtute capiatur, sed sicut hi asserunt, qui describendis naturis animalium laborioſa inuestigatione sudauerunt, virgo ei puella proponitur, quæ venienti sinum aperit, in*

S. Ambr. lib. 11.

S. Greg. l. 31. Moral. c. 13.

quo ille omni ferocitate postposita, caput deponit, sicq; ab eis, à quibus capi quæritur, repentè velut inermis inuenitur. Idem ijsdem pænè verbis refert Isidorus. Verùm, si idcirco non existere in mundo bestiam aliquam negandum est, quia de ea aliquid refertur fabulosum, neque asinum, neque canem, neque ranam, aut alias bestias plurimas existere oportet, quia de illis Phryx ille multa excogitauit fabulosa. D. Ambrosius secutus est aliquorum opinionem, qui ob fabulas adiunctas, & quia neque authores, neque experientiam habuerunt, ipsam etiam censuerunt negandam veritatem. Quod persæpe contingit, vt quæ vera sunt, fidem amittant admixtione falsi. Ceterùm etiam Monoceros à Rhinocerote differt, quorum ille cornu in fronte, iste in naso gerit, & descriptione vterque discrepat. Quamquam igitur ea, quæ oculis nostris obuia non sunt, difficulter credant imperiti, tamen haud existimare debemus, alijs regionibus concessa non esse, quæ nostris sunt negata. Non vidit Europa monocerotem, vnicorne animal? at vidit Asia. Et testatur Albertus Magnus, Romæ quoque à Pompeio eiuscemodi animal in spectaculo

Isidor. l. 12. orig. c. 2.

Albertus Mag. l. 12. de anim.

ctaculo productum, cum elephanto congressurũ, cornu ad saxum limauisse. Quòd si Germania nostra animal hoc numquam vidit, vidit tamen cornu illius, expertaque est, contra omnia venena, vim habuisse. Testes porrò quàm plurimos licet adducere; vt sunt, præter S. Gregorium & Isidorum à nobis citatos, Strabo, Plinius, Solinus, Ælianus; & recentiores. Marcus Paulus Venetus plurimis in locis reperiri vnicornu affirmat, apud Tartaros, in siluis regni Mien, in regno Indico Guzzerat, quod confine est Malabarico: præcipuè verò, in regno Basma Iauæ maioris, frequentissimè autem in Regno Lambri eiusdem insulæ. Ludouicus Barthema Bononiensis magnorum itinerum descriptor oculatus testis, Petræ cognominis Arabiæ ciuitatis (vulgò Meccha Bellonio) Machometis pseudoprophetæ patriæ magnificentissimũ commemorans templum, hæc de monocerote tradit: *Ex altera templi parte cors extat muro cincta, in qua duos vidimus monocerotas, qui miraculi loco ibi ostenduntur.* Subscribunt his Ludouicus Cadamustius, Nicol. de Comitibus, Ioan. de Hese, in suis Itinerarijs. Strabo certè agens de India, scribit,

Strabo l. 15 Geographi. Plin. l. 8. c. 21. Solin. c. 65. Ælian. l. 16. de animal c. 20. M. Paul. Venet. l. 2. cap. 43. lib 3. c. 28. l. 3. c. 12. eod. l. 3. cap. 15. Ludou. Barth. l. 1. cap. 17. Itinerarij

Strab. loc. cit. scribit, *Equos ibi vnicornes reperiri ceruinis capitibus.* Paulus autem Iouius agens de regno Gogiano, quod supra Nili ortum, in extrema pænè Africa, situm est, altissimis montibus, ac densissimis siluis immanium omnis generis belluarum plenis abundans, ita loquitur: *Idem affirmant de monocerote, quod animal vnicorne à nostris appellatum, pulli equini forma, colore cinereo, iubata ceruice, hircina barba, bicubitali cornu armatam frontem præfert, quod lauore candoreq; eburneo, & pallidis distinctum spiris, ad obtundenda habetandaq; venena mirificam potestatem habere dicitur. Cornu enim immisso, & per lymphas circumducto, fontes expiare perhibent, vt salubriter viuat, si inde viroſæ bestiæ præpotârint. Id viuo animali non detrahi, cùm vllis insidijs intercipi nequeat. Cornu tamen sponte decisum in desertis reperiri, vt in ceruis accidere videmus, qui exsenectæ vitijs renouante natura, vetus cornu exuunt, venantibusq; relinquunt. Hoc cornu regijs impositum mensis, toxica si qua sint epulis indita, emisso statim admirabili sudore conuiuis prodere narrant. Ex his duos vidimus bicubitales, brachiali ferè crassitudine: primum Venetijs, quod postea senatus Solimano Turca-*

Turcarum Imperatori dono misit: alterum pari prope magnitudine, sed præcisa cuspide argenteæ basi insertum; quod Clemens Pontifex Massiliam profectus, pro insigni munere ad Franciscum regem detulit. Ad tot scriptorum testimonia accedit diuina authoritas. Quorsum enim Dauid dixit? *Salua me ex ore leonis, & à cornibus vnicornium humilitatem meam,* sunt enim vnicornes indomitæ bestiæ, multisq; bestijs ferociores. Rursum: *Et dilectus quemadmodum filius vnicornium,* qui dum iuuenculus est, ob speciem insignem amabilis est. Iterumque: *Et exaltabitur sicut vnicornis cornu meum;* id est, potentia, gloria, felicitas mea crescet in altum, non sicut fragile fœnum, sed vt cornu vnicornis animalis in fronte vnicum quidem, sed excelsum & valde robustum cornu gerentis. Quamuis enim cornu hoc Solinus tantùm *pedum quatuor,* vti & Isidorus, esse dicat, Plinius tamen *cubitorum duûm,* at Ludouicus Barthema *trium fermè brachiorum* longitudine esse affirmat: nempe pro magnitudine ætatis. Alludens ad hanc belluam etiam Isaias ait: *Et descendent vnicornes cum eis.* Tam crebra vnicornium mentio in diuinis litteris non vide-

Psal. 21. 22.

Psal. 28. 6.

Psal. 91. 10.

Solin. cap. 65. Isidor. lib. 12. Orig. c. 2. Plin. l. 8. cap 21.

Isa. 34. 7.

tur de fabulis sumta. Pertinebat autem huc de hac quoque bestia quærere, quia, tamquam rarior, & ipsa vulgò potest pro monstro haberi. Quin disertè Vincentius ait: *Monoceros est monstrum equino corpore, ceruino capite, cauda suilla, pedibus elephantis, mugitu horrido, &c.* quid magis potest esse monstrosum?

Vincent. in spec. l. p lib. 19. cap. 91.

§. XIV.

Bestias quasdam raras monstra videri.

Pleraque, de Pyrali, Phœnice, piscibus fossilibus, & Monocerote dicta, ostendunt, has bestias, ob raritatem, aut inusitatum duntaxat nascendi viuendiq; modum, censeri prodigiosas; nisi quòd, quæ Vincentius de multiformi monocerotis natura tradit, veram eam belluam monstrum esse probent. Vtrùm autem ea se ita forma habeat, est eorum pronunciare, qui viderunt. De Sirenibus difficilior est quæstio: possunt enim esse, vel non esse, *effectus naturæ, qui deuiat à recta consuetaq; secundùm speciem dispositione;* propius vero est, vera monstra esse; alioquin enim & Satyros, & Faunos, & centauris natos liceret dicere, eos *à recta consuetaq; secundùm speciem dispositione non deuiare*, cùm tales sint

sint, quales fuêre, qui eos genuerunt. Sunt enim, qui in India, & Libya, totas opinentur insulas Satyris & Sphingibus occupatas.

§. XV.

An, & Quid sint Sphinges?

Porrò, quia Sirenibus aliquo modo pares sunt Sphinges, libet etiam de illis disputare. Talia enim monstra extitisse, conijcitur 1. Quia non solùm alibi passim pinguntur, verùm etiam Romæ aliquot Sphinges marmoreæ ex Ægypto allatæ, in Capitolio, monstrabantur. 2. Quia Ægyptij sapientissimi olim Sphinges ante templa posuerunt. 3. Quia Octauius Augustus Sphinge loco signi vsus fuit; sicut alij aquilæ, leonis, draconis effigie. Quemadmodum ergo hi verorum animalium, non fictorum, figura vsi sunt; ita quidam putant, Imperatorem signum suum non à fabulis traxisse. 4. Quia Pierius scribit, se tale monstrum vidisse, cuius etiam hæc sunt: *Nascuntur, apud Troglodytas Æthiopes, forma haud ei dissimili, qua pinguntur, fusco pilo, mammis in pectore geminis: monstro similes. Sunt etiam paulò pinguiores. Naturam habent in cicuratione admodum procli-*

Pier. Valer. lib. 6. cap. 30. Hieroglyphicorum.

uem, pluribus exercitijs disciplinisq; aptam. Vnde 5. fertur etiam Sphinx monstrum Thebanum fuisse facie virginea, alas & vngues habens, Harpyiarum instar, quod insidens scopulo viæ immınenti, insolubilia ænigmata transeuntibus proponebat; quæ cùm soluere non possent, ex improuiso veniens alis & unguibus ad se eos in rupem trahebat, & præcipites dabat. Apollodorus ait, *Sphingem ex Echidna & Typhone parentibus ortam, Thebanis ab Iunone immissam. Hanc muliebri facie ac pectore, pedibus ac cauda leoninis, & auis pennis præditam fuisse, quæ cùm à Musis ænigmata didicisset, in Phyceo monte consederit, deq; iis vnum Thebanis proposuerit.* Auſonius Sphingem in hunc modum descripsit.

Apollod. lib. 3. de deor origin. & ex eo. Phil. Camer. 1. cent. c. 71.

Auſonius in Griphoternario.

Terruit Auſonium volucris, leo, virgo, triformis
Sphinx, volucris pennis, pedibus fera, fronte puella.

Hæc si omnia in trutinam conijciantur, partim vera, partim inuoluta, partim sunt fabulosa. Fabulosum est, Sphingem ænigmata proposuisse; inuolutum, aliquid monstri latuisse; verum, Sphingem aliquã bestiam esse, licet non talem, qualem picturæ,

cturæ, sculpturæ, statuæ vel Romanorum, vel Ægyptiorum, aut Apollodorus, vel Poëtæ descripserunt. Quæ sub ænigmate, aut silentio seruari voluerunt antiqui, ea imaginis obscuritate exprimi conueniebat. Hinc Ægyptij idcirco Sphinges ante templa collocârunt, vt mystica dogmata, præcepta & institutiones sacrę, per ænigmatum nodos procul à profana multitudine, inuiolata custodirentur, & in arcanis tantùm tractarentur. Augustus quoque, ob silentij fidem, Sphinge vsus est in litteris signandis. Ad hæc arcana significanda Aegyptij arcanam effigiem monstrosamq; excogitauerunt. Pierius antea recitatus, non tam monstrum, quàm simiam describit: neq; aliud esse Sphingem, quàm simiam existimat: cuius sententiæ etiam est Solinus, qui ita loquitur: *Inter simias habentur & Sphinges, villosæ comis, mammis prominulis, ac profundis, dociles ad feritatis obliuionem.* Hæc Solinus de Simijs. Et Pierius, *Harum ego vnam*, inquit, *Veronæ cùm essem, vidi, mammis illis & glabris, & candidis à pectore propendentibus, circumducebat eam circulator quidam Gallus, ex ignotis antea insulis recens aduectam.* Toto Solin. c. 30.

erat.

erat pectore glabello, facie & auribus humanis propioribus; dorso hispido supra modum; fusco & oblongo admodum pilo, eoq; densissimo. Rector læuum brachium, quo catenam, cui erat alligata regebat, ferrea manica obarmatũ habebat; dextera baculum gerebat, quem in faciem animalis identidem prætendens, bipedem secum ambulare, & loco etiam saltare, interdum & obgannire faciebat; multamq; hinc à spectatoribus stipẽ aucupabatur. Sunt, qui dicant in Libya, & Africa ob inopiam aquæ, tamquam siticulosis regionibus, è longinquo, bibendi gratia, diuersi generis animalia in vnum congregari, & inibi, è varia seminum mixtura, varias quoque, subinde animalium formas generari: quæ tamen formæ, in illis terris, quia incolis propemodum familiares sunt, non adeò prodigiosæ habentur. Si aliud nihil sunt quàm simiæ, monstra non sunt; si formis permiscentur aliarum bestiarum, eximi non debent de numero monstrorum. Hæc de veritate Sphingis; in cuius fabula aiunt, inuolutum esse illud, quod Palæphatus in hac historia exponit. Cadmus, vxorem Sphinga habens Amazonida, Thebas profectus est: vbi interfecto Dracone, regno potitus

Apud Lil. Girald. in Ænigm.

potitus est, ducta vxore Harmione, Draconis sorore. Id Sphinx iniquo animo tulit. Quare, seductis nonnullis ciuibus Sphincium occupauit, incursionbibusq; ac insidijs, quæ à Thebanis indigeno sermone ænigmata dicuntur, Cadmum ipsum, & qui illum sequebantur, infestauit. Tandem, proposito præmio, ab Oedipo superata fuit. Hic fabulæ nucleus, hæc est origo. Quamquam postea etiam, ob Megarensium mores, homines lasciui & molles, immò & meretrices, populari conuicio, *Megaricæ Sphinges* dicebantur.

§. XVI.

An dentur in rerum natura Centauri, Hippocentauri?

Pingi, & apparere aliquando Centauros, Hippocentauros, Onocentauros, Satyros, similiaq; duplicis naturę monstra, notissimum est; esse autem in rerum natura valde apud authores dubiũ est. Vtrumque è D. Hieronymi verbis licet intellige- S. Hieron. l. epist. 1. re, qui, in vita Pauli primi eremitæ, Magni-Antonij describens iter, hæc habet. *Nec plura his. conspicit hominem equo mixtum, cui opinio Poetarum Hippocentauro vocabulum indidit; quo viso salutaris impressione signi ar-*

gni armat frontem, & Heus tu (inquit) quanam in parte hîc seruus Dei habitat? at ille barbarum nescio quid infrendens, & frangens potiùs verba, quàm proloquens, inter horrentia ora senis blandum quæsiuit eloquium, & dextera protensione manus cupitum indicat iter, & sic patentes campos volucri transmittens fuga, ex oculis mirantis euanuit. Verùm hæc vtrùm diabolus ad terrendũ eum simulauerit, an (vt solet,) eremus monstrosorum animalium ferax, istam quoque gignat bestiam, incertum habemus. Dubitat etiam Ælianus, dum in hunc modum describit: Onocentaurum quisquis vidit, non incredibile ducit, quod fama peruagatum est, Centauros fuisse, neq; fictores, atque pictores in eorum descriptione errasse. Verùm siue reuera fuerint, siue omni cera flexibilior, & ad fingendum habilior fama illos finxerit, prætereo. De Onocentauro quidem mihi nunc est animus explicare, quæ auditione & fama accepi. Eum ipsum homini ore, & promissa barba similem esse; & simul collum, & pectus humanam speciem, similitudinemq; gerere: mammas distantes ex pectore pendere: humeros, brachia humanam figurã habere: dorsum, ventrem, posteriores pedes asino persimiles esse: & quemadmodum asinum,

Ælian. l. 17. cap. 9. de histor. animal.

num, sic cinericio colore esse: imum ventrem leniter exalbescere: duplicem vsum ei manus præstare, nam celeritate, vbi sit opus, eæ manus præcurrunt ante posteriores pedes. Ex quo fit, vt non ceterorum quadrupedum cursu superetur. Ac vbi rursus habet necesse vel cibum capere, vel aliud quiddam tollere, qui antea pedes essent, manus efficiuntur. Tumq; non graditur, sed insessione quiescit. Animal est graui animi acerbitate. Nam si capiatur, non ferens seruitutem, libertatis desiderio ab omni cibo abhorret, & fame sibi mortem consciscit. Hæc de Onocentauro Pythagoram narrare testatur Crates ex Mysio Pergamo profectus. Dubitat etiam, apud Xenophontem Chrysantes. Ita enim legimus: *Quo fit vt maximè ex omnibus animalibus adamem Hippocentauros, si fuerunt; qui tum hominis vterentur ante rem consultandi prudentia, & manuum artificio, tum haberent equi & velocitatem, & vires.* Et postea. *Itaque hoc sanè melius est, quàm Hippocentaurum esse natũ; Hippocertauros enim arbitror multis carere bonis, quæ ab hominibus sunt inuenta, vt ijs scilicet est vtendum: multis item carere voluptatibus equis innatis, quonam pacto ijs frui oportet. At ego si equitare didicero, cùm in equo*

Xenoph. lib. 4. de Cyri pædia.

equo fuero, agam scilicet, quæ Hippocentauri sunt: cùm ex equo descendero, & cœnabo, & induar, & me quieti dabo, quemadmodum alij homines. Quare quid aliud sim futurus, quàm diuisus Hippocentaurus, ac rursum compositus. Insuper his etiam rebus Hippocentaurum anteibo. Nam ille duobus prospiciebat oculis, duabusq; auribus audiebat: at ego oculis quatuor coniectabo, & quatuor auribus præsentiam. Aiunt enim equum manifestare hominibus multa, quæ oculis prospcit; ac multa significare auribus; quæ antè auditu percepit. Quibus verbis alludit ad Poëticæ fabulæ originationem. Dum enim Poëtæ veritates quasdam fictionibus inuoluerunt, quædam in monstris ponentes, historias fabulis reddiderunt suspectas famosasque. Sic, quia *frenos & strata equorum Peletronius inuenit; pugnare ex equo Thessali; Centauri appellati sunt habitantes secundùm Pelium montem.* Neque aliam ob caussam Bellerophon Pegaso alato vectus fingitur, quàm quia fræno inuento equum celerrimè in omnem partem inflectens Chimæram interemit, vt tradit Pindari interpres. Thessalorum ergò, apud Poëtas, cognomen ab effectu ductum erat, vt

Plin. l. 7. hist. c. 56. Natal. Com. l. 9. cap. 4.

Centauri

Centauri nominarentur. Quia enim equestres eorum turmæ procul aspicientibus, & infrà formam equorum, & suprà manus vultusque hominum exhibebant *centauris* similes, *centauri* vocabantur. Sed vnde eam similitudinem hauserunt, si nulli vspiam fuêre centauri?

§. XVII.

Vnde probabile fiat, Centauros esse?

Credibile igitur valde est, dari eiuscemodi monstra, quæ quia ex parte hominis, ex parte autem equi, aut asini figura conspecta sunt, *Centauri*, *Hippocentauri*, aut etiam *Onocentauri* sunt nuncupata; tametsi enim mihi non persuadeam, vllam esse Centaurorum verorum gentem, aut populum, quæ cum Lapithis pugnet, esse tamen, aut certè esse posse eiuscemodi biformia animalia, siue ratione prædita, siue rationis expertia, non dubito, ductus auctoritate, ratione, exemplis. Neque enim Madaurensis duntaxat Philosophus eiuscemodi *semiferos* reperiri in terris affirmat; sed grauissimus quoq; Propheta Isaias vastitatem Ierosolymitanæ vrbis prædicens ait: *Et orientur in domibus eius spinæ, & ortica, & paliurus in munitionibus eius, &*

Ouid. lib. 12. Metã.

Apul. lib. 4. asini.

Isa. 34. 13.

erit cubile draconum, & pascua struthionum. Et occurrent dæmonia Onocentauris, & pilosus clamabit alter ad alterum: ibi cubauit lamia, & inuenit sibi requiem. Quid hîc aliud dicit Propheta, quàm ille Poëta:

Lucan. l. 3.

Illic semiferos Ixionidas Centauros
Fœta Peletronijs nubes effudit in antris?

Plin. l. 7. c. 3. Nat. hist,

Quod si opus est oculatis testibus, Plinium audi. *Claudius*, inquit, *Cæsar scribit, Hippocentaurum in Thessalia natum eodem die interijsse; & nos principatu eius allatum illi ex Ægypto in melle vidimus.* Meminit huius rei etiam Phlegon Cæsaris libertus, meminit & Trallianus in libello de mirabilibus & longæuis: meminerunt alij complures grauissimi authores, præter tota agmina Poetarum, Hesiodum, Homerum, Sophoclem, Orpheum, Pindarum, apud Græcos; Virgilium, Horatium, Propertium, Ouidium, Papinium, apud Latinos. Subscribunt * Ælianus & Volaterranus, dum Iani sæculo Italiæ accolam Marem describunt magni quidem nominis, si animum inspicias, virum; sin autem corpus, monstrosissimum, pube tenus scilicet hominē, reliqua

Hesiod. in Aspide. Homer. lib. 21. Odyss. Sophocl. in Trachinijs Orph. in Argonaut. Pindar. in Pythijs.

* Ælian. l. 9. c. 16, Volaterran. l. 17. Anthropologiæ.

reliqua verò equum referentem: quales & in Asia Hippopodes esse dicuntur; item & apotami, qui in aquis degunt. Ratio etiã in promptu est, cur enim non posset esse propria species animalium, cui Centaurorum, aut Satyrorum forma competeret? cur non corrupta prægnantium imaginatio, & subiti terrores tantam in partum vim haberent, vt, quod ipsi vidimus, puer, aut puella alicuius bruti membro deformatus pareretur? In Androgynis Africæ populis, mamma virilis est, & altera muliebris; immò idem homo vir est & fæmina. In Eripia homines formosi collo & ore gruino cum rostris animalium reperiuntur. Cur non posset esse talis seminum mixtura ac diuersitas, vt membrorum efficeret disparitatem? Exempla autem nonnè manifestè hoc fateri cogunt? vt enim Sirenes omittam, nonnè ex equo & asina, aut ex asino & equa nascitur mulus, qui neque equus est, neque asinus? Nonnè è cane & vulpe vulpicanes, ex lupo & cane Lyciſci oriuntur? Nonnè Cynamolgi in Aethiopia & India canina capita, hominum cetera habent, teste Solino & Isidoro? Nonnè Mela refert, Septemtrionalium

Solin. c. 43. Isid. Origin.

l. 11. Mela l. 3. c. 6. Plin. l. 7. c. 3. Plutarch. in gryllo.

quarundam insularum accolas *esse equinis pedibus Hippopodas* dictos? Ad eundem modum historici recensent, apud quosdam Indos nefanda coniugia, *mixtosq; & semiferos esse partus? Ex eiuscemodi nuptijs Minotauri nobis & Ægypanes, etiam meo iudicio Sphinges suppullulant, & Centauri,* ait Plutarchus. Nec necesse est, Obsequentem testem citare, qui memorat, Tiberio Graccho, M. Iuuentio Coss. porcum humanis pedibus & manibus natum: nostra hæc sæcula, prô dolor, eiuscemodi monstra infamârunt, non à bestijs duntaxat, sed à Stygijs etiam laruis generata, & dæmonum subinde toruissimo vultu defœdata: vt planè proteruum esse necesse sit, qui post tam multas clarasque experientias, rem hanc velit inficiari. Necesse est enim eum etiam multas hominibus à Deo miraculosè inflictas pœnas, de quibus infrà; & monstra tot oculis testibus affirmata inficiari.

§. XVIII.

Qui negent Centauros esse?

Oppugnant hanc sententiam primùm ipsi Poetæ, tum oratores; quin & historici, & Philosophi, & Medici, & Iurisconsulti: quin & SS. Patres. Addunt rationem

nem Philosophi. Lucretij enim hæc sunt:

Nam certè ex viuo Centauri non fit imago.
Nulla fuit quoniam talis natura animai. Lucret. lib. 4.

Et alibi. *Sed neq; Centauri fuerunt, nec tempore in vllo*
Esse queat duplici natura, & corpore bino
Ex alienigenis membris compacta potestas. Idem l. 5.

Argumentis deinde mox afferendis sententia sua munita, ita colligit.

Ne fortè ex homine, & veterino semine equorum
Confieri credas Centauros posse, nec esse.

Subscribit Tullius his verbis: *Is planè perspiciet, inter Hippocentaurum, qui numquã fuerit, & regem Agamemnonem nihil interesse.* Cic. lib. 1. Tusc. Et alio loco: *Etenim videmus ceteras opiniones fictas atque vanas diuturnitate exoleuisse; quis enim Hippocentarum fuisse, aut Chimæram putat?* Idem l. 2. de nat. Deor. Sic orator de his monstris loquitur. Polyhistor autem in hunc modum: *Ac ne in montes notos eamus, Pindum, & Othryn agitent, qui Lapitharũ originem* Solin. c. 13

nem prosequuntur, Ossam, quos Centaurorũ fabulis immorari iuuat. Sed Philosophi præcipuè hîc se opponunt. Nam præter Lucretium, qui Philosophis meritò debet ascribi, Seneca sic pronunciat: *Et hæc quæ sunt, rerum natura complectitur, quæ animo succurrunt, tanquam centauri, gigantes, & quidquid falsa cogitatione formatum habere aliquam imaginem cœpit, quamuis non habeat substantiam.* Maximus autem Tyrius Platonicus ait: *Hæc sunt Centaurorum fictiones. Hoc Gorgones, Geriones, Cecropes sibi volunt.* Ad Philosophos accedunt medici, Claudius Galenus inter ἀδύνατα, seu illa, quæ esse non possunt, ponit, ex hominibus & equis Magnesijs Hippocentauros nasci. Quòd si quis etiam vult testimonium habere Iurisconsultorum, Iustinianum Imperatorem audiat: cuius hæc sunt: *At si quis rem, quæ in rerum natura non est, aut esse non potest, dari stipulatus fuerit: veluti Stichum, qui mortuus sit, quem viuere credebat, aut Hippocentaurum, qui esse non possit, inutilis erit stipulatio.* Idem I. C. Celsus, Accursius & alij docuerunt. Ne Theologi desint, & SS. PP. *His temporibus,* inquit S. Augustinus, *fabulæ fictæ sunt de Triptolemo, &c.*

Senec. l. 8. epist. 59.

Maxim. Tyr. ser. 34 Galen. l. 3 de vsu part.

Institut. de inutil. stipulationib. §. 1.

l. Si ita stipulatus 97. in pr. D. de verbor. oblig.

de

de Minotauro &c. de Centauris, quòd equorum hominumq; fuerit natura coniuncta.

§. XIX.

Respondetur Centaurorum oppugnatoribus.

His authoribus authores à nobis suprà citatos; & oculatos testes oppono. Vnicus è Poetis (qui tamen potiùs Philosophus est) Lucretius negat, alij omnes vnanimi voce aiunt. Quòd si in similibus exigua est fides Poëtarum; historicos habemus. Habemus & Medicos, & Iurisconsultos, qui eiuscemodi biformes fœtus in nefandæ libidinis puniendæ argumentum traxerunt. Habemus & Theologos, qui disputant, an, & quando talis partus pro gemino animali, aut homine solo, vel bestia sola, habendus, alendus, vel baptizandus sit? Senecam non moramur, qui eodem loco cùm ponat *Centauros, Gigantes, & quidquid aliud falsa cogitatione formatum habere aliquam imaginem cœpit*, ansam nobis præbet, qua contra illummet vtamur. Si enim eadem est ratio Centaurorum, quæ Gigantum, ita nobis licet ratiocinari: Sed Gigantes reperiuntur, ergo & Centauri. De gigantibus diuinæ litteræ affirmant.

Henric. Gandauu quod l. 6. q. 14. Couarru. l. 4. c. 2.

Gen. 6. 4.

Diluuij enim tempore *gigantes erant super terram.* Et post diluuium fuerunt. *Emim, populus magnus & validus, & tam excelsus, vt de Enacim stirpe, quasi gigantes crederentur.* Et paulò infrà de terra, quæ à Deo filijs Lot assignata est: *Terra gigantum reputata est: & in ipsa olim habitauerunt gigantes, quos Ammonitæ vocant Zomzommim, populus magnus, & multus, & procere longitudinis.* Saph quoque fuit *de genere gigantum.* Neq; Goliath Philisthæorum Polyphemus paruus fuit. Vidimus denique & ipsi Gigantes, quos qui cum Seneca nullos vspiam esse putat, est in credendo nanus. Sed superest præcipua ratio, ob quam Artemidorus Daldianus, alijque Philosophi existimant Centauros, & Hippocentauros, & quæcunque monstra plurium specierum formas præ se ferentia, esse mera somnia & Chimæras. Fieri enim non potest, duas naturas completas in vnam speciem coalescere, aut vnum animal partim bestiam, partim hominem, hoc est, rationis particeps & expers esse. Atqui hoc non dicimus. Neque enim in Satyro, vel Centauro admittimus naturæ, sed figuræ duntaxat duplicitatem. Quid referat, membra aliqua informis

Deuter. 3. 11.

Ib. v. 20.

2. Reg. 21. 18.

1. Reg. 17. 4.

Artemid. Dald. l. 2 de somnior. interpret. cap. 49.

formis partialibus errare, si reliqua & præcipua sint humana? Cur anima humana, quæ potest corpus hominis regere sine omni pede, aut etiam ligneo pede, non possit etiam vti pede pedem caprinum imitante, aut equinum? Vel ergo solùm erit homo eiuscemodi monstrum, sed ob alienos pedes, monstrosus; vel solùm bestia erit, sed ob humana quædam membra, itidem monstrosa; ex ijs quæ agit dignoscenda. Quamquam igitur non nego, sæpe, qui Centauri, Satyri, Fauni putabantur, malos dæmones fuisse, qui talium monstrorum corpora induerunt, vt homines terrerent; vera tamen eiuscemodi animalia existere posse, semper profitebor. Illud certè monstrum, quod D. Hieronymus scribit S. Antonio in eremo apparuisse, cùm dicatur locutum fuisse, bellua esse non potuit; debuit ergo vel dæmon, vel homo fuisse. Quod esse posse neq; S. Hieronymus negauit, neque D. Augustinus refutauit; qui cum alijs SS. Patribus & Iurisconsultis, ac Philosophis aliud nihil voluit reijcere, quàm hæc monstra prout à Poëtis describuntur, duas naturas, videlicet humanam & equinam, simul comple-

ctentia, quarum vna fœno, altera vino gauderet: neque opus duplici ventre, & stomacho, aut quadruplici pede, cùm, vt suprà ex Æliano docuimus, Onocentauri manibus loco pedum nitantur, quando celerandum est. In hanc sententiam etiam scribit Franciscus Ferdinandus de Cordoua. Qui post Delrium, hæc pleraque copiosiùs disputauit. Verùm his affatim probatum est, gigni monstra; nunc cur ea vel à natura gignantur, vel ab authore naturæ gigni sinantur inquiremus.

Franciſc. Ferd. de Cord. in Didaſcal. Multipli. ci. cap. 8. Delrius Coment. in Herculem Oeteum Senecæ.

CAPVT III.

Iniquas hominum de Monstris & monstrosis querelas compescit ex eo, quòd monstra & monstrosi sint Dei opus, & eorum irrisores diuinitus puniantur.

§. I.

Murmurationes, & querelæ contra monstra.

DVplex iniuria est, si quis inde contumeliam patitur, vnde laudari merebatur. Quare & illi gemina pœna digni sunt, qui Deum in operibus suis non solùm laude

laude nulla afficiunt, sed etiam murmurando blasphemant. Hanc ob caussam, meritò illis, qui denario diurno non contenti murmurauerunt, iratus paterfamilias dixit: *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Vnusquisq; ob proprium suum peccatum damnatur*, ait S. Basilius, *ita & qui murmurauerint, ob murmurationem. Verùm sæpe alij alia de caussa murmurant. Nam hi quidem propterea murmurant, quòd, vnde ventrem suum distendant, non habent (vt qui gulæ præter modum dediti sunt, & ventrem faciunt Deum suum) illi verò, quòd in pari honore habeantur cum nouissimis, in quo apertè indicant suam inuidiam, quod vitium multis in locis solet scriptura coniungere homicidio. Alij præterea alia de caussa.* Qualis caussa est, si parentibus non conceditur, quod optant; immo si datur, quod horrent, pro pulchra prole deforme monstrum. Nam eiuscemodi monstrosum partum, in alijs rebus, vt plantis, & bestijs miramur, miseramur in hominibus; neq; satis sibi suam infelicitatem deplorare posse videntur parentes, si sobolem nacti sunt, non iam caprinis pedibus, more Satyrorum; aut *Semiuirumq; bouem, semibouemq; virum*; sed

Matth. 20. 15. S. Basil. in reg. breu. q. 63

sed vel brachio carentem, vel naribus destitutum, vel aure truncatum, vel plures digitos in manibus singulis habentē: qua-
2. Reg. 21. 20. lis *in Geth vir fuit excelsus, qui senos in manibus pedibusq; habebat digitos, id est, viginti quatuor, & erat de origine Arapha.* Quin immò, si vel de materna imaginatione, purpuream in fronte notam, aut in genis nigram maculam frago, moro, aut pruno flagrantiùs appetito similem gerat, quanta est solicitudo corrigendi? quantæ, contra Naturæ errorem, immò contra ipsum Naturæ authorē querelæ existunt? quasi Deus ad illorum imperium, non ad suæ sapientiæ voluntatem fœtum in vtero fingere debuisset. Mallem, inquiunt, nullum filium habuisse, quàm non integrum; mallem filiâ caruisse, quàm quæ visu, auditu, aut linguæ vsu careret. Quis ducet cæcam, nisi puer baculo trahens viarum monstratore? quis surdam non dicet absurdam? quis elinguem non comparabit cum milite, qui non habet ensem? aut cum barbito, quod caret plectro? Quot liberi in lucem prodeunt, instar Midę, auriti; aut manibus vncis, ad modum Harpyiarum; aut cute pilosa, tanquam Simij,

aut

aut Paniſci; quæ non lamenta funduntur? quanto pudore erubeſcunt parentes, cognati, affines? quid non excogitant amici, ad occulendum, in perpetuos carceres includendum, vel ſæpe etiam omninò è medio tollendum tam informem partum? Nota eſt ciſtella viminea Mineruæ, quæ Eriſichthonem clauſit. Multò autem impatientiùs illi ipſi ferunt ſuam monſtroſitatem, qui ſic nati eam cognoſcunt. Si enim quædam puellæ, ob ruffum capillitium, quædam ob luſcum oculum, quædam, quòd ſint nec minimo naſo,

Ouid. l. 2. Metamorph.

Nec bello pede, nec nigris ocellis,
Nec longis digitis, nec ore ſicco,
Nec ſanè nimis elegante lingua,

Catull. epigr. 44.

Naturam & Naturæ Dominum identidem accuſant, quid facient, ſi barba mentum veſtiat, non in munimen virginitatis, ſed in coniugij impedimentum? Si dentem os exerat aprinum? Si effigiem bufonis in fronte ſedentem circumferat? ſi ſtrumam effundat vſque ad vmbilicum? Nam dentem aureum in ore enatum, vt noſtra ætate factum eſt, faciliùs quis tolerârit. Philippus Macedo, Annibal Carthaginenſis, Sertorius Hiſpanus, ac Ziſca Bohemus vnoculos

Kranzius Vand. lib. 12. cap. 33.

oculos se fuisse, vehementer doluerunt, tametsi non à natura, vt Arimaspi, sed ab euentu tales essent. Ita & alij dolent, qui sibi à natura nouerca cum caussa deformitatis, caussam quoq; doloris datam fuisse arbitrantur, & querelarum.

§. II.

An, & quo modo Deus sit author Monstrorum?

His in remedium sciendum est, etsi monstrum, quia teste Aristotele, *dissimile quiddam est, & obliquum ac læsum*, sit vitium naturæ, ob aliquod impedimentum, à fine suo, deficientis; atque adeò licet caussa impedita per se non tendat in monstrum, tamen ratione Dei, qui rerum omnium euentus & prouidentia sua præuenit, & sapientia disponit, nulla monstra fortuitò aut casu euenire. Tametsi igitur, cùm illa generantur, caussa impedita & particularis dicatur à suo scopo deflectere, (cupit enim bos vitulum, non autem agnum generare) illiq; effectus fortuitus esse; tamen Deus suo non frustratur, qui & in monstris est glorioſus. Sicut enim Indi ex ipsis etiam inter se se colligatis cucurbitis ratem conficiunt, qua flumina traijciunt: ita

Aristot. 4. de Generat. animal. c. 3.

Io. Lud. Gottfrid. in hist. Antipod. part. 1. pag. 14.

ita & Deus è viliſſimis rebus effectus producit pretioſos. Hinc cum cauſſa tam impedita, quàm impediente ſimul concurrens abſolutè efficaciterque vult generari monſtrum. Neque enim omnium particularium cauſſarum fines abſolutè, ſed conditionatè duntaxat deſtinat; ſi ſcilicet non aliunde impediantur. Nam ſi impediantur, ad earum ſe confluxum, naturas, modumque accommodat; & vnà cum circumſtantijs, immò cum rebus circumſtantibus operatur. Hinc ſicut ex tauro & vacca taurus; ita ex tauro & Paſiphaë Minotaurus prodit, prima cauſſa concurſum ſuum æquè ad vnum, atque ad alterum effectum non denegante, vt vniuerſalis prouidentiæ ordinem ſeruet, qui non ſolùm exigit, vt Deus vim det cauſſæ impeditæ, ſed etiam vt virtutem agendi cauſſæ impedienti non ſubducat, atque adeò, vt, ſinat fieri, non quod ab vna ſola, ſed quod ab vtraque ſimul poteſt fieri; vel certè, quod fieri poteſt à cauſſa præualente, vt poſt, D. Auguſtinum, D. Thomas perſpicuè declarauit. Eleganti rem ſimilitudine explicat Boëtius. Nam quemadmodum lineæ à centro ductæ omnes circumferentiæ ambitu

S. Auguſt. lib 38 qq. q 24.
S. Thom. 3. cont. gent. c. 90.

bitu continentur, neque vlla exorbitat; quacumque parte tendatur; (si enim in hoc peripheriæ punctum non incidit, in aliud necessariò incurrit) ita in hoc vniuerso, si quidpiam à præscripto sibi ordine particulari discedit, in alium ordinem redit vniuersalem. Itaque etsi non intendat monstrum natura particularis, intendit tamen natura vniuersalis, intendit ipse Deus, qui caussam impeditam & impedientem, non sine sapienti consilio, sinit concurrere. *Quisquis vspiam nascitur homo, id est, animal rationale mortale,* inquit D. Augustinus, *quamlibet nostris inusitatam sensibus gerat corporis formam, seu colorem, siue motum, siue sonum, siue quamlibet vim, qualibet parte, qualibet qualitate naturæ, ex illo protoplasto vno originem ducere nullus fideliũ dubitauerit.* Monstrum ergo si ipse fecit, bene fecit, quia *omnia bene fecit.* Summus quippe est artifex, qui etiam in ipsis naturæ erroribus non potest errare: &, quæ deformia sunt, nouit conuertere in pulchritudinem Vniuersi, sine iniuria cuiusque. *Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cuiusquã: quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter illi cura est de omnibus.*

1. p. q. 103. a 7. & q. 22. a. 4. Boet. l. 4. de consolat. pros. 6

S. Augustin. l. 16. ciuit. c. 8.

Sap. 6. 8.

§. III.

§. III.

Monstra, tanquam Dei opus, non esse carpenda.

Atque hoc solum sufficit, ne monstrosè nati, vel lamentando, vel queritando, cum Iob, dicant: *Quare de vulua eduxisti me? qui vtinam consumtus essem, ne oculus me videret. Fuissem, quasi non essem, de vtero translatus ad tumulum.* Nam quicumque nouit Deum esse suum Plasten, non potest eum erroris accusare, infinitè sapientem. Olim *plastæ laudatissimi fuêre Damophilus & Georgasus*, quorum opera nemo audebat carpere; & summi artificis opus aliquis Momus audebit reprehendere? *Figulus mollem terram premens, laboriosè fingit ad vsus nostros vnumquodq; vas, & de eodem luto fingit, quæ munda sunt in vsum vasa, & similiter, quæ his sunt contraria: horum autem vasorum quis sit vsus, judex est figulus.* Ad quem locum alludens ait Apostolus: *O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit: Quid me feciſti sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Assonat & Isaias, qui & malè contentis istis eiusce-

Iob. 10. 18.

Plin. l. 35. cap. 12.

Sapient. 15. 7.

Rom. 9. 20.

Isa. 45. 9. modi fulmen intorquet: *Væ qui contradicit fictori suo, testa de Samijs terræ: numquid dicit lutum figulo suo: Quid facis, & opus tuũ absque manibus est? Væ qui dicit patri: Quid generas? & mulieri: Quid parturis? Hæc dicit Dominus sanctus Israel, plastes eius: Ventura interrogate me, super filios meos, & super opus manuum mearum mandate mihi. Ego feci terram, & hominem super eam creaui ego: manus meæ tetenderunt cælos, & omni militiæ eorum mandaui.* Qui ergo stellas in cælo lucentes, qui cælum ipsum & terram condidit, pro suo arbitratu; & lutum potest fingere hominemque adeò ipsum ad suam voluntatem. Sic optimè factus est, sicut eum Deus fecit.

Non bene vasa suo faciunt conuicia fabro.

§. IV.

S. Gregorij Turonensis solatium breuitatis, Deus author.

Hæc cogitatio S. Gregorium Episcopum Turonensem & placatum tenuit; & apud S. Gregorium Magnum, vtilissimo exemplo defendit. De quo in vita eius, hæc Surius. *Sexdecim annos hic in Episcopatu exegerat, cùm æquinoctio eius ille Magnus Gregorius*

Sur. 17. Nouem. tom. 6.

gorius, in sede Apostolica subrogatur, siquidem opinata res est, quòd dudum alter alteri peculiari sit amicitia deuinctus. Nec immeritò tamen hunc Fortunatus Gregorio comparat Nazianzeno, tamquam ille datus sit Orienti, Romensis Meridiei, ast hic noster occidenti. Cùm igitur sacra Apostolorum limina expetîsset, magna cum reuerentia sanctus eum Papa excepit. Quem ad B. Petri confessionem introducens à latere constituit, præstolans, quò assurgeret. Interim autem (vt erat ingenio profundissimus) secretam Dei dispensationem admirans, considerabat in huiusmodi hominem (erat enim statura breuis) tantam gratiam cælitus profluxisse. Quod ille mox diuinitus persentiens, & ab oratione surgens, placidoq; vt erat, vultu, ad Papam respiciens: DOMINVS, inquit, FECIT NOS, ET NON IPSI NOS; IDEM IN PARVIS, QVI ET IN MAGNIS. Cumq; id suæ cogitationi S. Papa responderi cognosceret, ipsa sua deprehensione gauisus, gratiam, quam hactenus in Gregorio mirabatur, in magna veneratione deinceps habere cœpit; Turonicam ita nobilitauit, vt auream ei cathedram donaret, quæ, apud præfatam vrbem, in posterum seruaretur. Aliter sæculum iudicat. Nam, teste Plutarcho, Plutarch. De instit.

tuend. liberis & in Agesilalo.

Ephori regi Archidamo multam dixerunt, quòd pusillam statura vxorem ducere sustinuisset, addito elogio, *Quòd non reges ipsis, sed regulos dare deliberasset: ὁ βασιλέας, ἀλλὰ βασιλίδια.* Et certè natus ex eo coniugio Agesilaus pusillus fuit, & specie Græcis aspernanda. Qua de causa moriens interdixit, ne quis effigiem suam fingeret pingeretúe. HabetMundus aliquam staturæ & maiestatis corporis rationem: sed qui Mundum contemnunt, & irrisores ridere didicerunt, etiam in corporis breuitate diuinum quoddam beneficium agnoscunt.

§. V.

Roberti Bellarmini Cardinalis heroicum responsum.

Clypeus est hîc & gladius, quo & defendere nos possumus, & hostem offendere, nos ad impatientiam, ob eiuscemodi corporum defectus, impellentem. Nam & qui credit, se esse opus Dei, sat magnam habet ab opifice nobilitatem, qualiscumq; ipse sit; neque Momus ille, tam hominem, quàm opificem hominis reprehendit, qui alterum, *Masculum*, aut *Musculum*, *formicam*, aut *Gryllum* appellat. Vsum hoc clypeo

clypeo Cardinalem Robertum Bellarmi- Iac. Fuligatt. l. 4. vitæ Bellarm. c. 4.
num, refert Iacobus Fuligattus his verbis: *Si alij fortè corporis exprobrarent vitia, id pacatè admodum ferebat. Ex quo aliquando in Belgio cuiusdam proteruitas ei obiecit, quòd auriculis esset grandiusculis, eoq; ab irrisu minimè incitatus, nihil aliud, (vt olim S. Gregorius Turonensis) vsurpauit, quàm verba illa:* IPSE FECIT NOS, NON IPSI NOS. *Iterum cùm in scripto quodam legeret, haud se futurum Pontificem, quia simplex nimium videretur, ad paginæ marginem ascripsit:* FELIX SIMPLICITAS, QVAE ME A TANTO ONERE LIBERAVIT. Magna itaque solatij causſa est quocumque corporis vel animi defectu genitis, meminisse, opus se Dei esse, qui omnia, quæ fecit, vidit esse *bona*, & Gen. 1. 10.
omnia bene fecit. Sicut enim figulum non accusat argilla, quæ amphora fieri cùm Marc. 7. 32.
potuisset, vrceus exiuit; ita neque Deum pumilus debet culpare, quamuis Atlas esse potuisset; neque quidquam turbari, si ab alijs non tam ipse, quàm qui fecit ipsum, ridentur. Dicat Creatori suo: *Manus tuæ* Psal. 118.
fecerunt me, & plasmauerunt me: da mihi intellectum, & discam mandata tua. Discam, quid velis, hac formâ, quam mihi manus

tuæ dederunt. Fortasse enim, vt animæ tantò maior esset pulchritudo, corpus meum deforme esse voluisti. Si non dedisti mihi, quod oculos aliorum delectet, dedisti, quod mihi & alijs prosit. *Cuius adiutor es*, ait Iob ad Deum, *numquid imbecillis? & sustentas brachium eius, qui non est fortis?*

Iob. 26. 2.

§. VI.

Sæpe sub deformi corpore pulchram animam latere.

In hanc sententiam, ait nonnemo, apud Euripidem,

Δύσμορφος εἴην μᾶλλον, ἢ καλὸς κακός.
Deformis sim potiùs, quàm pulcher & malus.

Itemq; Νῦν χρὴ σκάσασθαι. ὠδὲν τι δ' εὐμορφίας ὄφελος, ὅταν τις μὴ φρένας καλὰς ἔχει.
Animus spectandus est. Nihil pulchritudo
Iuuat, cùm quis mentem non bonam, habet,

Et sanè quemadmodum in gemmis, aut alijs lapidibus sæpenumero, sub ignobili colore, latet pulcherrima natura, sic in corpore inuenusto non rarò insignis animus tegitur. Rursumq; vt in ipso adamante po-

te potentissimum est venenum, si conteratur, ita contingit, vt formosissimus homo, mente sit prorsus virulenta. Quid conchis asperius, quid verrucosum magis? intus tamen quàm frequenter lucidissimi reperiuntur vniones? Corpus animi domicilium est. Vt ergo sæpe vilem casam subierunt reges, sic, sæpe in exiguo, aut curuo corpore rectæ animæ habitauerunt. Ostendit id in Aesopo natura, cuius animus cùm excellens esset, vultus fuit barbarus. Ostendit in Galba oratore eloquentiâ claro, sed quem gibbus ingens premebat, non secus ac si burdonem ageret, aut asinum clitellarium. In eum igitur malignè lusit M. Lælius, cùm diceret, *ingenium Galbæ malè habitare.* Nimirum, vt Aristoteles sapienter pronunciauit: *Deformes naturâ nemo reprehendit: sed eos, qui ob otium vel negligentiam tales euaserunt.* Aristot. lib. 3. Ethic. c. 5.

§. VII.

Non esse iudicandum secundùm faciem.

Quòd si illos reprehendimus, quos natura deformes fecit, illum reprehendimus, qui dixit: *Nolite iudicare secundùm faciem, sed iustum iudicium iudicate.* Quid enim de Christo judicassent illi, qui etsi alioqui es- Io. 7. 24.

Psal. 44. 3 set *speciosus præ filijs hominum*, tamen eum inter Iudæorum manus dirissima patientē
Isa. 53. 4. considerantes dixerunt: *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit: & nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo & humiliatum?* Quid de Zachæo iudicandum fuisset, qui *statura pusillus*
1. Cor. 10. 10. *erat?* Quid de Paulo, *cuius præsentia corporis infirma, & sermo contemtibilis erat?* Quem & statura improcerum, & capite caluastrum nonnulli descripserunt? Fuit sanè Africanus Scipio, fuit Iulianus Cæsar corpore celso; sed numquid illis cessit vel belli laude Alexander Macedo, vel imperij dignitate Augustus, qui ambo breues fuerunt? Pulchrius fuit Alexandrum gestis, quàm membris Magnum extitisse. Ad
Ioseph. l. 18 Antiq c. vlt. eumdem modum, teste Iosepho, Asinæus Iudæorum dux, statura parua, animo excelso fuit. Et tamen ita cæci sumus ad virtutis æstimationem, vt queramur, naturam nobiscum illiberaliter egisse, si non omnia nobis pulchra dedit, quæ in alijs miramur? immò & alios contemnimus, quos Therstes esse videmus? *Deformis specie*, ait Eustachius, *nobis inauspicatus & infaustus occurrens, minimè bonus esse creditur;*
Eustach. lib 1 Ethic. c. 6.

cùm

cùmplerique exteriorem formam corporis occulti animi signum esse iudicant. Quantum hoc judicium erret, quamque Naturæ authori vehementer displiceat, Nicephorus hac historia docet. Niceph. l. 11. Eccl. hist. c. 33

§. VIII.

Deformes Legatos despiciens Valentinianus à Deo punitus.

Ea tempestate, quòd Sauromatæ Romanam ditionem, eamq; Imperij partem, quæ ad Occidentem vergit, excursionibus vexarent, Valentinianus cum ingenti belli apparatu aduersus eos est profectus. Atque illi tantam Imperatoris expeditionem formidantes, legatis missis pacem ab eo petierunt. Quos vbi deformes esse vidisset, an vniuersi tales essent Sauromatæ, interrogauit. Et quum illi dixissent, optimos quosq;, qui & genere, & forma præstarent, ab eis legatos solere mitti: ira atq; furore multo correptus grauia se pati dixit, & maximè infortunatum esse, quòd ad tempora sua peruenisset Romanorum imperium, si Sauromatæ, gens tam barbara & informis, in qua reliquos isti excellerent, sedibus suis contenti esse nollent: sed confidentia tanta impulsi, ditionem suam percurrerent, & bellum titillatione quadam illecti Romanis inferrent. Et quum ita indi-

gnaretur, & magnopere vociferaretur, nimia vocis intentione conuulsa in eo esse interiora viscera, venamq; & arteriam quamdam ruptam dicunt, vnde sanguine plurimo profuso, vita eum reliquerit, in castello quodam Germaniæ, cui Brigitio nomen fuit, decimo septimo mensis Nouembris die, quum quinquaginta quinque propè annos natus esset, & tredecim annis imperium bene admodum & præclarè administrasset.

§. IX.

Ob corporis defectum non esse murmurandum, aut querendum.

Mirabile est, Imperatorem, & Imperatorem, qui imperium tam diu *bene admodum, & præclarè administrauit*, tam repentino interitu perijsse; & perijsse, ob dictum, quod multi iocum duntaxat arbitrantur. Sed displicet iure summo architecto, si sua opera carpantur. Quis artifex pati potest, vt illius labores reprehendantur? Apelles diutiùs sub tabula latere non sustinuit, quando animaduertit, sutorem vltra crepidam velle esse carptorem. Cur ille immensæ sapientiæ artifex ferat, creaturas suas rapi ad censuram? Et tamẽ eiuscemodi Theones quotidie reperiuntur, qui

qui non solùm belluas monstrosas clamant in mundo esse non oportere, quas meritò Deus ad eos terrendos, vel puniendos immittit; neque humana duntaxat monstra detestantur; sed ferè omnia in alijs naturæ vitia venenatis dentibus mordent, ac solatij loco, viceq; olei, acetum aspergunt. Cur loripedem vocas, cui natura non dedit vel duos, vel rectos pedes? cur Vulcanum appellas, quem vides claudicantem? Quare oculis malè affectum Cæcilium nominas? aut visu carentem talpam? Nonnè *expedit* illi, *vt pereat vnum membrum* illius, *quàm* totum eius *corpus eat in gehennam?* Tunè illum truncum audes vocare, qui brachium amisit in prælio pro patria pugnans? & pro te ipso quoque, quem aiunt nec gladium quidem nudum posse intueri? Non fœdant militem vulnera, sed exornant. In acie stetisse puta, quem vides esse sauciatum. Sed mater, inquies, illum talem genuit, non bellum fecit? Tanto maior est iniuria, si non hominem, sed naturam ipsam calumniaris: quæ si illi oculos dedisset, videret; curreret, si ab illa crura arcuata non accepisset. Potuisses & tu talis nasci. Non meruit à te

Matth. 5. 29.

conui-

conuicijs proscindi cõmunis illa mater, si erga te se exhibuit liberaliorem. Quod multò magis de Deo naturæ authore etiam dici potest, cui & ingratus es, & blasphemus. *Grauis enim, grauis, inquam, est murmurator*, ait S. Chrysostomus, *& vicinus blasphemiæ; alioqui cuius gratia illi tantum supplicium dederunt? ingratitudo est res ista. Qui murmurat, ingratus est Deo. Qui autem Deo ingratus est, blasphemus quoque.* Quòd si is murmurare non debet, qui defectu ipse laborat; quanto plus peccabit is, qui defectũ talem alteri exprobrat? O quàm pronæ sunt hominum linguæ ad maledicendum, quæ vbi maxima est materia laudandi Creatorem, ibi maximè eum contemnunt! Iuniores pueri, seniores bis pueri, illi imprudentes, isti deliri appellantur, quasi natura neque infantes, neque senes esse permittere debuisset? Quid dicam de cõuitijs nationum? non iam Sauromatas, non Scythas, non Tartaros de vultibus barbaris, de fronte verrucosa, de simis naribus vituperamus duntaxat, aut Mauros de nigra cute; sed vicinos quoque, cum quibus commercia tractamus, & fœderibus iunctos, quibus non nomi-

S. Chrysost hom. 8. in ep. ad Philip.

nominibus & agnominibus contemnimus? alijs ranas, alijs vaccas, alijs asinos, alijs porcos, alijs capros, alijs cancros, alijs alia obijcimus. Quia & regionum vitia in culpam trahuntur; alij nimis esse graues, alij nimis leues; alij iracundi, alij libidinosi, alij stupidi, alij blæsi; alij voce pingui, alij exsucci; alij strumosi; alij ex Arcadia, alij ex Bæotia, alij ex Thessalia nati dicuntur, cùm nulli sua patria probro sit. *Ex omni terra par est ad cælum via.* Fortunæ est, in hoc vel illo loco nasci; naturæ nasci cum aliquo corporis vitio, quod quicumque alteri opprobrat, ostendit se mentis vitio laborare. Enimuerò nec stupiditas mentis cuiquam est obijcienda, quēadmodum Scipio Æmilianus fecit, qui apud Numantiam iratus C. Metello dixit: *Si quintum pareret mater eius, asinum fuisse paritura.* Facetiæ sanè numquam sunt magis iniustæ, quàm quæ tangunt innocentes. Innocentes autem sunt, quibus sine sua culpa aliquid vel in corpore, vel in ingenio negauit natura. Quare nec Diogenes satis philosophicè caluo cuidam contumelijs eum afficienti respondit: *Tibi contumeliam non dico, sed capillos tuos laudo, quòd*

Eras. l. 6. Apoph.

Maxim. serm de vituper.

quòd malam effugerint caluam. Quis non ridiculam putaret talem irrisionem? Sed vide, quanti eam fecerit, Deus: cùm Eliæus in Bethel *ascenderet per viam, pueri parui egressi sunt de ciuitate, & illudebant ei dicentes: Ascende calue, ascende calue. Qui cùm respexisset, vidit eos, & maledixit eis in nomine Domini: egressiq; sunt duo vrsi de saltu, & lacerauerunt ex eis quadraginta duos pueros.* Quòd si caluitium vitio vertere adeò est graue, quantum malum erit, irridere alterius monstrositatem miseratione longè digniorem? à qua explodenda satis nos deberet terrere, quòd impium sit, Dei opus contemnere.

4. Reg. 2. 23.

CAPVT IV.

Vniuersum Monstris ornari, in Pygmæis & Gigantibus ac enormiter fortibus ostenditur.

§. I.

Rebus monstrosis, tanquam oppositis, res non monstrosas magis eluceſcere.

NE quis autem existimet, Deo causſas non esse, tales vel defectus, vel effectus naturæ Mundo infe-

inferendi, reperit D. Augustinus, & Dionysius Carthusianus quamdam in ipsa monstrorum deformitate, venustatem. Siquidem contraria se mutuò commendant, faciuntq; gratiora. Quemadmodũ ergo gratiam lucis extollit obscuritas noctis; & morbi ostendunt benificium sanitatis; vmbræq; & atri colores picturæ augent amænitatẽ; dum eminentiora quæque distinguunt, & differentiâ colorum, alternâ vice, se se excitante, opposita iuxta se posita clariùs eluceſcunt; ita & ea, quæ fœda sunt, dum res pulchras cõmendant, faciunt ad decorem atque elegantiã vniuersitatis. Qui scenicis spectaculis volunt delectare, non tantùm Gratias, sed etiam Furias, & cum aulicis rusticos in theatra inducunt. Et mulieres interpoles, vt facie candida esse videantur, nigrâ tæniâ collum inumbrant. Ad eumdem modum etiam Mundus iste visibilis non formosarum modò, sed etiam deformiter exorbitantium rerum, velut intermedijs, exornatur. Nam, præter varietatem, etiam habent ista deformia elegantium commendationem. Eò pulchriora sunt prata, quò pictiora, ipsa florum herbularumque diuer-

S. Augustin. l. 16. de ciuit. c. 8. Dionys. Carthus. lib. de venustate Mũdi. c. 9.

diuersitate gratiam conciliante. Quin & raritas quoq; habet lepôrem; & animum admiratione percellit, quidquid est inusitatum. Vnde, sicut in picturis, ita in creaturis monstrorum parerga conciliant ornamentum.

§. II.

Pygmæos ipsa deformitate sua esse gratiosos.

Igitur esto, non censeatur in se pulcher Pygmæus, qui *pede non est altior vno;* neque venustus putetur, qui Polyphemus, (quippe nemo cupit de Myrmidonum esse, aut numero gigantum; notariq; se putant, qui, per iocum, vel *Longini, vel frustum hominis, aut Abbreuiati, Grylliue* nuncupantur) nihilominus tamen hæc ipsa vniuscuiusq; deformitas, hic excessus, aut defectus vsque adeò fecit ad ornatum vniuersi; vt in Principum aulis, pumili, instar simiorum, in oblectationem alantur; & *gigantem* circumducere multis sit lucrosum. Vt enim satietas fastidium, sic raritas parit delectationem. *In Ægypto,* inquit Nicephorus, *natus est homo infrà incredibilem staturæ breuitatem consistens, sub Theodosio: ac talem quoque, nostra ætate vidi ipse.*

Niceph. l. 12. c. 37.

ipse, pro monstro habitum, quem breuis admodum staturæ mulier in lucem edidit. Ægyptius tam breuis fuit, vt perdici similis esset. Neque ingratum spectaculum erat, si cum illo globus hominum conuersaretur, & ad contentionem excitatus colluderet. Porrò, quod mirabile dictu est, prudentia ei inerat, qualis homini formoso competit; quippe cui corporis exilitas ea de re nihil ademisset. Vox à Musis non abhorrebat: sermo mentis generositatem spectandam exhibebat. Non vixit ad annos viginti quinq;. Ita tunc Deus, vel de homuncione homines rapuit in admirationem. Quod & nostra ætate præsignis ingenij & artis calchographus Callot, in monstrosissimè gibbosorum masculorum imaginibus fecit: quos incredibili lepore, cum sesquipedali naso, cum promontorio ventris, & curuitate pedum, in cœnaculis, in atrijs, in porticibus, in hortis magnates depingi iubent; & aspiciunt aduenæ cum voluptate. Potest ergò etiam in deformitate, ac in rebus minimis ars ornatusque maximus existere. Sicut autem ad sapientem architectum pertinet, non tantùm firmam, sed etiam pulchram domum extruere; ita spectat ad vniuersi conditorem

rem, Mundum, quem potentia sua produxit, sapientia variatum condecorare. Hæc supellex est tantæ domus: immò isti sunt minorum gentium inquilini; qui plerumque quò sunt corpore depressiores, eò mascula bile se se magis, supra ceteros mortales, extollunt. Siquidem paruum vas citò ebullit. Ceterùm quæ pusillorum hominum sint commoda, Gueuarra lepidè recensuit, mihi propositum est, Dei opera defendere; non dare istis occasionem superbiendi; aut iocando ludere.

§. III.

Procerus miles à pumilo, per crudelem iocum, iussus trucidari.

Laurent. Sur. Cõment rer. in orbe gestar. An. 1541.

Barbarè eiuscemodi hominum aliquem, ad oblectationem suam, adhibuit, Pesto in Hungaria recepto, Solimannus, qui *maximis vsus itineribus in Pannoniam peruenit, adductosq; ad se Christianos captiuos circiter octingentos, paucis demtis, crudeliter trucidari iussit. Erat in ijs proceræ staturæ Noricus miles, hunc in Germanorum contemptum iussit pumilioni, vix militis eius genua capite attingenti, necandum tradi. Erat hoc fœdissimum spectaculum, virum fortissimum, imbecilla nani manu, per risum & iocum, crebris*

bris ictibus humi prosterni, & agrè tandem, præ virium imbecillitate, iugulari. Huiusmodi spectaculo immanissimi Turcarum Principes sese suauiter oblectabant. Et hic quidem Solimannus id sibi iucundum esse ostendebat, vt magnum parui faceret, paruum magni æstimaret.

§. IV.

Pumilorum gratiosa paruitas.

Alij humanioribus modis oblectationem è pusillis his ceperunt. Cardanus refert, pumilionem, virum perfecta ætate, cubiti longitudine in psittaci cauea, in Italia fuisse ostentatum. Curiosè spectatam puellam, nouem annorum, & à se quoque spectatam scribit Albertus, quæ magnitudine vnius anni videretur. M. Antonius quoque ad pompæ ornatum Sisyphum pumilionem, intra bipedalem staturam, ingenio viuacem fertur habuisse. Augustus autem adolescentulum honestè natum bipedali minorem, Lucium nomine, scribitur spectaculis exhibuisse. Canopas certè in delicijs fuit Iuliæ neptis Augusti, duos pedes & palmum longus. Cuiusmodi etiam fuisse aiunt Andromedam Iuliæ Augustæ libertam. Quin hi tam parui adeò

Cardan. de subtil. lib. de Hom. necess. & forma.

Idem Card. lib. 8. de variet. rer. c. 43.

Plin. l. 7. c. 16.

sæpe magni æstimati sunt, vt etiam mortui in ipsis sandapilis spectarentur. Siquidem Manius Maximus & M. Tullius equites Romani, qui binûm cubitorum fuêre, Varrone teste, defuncti adibantur, eosque se in loculis asseruatos vidisse testatur Plinius. Et, vt idem memorat, fuerunt semipede maiores sub Augusto Pusio & Secundilla, quorum corpora miraculi gratiâ asseruata sunt in conditorio Sallustianorũ hortorum. Cur hæc non mirarentur homines, cùm Deus sæpe mirabilior sit in paruis, quàm magnis? tot enim motuum, & sensuum, & cogitationum organa in exiguum includere corpus, est maioris operæ, si res ipsa spectetur, quàm in grandem quamdam capacitatem. Quod videre est etiam in rebus artefactis: vt si quis Iliadem totam in nucem condat, vel sub muscæ ala quadrigam. Deniq; vel Ethnicus docuit, *nihil tam paruum esse, quod non gloriam parere possit.*

Ibidem.

Plin. l. 15. nat. hist. c. 14.

§. V.

Paruitas corporis, quæ in nostra potestate non est, tamen vtilis est, & aliquibus nomen fecit.

Quin sæpe etiam ipsa vel paruitas, vel defor-

deformitas parit vtilitatem. Asinius Gallus, Drusi frater vterinus, vt de eo ex Dione accepimus, etsi Claudio Augusto insidiatus esset, non tamen extremo supplicio, sed exilio tantùm multatus est; ideò, quia nec ad suum facinus exercitum parauerat, neque pecuniam contraxerat: item quòd statura minima ac summa deformitate velut monstrosus despiceretur, ridiculusque magis quàm metuendus esse videretur Rideantur sanè monstra, dummodo rideantur ad incolumitatem. Huic Asinio contemtus profuit, perijsset, nisi fuisset monstrosus. Alijs quid obfuit staturæ breuitas? quam tollere non fuit in illorũ potestate. *Quis vestrûm*, ait Seruator, *cogitans potest adijcere ad staturam suam cubitum vnum?* At ipsa breuitas nonnullis nomen fecit. Refert enim Michaël Ritius, Pipinum, qui Childerico rege fugato, ex Austrasia migrans prætorij præfectus creatus est, tam breuem corpore fuisse, vt *pusilli* cognomen illi inditum sit. Quòd si verò exiguitas staturæ alijs non nomen, tamen gratiam dedit, vt Menestrati apud Lucillium in Græcis Epigrammatis; & Faustulo apud Ausonium, qui ita in eum lusit:

Dion. lib. 60.

Matth. 6. 27.

Michael Ritius l. 1. de Francor. reg.

Fanſtulus inſidens formicæ, vt magno elephanto
Decidit, & terræ terga ſupina dedit.
Moxq; idem ad mortem eſt multatus calcibus eius,
Perditus vt poſſet vix retinere animam,
Vix tamen eſt fatus: Quid rides improbe liuor,
Quòd cecidi? cecidit non aliter Phaëthon.

§. VI.

Deum per paruos magna patraſſe.

Quàm multi nihil haberent, quod inter confabulandum loquerentur, niſi in maſculos dicta dicerent? niſi eorum vtilitates dipulo differrent, & neſcio quas non inſtituerent comparationes? Nimirum exiſtimant, eos qui parua nôrunt tangere, optimos eſſe iaculatores. Aliter judicauit Chriſtus, qui, poſtquam interrogauerunt diſcipuli: *Quis, putas, maior eſt in regno cœlorum? aduocans paruulum, ſtatuit eum in medio eorum, & dixit: Amen dico vobis, niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Quicunq;*

Matth. 18. 2.

cumq; ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic est maior in regno cælorum. Et qui susceperit vnum paruulum talem in nomine meo, me suscipit. Qui autem scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Scilicet quæ oculis apparent magna, miratur mundus. Deus autem intuetur cor. *Non enim,* Isa. 55. 8. ait, *cogitationes meæ cogitationes vestræ: neq; viæ vestræ viæ meæ, dicit Dominus. Quia sicut exaltantur cæli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à vijs vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris.* Hinc, *quæ stulta sunt* 1. Cor. 1. 27. *mundi, elegit Deus, vt confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemtibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret, vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.* Manifestè hoc mundo est de- 1. Reg. 17. monstratum, in pugna & victoria Dauidis, contra vastum illum & glorioſum militē, gigantea superbia incedentem. Quanta hinc, ô Superi, moles stetit corporis! cuius longitudinem aiunt sex cubitorum cum palmo fuisse. Cubitus autem, si rationem Græcorum sequamur, duos pedes habuit,

sin Latinorum, sesquipedem. Hæc se carnea moles lorica texit quinque millium siclorum ponderis: lanceam autem instar iugi textorij, & in hasta ferrum seu cuspidem sexcentorũ siclorum habuit. Quàm Martius fuit iste gigas? quàm ferreus homo! quàm clamosus & iactabundus Polyphemus? quàm minax terror? quàm veteranus bellator? quantis viribus hastam intorquebat? quantis passibus terram tremefecit? quàm metuendis vocibus territauit astra? At inde obuiam venit huic Herculi inermis ouium pastorculus, inidoneus armis gestandis, solo baculo, lapidibus, & funda armatus. Hunc rufum adolescentem contemsit Philisthæus. Sed mox sensit, vter fortior esset; humi deiectus, capite amputato, & in triumphum portato. Ita nimirum in maius superbi illius gigantis dedecus cedebat, imbelli adolescentis manu cecidisse. Ita res diuinis potiùs, quàm humanis viribus asceribebatur. Quid non dictum, quid non cantatum, quid non factum, qui non erecti arcus triumphales, qui non applausus, quæ non acclamationes excitatæ fuissent, si Saul rex sua ipse manu hunc gigantem

prostra-

prostrauisset? Nunc autem palàm agnitum est, *in nomine Domini* cæsum exprobratorem, fugatos hostes, victoriam obtentam fuisse. Et maior est gloria, per parvum posse patrare magna. Hoc pacto, etiam posterioribus sæculis, Edgarus Britannorum rex statura pusillus, Rinardum Scotorum regem staturæ paruitatem sibi exprobrantem ad singulare certamen prouocans, ei ostendit, virtute se, non sorte electum regnare. Et Iouius in vita Baiazetis I. refert, à Galeacio Gonzaga, statura admodum pusillo, itidem singulari certamine, superatum esse Caroli VI. regis mareschalcum Bucicaldum Gallum, hominé gigantéæ magnitudinis; qui eapropter voto se obstrinxit, arma se amplius non induturum.

Fulgos. l. 3. c. 7.

§. VII.

Num totæ sint, in terris, Pygmæorum nationes?

Tam magnus cùm sit in paruis Deus, laudandus est etiam ab illis terræ Indiæ partibus, in quibus *Spithamæi Pygmæi narrantur, ternas Spithamas longitudine, hoc est, ternos dodrantes non excedentes, salubri cælo, semperq; vernante, montibus ab Aquilone oppositis:*

Plin. l. 7. c. 2. nat. hist.

positis: quos à gruibus infestari Homerus quoq; prodidit. Fama est, insidentes arietum caprarumq; dorsis armatos sagittis, veris tempore, vniuerso agmine ad mare descendere, & oua pullosq; earum alitum consumere: ternis expeditionem eam mensibus confici, aliter futuris gregibus non resisti. Casas eorum luto pennisq;, & ouorum putaminibus construi. Scholiastes in tertium Iliados scribit eos in extrema parte Ægypti, Aristoteles in Æthiopiæ regione Troglodytica habitare, subireque cauernas, & ob eam caussam Troglodytas vocari, fabulamque esse negat, quod vulgò de statura eorum deq; pugna cum gruibus fertur. Homerus & Strabo Æthiopiæ illis partem tribuunt, Mela Arabiam. Quod quidam tradunt, eorum mulieres quinto anno parere, senescere octauo, vel, teste AlbertoMagno, *triennio gignere, octennes mori,* vt adeò breuitas vitæ breuitati staturæ respondeat, fabulam olet, cùm nos quinquaginta & sexaginta annorum pumilos spithamæos viderimus, qui etsi non probant esse certam similium masculorum & femellarum nationem; saltem euincunt, talem esse posse. Quæ si est, à Deo est ad Mundi ornatum varietatemq; facta.

Aristot. lib. 8 de hist. animal c. 12. Vide Lud. ou. Vinem in lib 16 S. Aug de ciuit. c. 8. Mela. l. 3. c. 4.

Albert. Mag. l. 7. animal. tract. 1. c. 6.

Siqui-

Siquidem *vnus est Creator omnipotens, & rex potens, & metuendus nimis*, qui sapientiam suam *effudit super omnia opera sua, & super omnem carnem, secundùm datum suum.* Eccli. 1. 8.

Igitur, quicumque vis sapere, *Iustifica pusillum & magnum similiter.* Magna sunt cæli decora sol & luna, sed minùs ornata esset illa domus beatorum, si non etiam minoribus ignibus vndique exsplendesceret. Eccli. 5. 18.

§. VIII.

Gigantéæ staturæ homines curiosorum voluptas.

Hic ornatus enormi etiam proceritate perficitur: adeò vt à satrapis multis, itidem inter exquisita, gigantes ingenti prodigalitate alantur. Omitto ceteros, infrà inferendos, hîc sufficiet *Maximilianus Cæsar*, qui, An. 1511. vt loquitur Surius, *comitia indixit, apud Augustam, vbi illi oblatus est vir quidam prodigiosæ vastitatis & crassitudinis, atq; incredibilis ingluuiei: ita vt integrum vitulum crudum, vel ouem incoctam vnà deuoraret; & tamen necdum famem expletam diceret. Ferunt hominem Borealibus regionibus ortum fuisse, vbi, ob locorum frigora, solent homines esse edaciores.* Similem refert Zonaras mulierem Thracem, sub Iustino

Surius in Cõment. An. 1511.

Zonaras in Iustino.

stino extitisse. Ad elegantiam aulæ, & curiositatem conuenarum hi gigantes erant; vti & ille, (si fabulosus non est) qui à Solino dicitur repertus *cubitorum trium atque triginta*: & illi *Indiæ populi*, qui *adeò proceri sunt, vt Elephantos velut equos facillima insultatione transiliant*. Vt autem ea præteream, quæ Thomas Fazelli αὐτόπτης scribit, de gigantibus eorumque origine, quàm multa stupendæ magnitudinis ossa in Sicilia reperta sint; neque ea huc reponam, quæ ex Philostrato alijsq; solent recenseri de gigantis cuiusdam cadauere, quod duodecim, & alterius quod viginti duorum, & tertij quod triginta cubitorũ fuisse fertur, enormitatis itidem propemodum fidem superantis: certè D. Augustinus testatur, se vidisse, in littore Vticensi molarem gigantis dentem, adeò magnũ, vt dissectus ad formam & magnitudinem vsitatorum nostra ætate dentium centuplo maior potuerit iudicari. Quare vtiq; & gigas ille, cuius dens tantus est repertus, centuplo maior fuit quàm homines, nostra ætate, vsitati. Si enim Pythagoras, *comprehensa mensura Herculani pedis, quanta longinquitas corporis ei mensuræ conueniret,*

Solin. c. 4. & cap. 25. De maiore puella vide Vincent. l. 31. c. 125.

Tho Faz. dec. 1. l. 1. c. 6. & dec. 2. lib. 1. cap de rebus Siculis.

S. Augustin. l. 15. de ciuit. c. 9.

A. Gell. l. 1. Noct. cap. 1.

ret, secundùm naturalem membrorum omnium inter se competentiam, modificatus est: atque ita id colligit, quod erat consequens; tantò fuisse Herculem corpore excelsiorem, quàm alios, quantò Olympium stadium cæteris pari numero factis anteiret: cur non, eadem proportionis ratione habita, ita in modulanda status longitudinisque gigantéæ præstantia fas esset ratiocinari? Plinius profectò ait, in Creta, dum terræ motu quidã mons disrumperetur, cadauer quadraginta sex cubitorum stans fuisse repertum, quod alij Orionis, alij Otij fuisse crediderunt. Orestis etiam corpus, oraculi iussu refossum, cubitorum septem fuisse, historici tradunt. *Iam verò ante annos propè mille*, ait idem Plinius, *vates ille Homerus non cessauit minora corpora mortalium, quàm prisca conqueri. Nœuij Pollionis amplitudinem annales non tradunt. Sed quia populi concursu panè interemtus esset, prodigij vice habitum.* Tantæ fuit, videre prodigiosè procerum, voluptatis.

Plin. l. 7. nat. hist. c. 16.

§. IX.

Gigantes esse terribiles.

Alij præter hos gigantes, sunt etiam ad vtilitatem. Talem, vt paulò priùs indicauimus,

uimus, Goliath Israëlitis Philisthæi oppo-
fuerunt, qui *stans clamabat aduersum Pha-*
1. Reg. 17. 4. *langas Israel, & dicebat eis: Numquid ego non sum* Philisthæus? Perterruit hæc vox, & ista viri armis, velut ferreo quodam monte, tecti vastitas, tota castra, quæ putabant se Stentorem audire, aut Polyphemum, immò Enceladum aliquem intueri. *Audiens* enim *Saul & omnes Iraelitæ sermones Philisthæi huiuscemodi, stupebant & metuebant nimis.* Ita metuendus erat olim Pallas Euandri filius, cuius cadauer ingentis magnitudinis, magnum habens vulnus in pectore, Romæ, tempore Henrici III. Imp. An. 1057. repertum est. Ita se se etiam metuendas exhibent vmbræ defunctorum: quæ quia longæ, vt plurimùm solent hominibus comparere, Hebræis occasionem dederunt, vt illis, velut prouerbij loco, idem esset, *apud Gigantes*, quod est, *apud mortuos.* Hinc Prou. 21. 16. legimus: *Vir, qui errauerit à via doctrinæ, in cœtu gigantum commorabitur:* Vbi *cœtus gigantum*, est cœtus mortuorum, sicut & Prou. 2. 18. vbi habet vulgatus textus: *Ad inferos semitæ ipsius:* alij ex Hebræo vertunt: *Ad gigantes.* Aiunt enim ex Glossario Philonis, dictio-

dictionem *Raphaim* gigantes sonare. Terribile ergò quiddam est gigas, si vel proceritas aspiciatur; ne dum si vires exerat. In litteris Indicis, quibus Sinarum res complexus est, memorat Melchior Nugnez Societatis nostræ Sacerdos; in Paquin, vrbe regia, portarum custodes quindecim pedes esse altos, giganteæ vtique proceritatis. Enimuerò testatur idem author, alijs litteris, An. 1555. regem Sinarum quingentos eiuscemodi gigantes alere corporis sui custodes. Quapropter vsque adeò non sine caussa creati sunt enormiter magni homines, vt non modò ex raritate pariant intuentibus delectationē, sed etiam grande, apud grandes, emolumentum largiantur. Quale & ab illo promanauit, qui à S. Maclouio ad vitam reuocatus, & baptismo tinctus mira de alterius vitæ statu aperuit. Sed hoc emolumentum naturam superauit, & alteri vitæ profuit.

§. X.

Voluptas, & vtilitas pariter de Galetio, & Ænothero giganteæ fortitudinis viris percepta.

Alij gigantes viribus corporis vtiles pariter atque mirabiles extiterunt, in quorum

rum numerum meritò veniunt illi, qui, si non sunt veri gigantes, fortitudinis tamen sunt giganteæ. Galetium, siue Galeotum (Cl. Marius Aretius Galeoctum nominat) Bardasinum Catanensem Patritium memorat Thomas Fazellus, singularibus naturæ incrementis euectum, admirabili corporis magnitudine eò proceritatis excreuisse, vt communem hominum staturam, verticesq; omnium non iam vt Saul, sed, vt Atlas quidam cælum sustentaturus, humeris superaret. Huius robustis lacertis ac teretibus membris, vniuersæq; corporis magnitudini par virium robur habituſq; adeò respondebant, vt tota eius compago, exactissimo naturæ ingenio exculta elaborataque esse videretur. In vno hoc homine, multa erant spectacula. Nam, præter excelsi corporis eminentiam, etiam alia eminebant. Nemo erat illo hastæ lapidumque iactibus prior; nemo lanceâ fortior; nemo saltu expeditior. Equo ac pede bellator acerrimus. Neque illi situs, quò minùs fortitudinis suæ experimenta ederet, officere potuit. Armatura enim ponderosa oneratus galeatusque humi stans, sinistra ephippium, dextera hastam

Cl. Marius Aretius in Siciliæ Chorographia. Tho. Fazell. lib. 3. cap. 1. de reb. Sicul. decad. prior.

stam militarem tenens strenuè saltu in equum insiliebat. Vultis aliquid ampliùs? Asinum præterea magna lignorum congerie, siue quacumque aliâ sarcinâ grauem, manibus è terra in altum extollebat. Duos insuper è robustissimis simul aggrediebatur, dumque alterum attrectaret, alterum genibus compressum vrgebat, neque antè desistebat, quàm priùs hunc, deinde illum pedibus subijciendo amborum manus post terga vinciret. Hæc ab hoc accipiebatur oculorum voluptas, ad quam accessit etiam vtilitas. Cùm Plumbinum Florentinorum, eo tempore, oppidum ab Alfonso Aragoniæ & Siciliæ rege obsideretur; à tribus hostium equitibus petitus erat Galetius: ille, vt ostenderet, membrorum robori animi quoq; decus adesse, vnum ex eis gladij capulo seminecem equo excussit; alterum citato equo medium amplexus, ephippio extractum humi prostrauit; tertium vel cubito percussum in fugam conuertit. Idem singulari certamine quater duellans, bis in Italia, bis in Gallia Transalpina, toties victor euasit. Addit Aretius, eum *ad gigantis staturam accessisse, humaniq; corporis nostræ ætatis vires excessisse;*

& tanti fuisse roboris, vt equum, sine fræno, incitatissimè currentem, transuersam trabem amplexus, coxis cruribusque ventrem eius constringens sisteret. Quod etiam de Carolo Gonzaga inter nostri temporis heroas legimus. Talis erat & Ænotherus gigas ex Durgia Sueuiæ pago oriundus, qui, vt scribit Auentinus, sub Carolo Magno militauit. Is manu tam strenuus erat, & robore tam firmus, vt hostes in modum fœni demetere, & in morem auicularum hastâ velut cuspide fixos suspendere soleret. Quanta vis est in talibus, tanta calamitas est, si dici possit: *Cessauerunt fortes in Israël.* Phryges, non Phrygiæ, in bello, exiguntur, & qui tela, non telas tractare didicerunt. Saul in regem eligendus, *ab humero & sursum eminebat* super omnem populum. Sub imperio magni Can regnum est, in quo moris est, eum eligere in regem, cui sunt prolixissimi vngues, vt scribit Monteuillanus. Putant enim magnos vngues indolis aquilinæ, & fortitudinis esse argumentum.

Auentin. lib. 4.

Iudic. 5. 7.

1. Reg. 9. 2.

Monteu. pag. 250.

§. XI.

E Gigantibus, vt ex omnibus alijs magnis rebus, Dei gloriam magis elucere.

Acce-

Accedit ad hanc vtilitatem, quòd è grandibus his diuina quoque gloria grandescat. Famæ causſa, *moles excogitatas videmus ſtatuarum, quas coloſſos vocant, turribus pares.* Præcpuæ autem magnitudinis & laudis fuerunt, apud Rhodios, apud quos maximè celebratus eſt is, qui Soli ſacer eſt habitus. Vt ab imaginis ſuæ enormitate maieſtatem ſibi faceret, ipſe Nero coloſſeũ ſe pingi iuſſit. In Ægypto ſtructuræ ex quadratis lapidibus admirandæ, & vltra omnem excelſitatem, quæ manu fieri poſſet, faſtigiatę fuerunt, pyramides dictæ, ſub quibus reges ſepeliri voluerunt, vt magnos ibi ſitos eſſe, tumulorum oſtenderet magnitudo. Et palatia alta quid aliud loquũtur, quàm à magnis ea dominis fuiſſe ædificata? Eſt autem & homo quoddam *ædificium*, vt Hebræi loquuntur. Laudabilis eſt igitur in magnis corporibus hominum Plaſmator, & quidem magis, quàm in pueris coloſtratis, aut viris euiratis. Vt enim in cælo maior quædam dignitas apparet, quàm in terra, quæ eſt inſtar puncti cælo comparata; ita quoque viri grandes atq; fortes aliquid dignitate plenius præ ſe ferunt, quàm pumili, qui tantùm fruſtum

Plin. lib. 34. hiſt. nat. c. 7.

Idem lib. 36. 5.

stum esse, aut punctum hominis videntur. Etsi enim etiam in paruis magnus sit Deus,
Luc. 19. 3. vt diximus, & Zachæus *statura pusillus* animo fuerit excelso, tamen oculi mortales rebus magnis magis implentur, quibus a-
Psal. 110. 2. spectis, proniſſimum est dicere: *Magna opera Domini.* Rarò audiuntur homines staturæ procerioris optare, vt sint breuiores; breuiores autem id sæpissimè optant, vt sint longiores. Sed quia nemo nostrûm
Luc. 12. 23. *cogitando potest adycere ad staturã suam cubitum vnum*, calceus subere altissimo subsutus debet implere, quod pedi deest; vt quẽ natura breuem fecit, sutor faciat longiorem.

§. XII.

In Samsone, meliore Hercule, quanta decora, donaq; Dei conspecta sint?

Psal. 144. 3. Quoniam igitur *magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis*, etiam magna quædam vel corpora, vel robora voluit esse in Mundo. Idcirco,
Gen. 6. 4. ante diluuium *gigantes erant super terram*,
Deuter. 2. 10. & post cataclismum laudati sunt *Emim, populus magnus, & validus, & tam excelsus, vt de Enacim stirpe, quasi gigantes crederen-*
2. Reg. 21. 18. *tur.* *Og* quoque *rex Basan de stirpe gigan-*

tum

tum dicitur fuisse, vti & *Saph*, & aliorum gigantum sæpe fit, in diuinis litteris mentio. Sed mihi ante omnes memorandus est Samson, si non statura, saltem viribus gigas, qui, vt D. Augustinus ait, *Hebræorum judex, cùm mirabiliter fortis esset, putatus est Hercules.* Et, teste Philastrio, *Pagani fortes viros ex Samsonis figura vsurpantes, Hercules nuncupârunt.* Ac sanè multa inter Samsonem atq; Herculem conueniebant, tempus, locus, vires, labores & ærumnæ. Eodem vtrumq; sęculo vixisse innuit Eusebius, cuius hæc sunt: *Mihi videtur Hercules & Samson non multùm inter se distare tempore: siquidem ambo circa Troiæ captiuitatem fuerunt.* Et D. Augustinus: *His temporibus Hercules in Tyria, aliàs Syria, clarus habebatur.* Eodem ferè vtrumque loco celebrem fuisse Cicero docet & Herodotus, apud quos Hercules à Tyrijs & Palæsthinis colebatur; Tyrijs autem & Philisthinis Iudæa, in qua Samson floruit, contermina erat. Competunt & vires, & labores, & ærumnæ, & ipsæ picturæ. Hercules fertur in prima jam ætate, adeò fuisse robustus, vt vel in cunis duos angues, arctato guttu-re, eliserit. De Samsone scribitur: *Creuit puer*

S Augustin. l. 18. ciu. c. 19. Philastr. lib de Hæres. cap. 8.

Euseb. Præfat. in Chron.

S. August. lib. 18. de ciuit. c. 12.

Cic lib 3. de Nat. Deor. Herodot. l. 1.

Iud. 13. 24

puer, & benedixit ei Dominus, cœpitq; Spiritus Domini esse cum eo. Quia heroica animi & corporis fortitudine eum donauit. Hercules fingitur adamantinas inferorũ portas effregisse, vt inde Cerberum catenis vinctum in auras extraheret: Samson ab hostibus obsessus *apprehendit ambas portæ fores cum postibus suis & sera, impositasq; humeris suis portauit ad verticem montis, qui respicit Hebron.* Hercules etsi apud Omphalem seruijt, & effeminatus est, robur tamen corporis non perdidit, sed Cacum, & Nessum, aliaq; monstra etiam effeminatus interfecit. Samson, etsi Gazæ meretricatus mortaliter peccauit, tamen retinuit suam fortitudinem supernaturalem, qua impositas humeris vrbis portas in montẽ tulit. Siquidem fortitudo hæc erat gratia gratis data, non gratũ faciens. Quare vnà cum peccato mortali poterat consistere. Sita enim erat in eius Nazaræatu, id est, in coma intonsa ac abstinentia à vino & sicera. Cùm ergo fornicatio non sustulerit eius Nazaræatum, neq; fortitudinem eius tolli necesse fuit. Hercules non gladio, non hasta, sed claua armatus, Samson itidem neque ense, neq; lancea, sed asini maxilla,

xilla, qua tamquam claua mille Philisthæos mactauit, instructus pingitur. Vterque leonis domitor, leonis exuuias meritus est; ille tamen victori suo pellem, iste dapem dedit. Tametsi autem Hercules Nemeæum illum, & Mænalium alterum terribiles ambos, Samson tantùm *catulum leonis* dicatur occidisse; nihil id adimit eius viribus, quia catuli leonum ob maiorem famem, & iuuenilem animositatem sunt grandibus sæuiores. *Leoni præcipua generositas, tunc, cùm colla armosq; vestiunt iubæ,* ait Plinius. Herculem nouerca Iuno, Samsonem dolosa Dalila, illa odio, hæc ficto amore agitauit. Hercules Centaurum, Hydram, ceruam æripedem, Harpyias, seu Stymphalides aues, aliaq; monstra superauit; Samson Ascalonitarum, Gazæorum, Philisthinorumq; aliorum impetum fregit. Hercules in monte Oeta mortem vltrò suscepit; suscepit & Samson. Ac, ne Abyle & Calpe Herculis quoque columnæ in Occidente positæ deessent, Samson *apprehendens ambas columnas, quibus innitebatur domus, alteramq; earum dextera, & alteram læua tenens ait: Moriatur anima mea cum Philisthijm, concussisq; fortiter columnis, cecidit domus su-*

Plin. l. 8. c. 16.

Iudic. 16. 28.

per omnes principes, & ceteram multitudinẽ, quæ ibi erat: multoq; plures interfecit moriens, quàm antè viuus occiderat. Qua in re fortior fuit Hercule, qui se ipsum occidens peccauit, non peccauit autem Samson, quia, vt S. Augustinus respondet, occidit se Dei instinctu: *Spiritus*, inquit, *latenter hoc iusserat, qui per illum miracula faciebat, adeoq; hîc preces eius exaudiuit, & pristinã fortitudinem ad id faciendũ restituit.* Cùm ergo Deus vires illi ad hanc ruinam faciendã supernaturaliter suppeditârit, credibile est, Samsonem, tamquam publicum populi sui iudicem vindicemque, priuatam excæcationis suæ vltionem, etiam ad Dei honorem, & Reipublicæ bonum retulisse. Non ergo peccauit tunc Samson, quia columnas domûs suæ concussit, vt eius ruina insignem suis Deiq; hostibus cladem inferret, laudesq; Idolo Dagon à Philisthæis, ob se captum attributas adimeret, Deoq; vero restitueret. Non itaque propriè & Physicè se occidit, vt; Aiax, qui in gladium incubuit, aut sicut Hercules, qui in rogum sponte se coniecit, sed permisit se duntaxat communi cum hostibus ruina opprimi, sicut postea Eleazar, qui regium elephantem

S. Augusti. l. 1. de ciuit. c. 21.

1. Mach. 6ap. 46.

phantem subiens occidit, eiusque ruentis mole obrui se permisit, vt populum liberaret. Quamobrem neq; morali etiam imputatione se ipsum occidit, quippe directè destinauit occidere omnes principes Philisthinorum, vnaq; magnam populi hostilis partem (tria enim millia, oppressa sunt) se verò ipsum indirectè & permissiuè duntaxat voluit eádem clade inuolui, quam euadere non potuit. Quod facinus, sicut heroicæ fortitudinis fuit, ita & magna pro præteritis culpis erat pœna & satisfactio. *Non eligitur*, inquit Caietanus, *in huiusmodi casibus mors propria in se ipsa, sed per se eligitur mors hostium, & concomitans propria mors toleranda admittitur, propter bonum vltionis. Sic princeps exercitûs prostraturus hostes, mortem propriam concomitantem non respuit.* Neque milites se se morti in acie exponentes dicuntur se ipsos, sed hostem velle occidere. Sine vllo igitur conscientiæ scrupulo in campum prodire possunt præliaturi; immò cum magna fortitudinis gloria pedem conferunt. Qua de caussa D. Ambrosius de Samsone ita loquitur. *Etsi incomparabilis in hac vita fuerit, tamen in morte se ipsum vicit, & insuperabilem*

Ita Franc. Victoria Relect. 10 de Homicid. Dom. Soto lib. 2. de Iust. q. 9. art. 7. Leon. Less. l. 2. de Iustit. c. 9. dub. 6. num. 33.

S. Ambr. ep. 70.

geſsit animum, vt contemneret, & quaſi pro nihilo haberet vitæ finem omnibus formidoloſum. Virtutis igitur fuit, quòd victoriarum numero diem clauſit, nec captiuum exitum, ſed triumphalem inuenit. Denique non telis, ſed cadaueribus hoſtium preſſus humatus eſt, proprio tectus triumpho. Si ergò virtus militis, gloria eſt ducis; ſi Solis claritas eſt claritas conditoris, rectiſſimè Deus & in Hercule, ſi quis vmquam fuit, laudatur, & in Samſone. Nam & nomen vtriuſq; in hoc conſentit. Quemadmodũ enim apud profanos ſcriptores Hercules ſymbolum Solis extitit; ita viciſſim apud ſacræ linguæ authores *Samſon* idem eſt, quod *ſol lætitiæ*, vel quod *paruus ſol. Reuera Herculem ſolem eſſe*, ait Macrobius, *vel ex nomine claret. Hercules enim quid aliud eſt, niſi heras, id eſt, aëris cleos? Quæ porrò alia aëris gloria eſt, niſi ſolis illuminatio; cuius receſſu profunditate occulitur tenebrarum? Præterea ſacrorum adminiſtrationes apud Ægyptios multiplici actu multiplicem Dei aſſerunt poteſtatẽ, ſignificantes, Herculem hunc eſſe.* Hinc illis duodecim labores Herculis, ſunt duodecim Zodaici ſigna, per quæ ſol quotannis currit tamquam fortiſſimmus Hercules, immò

Macrob. l. 1. Satur. c. 20.

immò tamquam quidam gigas. Vnde Dauid, vbi ostendit à cælis gloriam Dei enarrari, solem, atque inde Numinis claritatem se se hominibus patefacientem ita describit: *In sole posuit tabernaculum suum: & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo: Exultauit vt gigas ad currendam viam, à summo cælo egressio eius: Et occursus eius vsq; ad summum eius: nec est qui se abscondat à calore eius.* Psal. 18.6. Samsoni nascenti mater diuina inspiratione edocta nomẽ imposuit, D. Chrysostomo teste; significat enim *Samson*, solem vt dixi, *lætitiæ*, vel *gaudij*, itemque *paruum solem*; quem Deus oriri fecit Israelitis, per Philistæos oppressis, & in tenebris tristitiæ sedentibus, vt eos noua luce libertatis & felicitatis perfunderet. S Chrys. hom. 18. in Ioan. Meritò ergo hunc Samsonem Paulus etiam inter veteris testamenti heroas collocans, à fide, & fortitudine laudauit. Hebr. 11. 32. Quem secutus S. Ambrosius ait: *Cùm diuturna iniuria longæ subiectionis ita essent depressa Hebræorum pectora, vt nullus virili ingenio ad libertatem animos tollere auderet, ortus est illis Samson diuino oraculo prædestinatus, magnus vir, nec in pluribus numerandus, sed in paucis præstantißimus, & quod sine vlla controuersia* S. Ambr. ep. 24. ad Vigiliũ.

sit,

sit, viribus corporis omnium primus; eoq; ingenti admiratione nobis spectandus à principio; non illa quæ temperantiæ & sobrietatis iam inde à pueritia vini abstemius præclara insignia dedit; nec illa, quæ intonso capite Nazaræus sacra diu seruauit custodia; sed ab adolescentia, quæ in alijs ætas mollior, in hoc egregia atque supra humanum modum perfecta virtutis stupenda facinora effecit, quibus diuini oraculi mox aperuit fidem, quòd non perfunctoriè tanta eum anteisset gratia, vt descenderet Angelus per quem ortus eius præter spem parentibus annunciaretur, futuri regimen & præsidium suis. Nam grauibus iam diu Palæsthinorũ imperijs afflictabantur. Adeò non solùm magnæ virtutis, sed etiam magnæ fuit vtilitatis Samson, qui solus in medio campo pluribus centurijs præstabat: quãquam is vtique miraculum potiùs, quàm monstrum fuit; &, si in gestis tam mirabilibus non erat monstrosus, erat tamen prodigiosus. Appositè igitur, hoc loco, est commemoratus, tametsi eius fortitudo non in gigantea corporis mole, sed in capillis sita erat. Nec enim hîc confugere volo ad fabulas Hebræorum, apud quos Rabbi Simeon Hacchasid audet dicere, Samsonem

R. Simon Haccha sid in Suta. cap. 1.

sonem non solùm fuisse gigantem, sed etiam gigantem tam enormem, vt illi num quam parem viderit Mundus. Scribit enim humeros eius tam fuisse latos, vt vnus ab altero *sexaginta cubitis* distaret. Quod mendacium sexaginta cubitis distat à veritate.

§. XIII.

Quos Poëtæ finxerint monstrosæ fortitudinis viros? Et de Cleomede.

Itaq; quod diuinus codex in Samsone, id profani scriptores in Hercule ostendere voluerunt, & in alijs quoq; fabulis, quas de viris fortibus excogitauerant; quos finxêre gigantes, vel monstrosis viribus homines fuisse; vt de Sigonotho, Goffredo dentato, Amadisio eiusq; fratribus, de Orlando, Rugierio, Rodomonte, Sigfrido corneo, Wolfardo, Ilsungo monacho, & mille alijs. Virgilius certè Turnum induxit, qui è terra saxum adeò ingens sustulerit, atque in Æneam vibrârit, vt

Vix illud lecti bis sex ceruice subirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus. Virgil. lib. 12. Æneid.

Nihil hîc dicam de Aloeo, Encelado, Tityo, Orione, Atlante, Antæo, Briareo, Gyge,

Gyge, Oromedonte; omittam Astneum, Ephialtem, & quos *partu terra nefando*

Virgil. lib. 1. Georg.

Cæumq; Iapetumq; creat, saeumq; Typhoea,

& reliquos *Titanas ausos rumpere imperium Iouis,*

veris hoc argumentum historijs potest absolui: & vel in illa sola Samsonis robur exprimitur, quam Plutarchus & Crinitus referunt, de Cleomede Astypalæo, qui Lacchum Epidamnium pugilem, armatũ vnico ictu inermis occidit, occisi latera aperuit, & iniecta manu eduxit intestina. Ob quam feritatem, cùm à iudicibus in ius vocaretur, per forum abiens, columnam, qua ludi litterarij domus fulciebatur, disiecit, eaque ruina pueros omnes adobruit. Quis hunc non dicat alterum Samsonem?

Plutarch. in vit. Romuli. Crinit. lib. 15. cap. 3.

§. XIV.

Alij prodigiosarum virium viri, Tritanus, & Georgius Castriotus.

Testatur Solinus, Varronem in relatione prodigiosæ fortitudinis annotasse, Tritanum Samnitem gladiatorem natura fuisse, qui & rectis, & transuersis neruis, non modò crate pectoris, sed & manibus cancellatis

cellatis & brachijs omnes aduersarios leui tactu, ac pænè securis congressibus vicerit, eiusque filium militem Cn. Pompeij pari modo natũ, ita spreuisse hostem prouocantem, vt inermi eum dextera & superaret, & captum digito vno in castra Imperatoris sui reportaret. Et quoniam sermo nobis est de ijs, qui *fortes facti sunt in bello*, non tacebo hîc Georgium Castriotum, partis Albaniæ Principem, quem Turci propter rerum gestarum magnitudinem Ischenderbegum, hoc est, Dominum Alexandrum nominauerunt. Alexandria enim hodie Turcis *Ischendrie* est. Hunc Ischenderbegum Paulus Iouius affimat, numquã detrectasse pugnam; numquã hosti terga vertisse; nullo vnquam in discrimine metu occupatum; numquam vulneratum, nisi leui semel sagitta in crure fuisse, cùm tamen contra duos potentissimos imperatores Turcicos, Amurathem & Machometem, perpetua bella gesserit, & non solùm eorum impetus sustinuerit, sed septem eorum clarissimos duces è purpuratorum Bassarum ordine acie deuicerit, & castris exuerit. Hunc Castriotum, addit Iouius, supra duo hominum, vel, vt Barletius

Hebr. 11.

Leonclauius in pandectis Turcicis.

Paul. Iou. in elogijs illustr. virorum.

tius scribit, tria millia barbarorum, præsertim diuersis prælijs, sua manu interfeciſſe, quando singulis tantùm ictibus singulos, qui congressi essent, conficere consueſſet, quòd prægrandi ponderosoq; acinace tam validè, quàm peritè vteretur, quo medios hostes ad vmbilicum proscindere, transuersos diuidere soleret; & sæpe per ceruices integros cum humeris brachiorum artus facilè detruncaret. Quorum immanium vulnerum truculentiam hostes, qui ex prælijs euasissent, cùm Bizantij in aula, admirantibus cunctis enarrarent, Machometes ipse, illum potentis dexteræ inusitatæq; violentiæ gladium videre cupiuit impetrauitque facilè à Georgio, vt sibi Byzantium mitteretur. Talem namque eius esse temperaturam prædicabant, vt eius ictum nulla vel ferrea corporum munimenta sustinerent. Aiunt alij, eum Machometi nunciari iussisse, *mittere se quidem gladium suum illi, non item dexteram suam, sine qua gladius nihil posset.* Tanta autem inusitatæ virtutis eius viri fama erat, vt Turcæ, post mortem eius, potiti Epiro, sepulchrum ipsius, apud Lissum quæritarent, admirabundiq; vsque adeò

piè

piè venerarentur, vt eruta demum sepulchro tanti herois ossa non sine superstitione diriperent, cùm quisque se bello inuictum tutumque fore crederet, si frustulum ex ossibus inuictissimi Imperatoris in amuleto è ceruicibus suspensum iturus in prælium gestaret. Hæc pleraque Iouius. Barletus scribit, prælium inituro, præter cetera mirabilia mutati vultus signa, ei labrū inferius scindi solitum cum copia multa sanguinis. Defunctus est hic heros anno ætatis LXIII. Christi MCCCCLVI. die Ianuarij XXVII.

Barlet. lib. 8. de vita & eius gestis.

§ XV.

Deo non secus ac Aureliano, ob fortitudinem, laudes dicendas.

Horum talium vel immanitas corporis, vel animi magnitudo, ostendit, quanta sit Dei magnitudo. Herculem enim, & Orionem, ob talia, ad sidera vsque transtulerunt. *Quorum si specie delectati, deos putauerunt: sciant quanto his dominator eorum speciosior est. Speciei enim generator hæc omnia constituit. Aut si virtutem & opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit, fortior est illis: à magnitudine enim speciei & creaturæ, cognoscibiliter poterit creator* Sapi. 13.3.

horum videri. Qui proinde in illis etiam est laudandus. Et vtique artificem laudat, qui opus illius laudat. D. Aurelianum, memorat Flauius Vopiscus statura procerum, & neruis validissimis fuisse, vtiturque testimonio Theoclij, manu sua, bello Sarmatico, vna die quadraginta & octo interfeciisse; diuersis autem diebus, vltra nongentos quinquaginta. Ob quam fortitudinem pueri in Aurelianum cantiunculas composuerunt, & choros, quibus, diebus festis, militariter saltitarent, in hunc modum instituerunt. *Mille, mille, mille; mille, mille, mille decollauimus. Vnus homo mille, mille, mille, mille decollauimus. Mille, mille, mille viuat, qui mille, mille occidit. Tantum vini habet nemo, quantum fudit sanguinis.* Et cùm Francos deinde domuisset, denuò cecinerunt. *Mille Francos, mille Sarmatas semel occidimus. Mille, mille, mille, mille, mille Persas quærimus.* Ad eumdem ritum olim, 1. Reg. 18. 6. *cùm reuerteretur percusso Philisthæo Dauid, egressæ sunt mulieres, de vniuersis vrbibus Israel, cantantes choros q; ducentes in occursum Saul regis, in tympanis lætitiæ, & in sistris. Et præcinebant mulieres ludentes atq; dicentes: Percussit Saul mille, & Dauid decem*

sem millia. Quæ laus, cùm homini daretur, Deo & *Domino exercituum* data est. Qui enim agnoscunt, vnde veniat fortium fortitudo, clamant: *Gladius Domini, & Gedeonis.* O quàm ingrati, & quàm horum immemores sunt, qui multos audiunt præclaros in bello viros, & factis verè gigantes, insignia facinora edidisse, neque tamen idcirco Deo laudes gratesque dicunt! Quid in paruis facient, qui neque corpora, neque facta magna nôrunt æstimare? Aliter ille censuit, qui dixit: *Dominus fortitudo plebis suæ;* & altet: *dedit Dominus ipsi Chaleb fortitudinem.* Quam quia Deus dat, à Deo petere; &, si dedit, Deo in acceptis referre debemus, neque de corporis proceritate, statura, viribusq; insolescere; ne donis illum suis offendentes, ad iram & vindictam prouocemus.

Iudic. 7. 20.

Psal. 27. 8.

Eccli. 46. 11.

§. XVI.

Dei potentia, contra potentes, ostensa.

Quippe etiam in his potentiam suam facit manifestam, vt dicere debeamus: *Non est fortis sicut Deus noster;* coram quo, *gigas non saluabitur in multitudine virtutis suæ.* Ita enim potens est, vt *potentes deponat de sede sua,* & excelsos hos possit humiliare.

1. Reg. 2. 2.

Luc. 1.

Baruch. 3. 25. *Magnus est, & non habet finem; excelsus & immensus: Ibi fuerunt gigantes nominati illi, qui ab initio fuerunt, statura magna scientes bellum. Non hos elegit Dominus, neque viam disciplinæ inuenerunt: propterea perierunt.* Demonstratũ est hoc in illis, qui dixerunt:

Gen. 11. 4 *Venite, faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad cælum, & celebremus nomen nostrum.* Sed *diuisit eos Dominus ex illo loco in vniuersas terras, & cessauerunt ædificare ciuitatem.* Ex qua historia Poëtæ fabulam texuerunt, de terrigenis gigantibus, qui regnum cæleste affectârint, & tentârint Deos inde detrudere. Apud quos *coniurati cælum rescindere fratres,*

Virgil. l. 1 Georg. *Ter sunt conati imponere Pelio Ossam,*
Scilicet atque Ossæ frondosum imponere Olympum.
Ter pater extructos deiecit fulmine montes.

Fingunt etiam, huius rei causſa, Deos omnes mutatis formis delituisse,

Emissumq; ima de sede Typhoea terra
Cœlitibus fecisse metum, cunctosq; dedisse
Terga fugæ.

Donec ad Phlægram,

Ouid. l. 1. Metam. Iuppiter *omnipotens missso perfregit*
Olympum *Fulmi-*

Fulmine, & excußit subiectum Pelion Ossæ;

Sepultaque sunt totis montibus dira periuriſſimorum mortalium corpora. Ac vt appareret, potentes potenter tormenta passuros, (*Fortioribus* enim *fortior instat cruciatio*) Sapi. 6. 9.

Fama est, Enceladi semustum fulmine corpus Virgil l 3. Æneid.

Vrgeri mole hac: ingentemq; insuper Ætnam

Impositam, ruptis flammam expirare caminis;

Et fessum quoties mutat latus, intremere omnem

Murmure Trinacriam, & cælum subtexere fumo.

§. XVII.

Impij Gigantes fulminati.

Hæc quidem fabulæ, quæ docent, superbos alijsque sceleribus coopertos, vel dignos esse, qui diluuio obruantur, vt dici possit: *Ecce gigantes gemunt sub aquis, & qui habitant cum eis:* vel etiam tota terra, ad hunc modum, in inferno sepeliendos, vbi eos formidabilis illa sententia, *Discedite à me, maledicti,* fulminabit. Quid aliud con- Iob. 26. 5. Matth. 25. 41.

4. Reg. 1. 10. tigit militibus illis, quibus Elias dixit: *Si homo Dei sum, descendat ignis de cælo, & deuoret te, & quinquaginta tuos?* Et, vt historijs rem confirmemus, *Legimus,* inquit Leonardus Lessius, *etiam in historia Peruana, gentem quamdam giganteæ magnitudinis huic flagitio* (Sodomitarum) *deditam simili modo igne cælesti fuisse absumptam: descendisse enim è cælo specie visibili iuuenem instar solis splendentem, qui fulminibus supernè in eos vibratis omnes deleuerit; ita ex traditione maiorum narrare incolas, & etiamnum reperiri vestigia adustionis, tum in saxis, tum in ossibus eorum, qui extincti. Et nostra memoria in Pegu India Orientalis, cùm populus esset innumerabilis, & aliquot millionibus capitum censeretur, varijs cladibus ad maximam paucitatem est redactus: cuius causa non videtur alia, quàm quòd huic sceleri præ ceteris populis fuerint addicti. Quòd si Deus istud peccatum adeò seuerè in infidelibus illis, eius justitiam & præcepta ignorantibus, vindicauit, & in ipsa vindicta tot iræ suæ vestigia impressa reliquit: quid expectandum Christianis, qui post tot beneficia diuinitus accepta, post notitiã diuinæ voluntatis, post tot vltionis exempla ab illo non abstinent? Tanta profectò eos manet tormen-*

Leonard. Lessius lib. 13. de perfect. diu c. 7. post Ioseph. à Costa l. 1. c. 19. de nat. noui orbis,

cormentorum acerbitas, vt acrimonia supplicij Sodomorum illius comparatione leuis meritò videri possit, si iusto examine pensitentur.

§. XVIII.

Milonis fortitudo quo modo superata?

Ne porrò istiusmodi homines, aut ob immanium corporum pulchritudinem & amplitudinem, aut ob robur ac vires suas insolescant & superbiant, & ipsi cælo arma inferant, alijs etiam modis diuina prouidentia tales aut deiecit, aut extirpauit. Milonem Crotoniatam tradunt, egisse omnia super quàm homo valet. Dum constitisset, nemo eum è vestigio educebat. Mâlum tenenti nullus digitis poterat extorquere. In Olympia bouem per stadium, retento anhelitu portauit, quem ictu nudæ manus, strauit, victimamque fecit; eumque solidum, qua mactauerat die, solus non grauatim, & sine nausea absumsit, ne pugno fortior, quàm stomacho videretur. Hic tamen tam neruosus athleta, vt sciret aliquem se in mundo existere fortiorem, Titormus bubsequa, procero corpore, & portentosis viribus, famam robusti habuit. Voluit Milo oculis experiri, an famæ res ipsa responderet. Eo igitur præ-

Caliust. l. 5. c. 21.

Idem Caliust. l. 11. c. 69.

sente, Titormus in Euenum descendens permagnum arripuit lapidem, quem ad se protraxit, & inde rursum propulit, bisque & ter hoc ipsum effecit; postea erexit, erectumq; & humero impositum ad quinquaginta vlnas transportauit. Hunc autem lapidem vix emouebat Milo. Aliud postea roboris sui argumentum exhibuit Titormus. Maximi enim tauri pedem corripuit, furentemq; & inde proripere se cupientem constantissimè retinuit. Quod videns Crotoniates: *O Iuppiter*, inquit, *an alterum nobis proseminasti Herculem hunc?* Multùm valet ad supercilium ponendum, habere parem; plurimùm autem videre superiorem. Sed non victa est vis Milonis ab homine tantùm, superata est & ab arbore.

Iuuen. Satyr. 10. *Viribus ille*

Confisus perijt admirandisq; lacertis.

Ità adeò ipsa illi exitio fuit firmitatis suæ confidentia. Gellium audiamus. *Milo*, inquit, *Crotoniensis athleta illustris, quem in chronicis scriptum est, Olympiade prima coronatum esse, exitum vitæ habuit miserandum & mirandum. Cùm jam natu grandis artem athleticam desijsset, iterq; faceret fortè solus in locis Italiæ silnestribus; quercum vidit*

A. Gell. l. 14 Noct. c. 16.

proxime

proximè viam patulis in parte media ramis hiantem. Tum experiri, credo, etiam tunc volens, an vllæ sibi reliquæ vires adessent, immissis in cauernas arboris digitis, diducere, & rescindere quercum conatus est, ac mediam quidem partem discidit, diuellitq;. Quercus autem in duas diducta partes, cùm ille quasi perfecto, quod erat connixus, manus laxasset, cessante vi, rediit in naturam: manibusq; eius retentis inclusisq;, stricta denuo & cohæsa dilacerandum hominem feris præbuit. Quàm bene huic dictum fuisset? *Fortiora te ne scrutatus fueris.* Eccli. 3. 22.

§. XIX.

Maximini fortitudo & superbia deiecta.

Quemadmodum autem gigantes isti, aut fortes ab hominibus metuuntur, ita & ipsi supra se habent Deum, quē debent metuere; & ad quem nos possumus ab illis pressi confugere, exemplo illius, qui dixit: *Omnia ossa mea dicent, Domine quis similis tibi? Eripiens inopem de manu fortiorum eius: egenum & pauperem à diripientibus eum.* Psalm. 34. 10. Hac de caussa Iacobo Patriarchæ in Ægyptum proficiscenti dixit: *Ego sum fortissimus Deus patris tui: noli timere, descende in Ægyptum.* Gen. 46. Ego Pharaones in mea

habeo manu; possum eos tibi placare; possum fluctibus operire. Pari pacto in fortibus alijs, ac robustis, immò in ipsis gigantibus opprimendis potentiam suam exercuit. Ex Iulio Capitolino didicimus alijsq; historiarum scriptoribus, Maximianum tyrannum Alexandri Seueri optimi Imperatoris interfectorem & successorem, ea proceritate atq; robore fuisse, vt octo pedes digito egrederetur; pollice ita vasto, vt vxoris dextrocherio annuli vice vteretur. Quin etiam hamaxas manibus attrahere; equis pugno dentes soluere; calce crura frangere; lapides tophicios digitis friare; arbores minùs annosas dirumpere posset. Qua de caussa ab alijs Milo Crotoniates, ab alijs Hercules, Antæus à nonnullis est appellatus. Ob hanc tam grandem corporis staturam & militare robur peritiamq; pugnandi, affirmat Herodianus, eum ad imperium ascitum esse. Sed magna est virtus, Dei donis vti posse. Maximinus iste, iste Hercules, & Antæus, viribus in tyrannide abusus, ita mox plerisq; inuisus fuit, vt illum alij Cyclopem, alij Busiridem, alij Scyronem, nonnulli Phalarim, multi Typhonem vel Gygem appelli-

pellitarent. Itaque non crudelitatem tantùm, verùm etiam stultitiam & superbiam cum potentia coniunxit. Erat enim illi persuasum, *nisi crudelitate, imperium non teneri;* quæ tyrannorum est sapientia. Accessit stultior superbia. *Neq; enim*, ait Capitolinus, *fuit crudelius animal in terris, omnia sic in viribus suis ponens, quasi non posset occidi.* Adeò nimirum mortalium oculos tumor excæcat, vt naturæ atque conditionis suæ obliuiscantur. Sed docuit luculenter diuina manus, eum qui sibi immortalitatem promiserat, mori, & occidi posse. Immò docuit & Poëta, qui, illo præsente, in theatro, Græcos versus recitauit, quorum hæc erat sententia. *Qui ab vno non potest occidi, à multis occiditur. Elephas grandis est, & occiditur. Leo fortis est, & occiditur. Tigris velox est, & occiditur. Caue multos, si singulos non times.* Vates fuit Poëta: nam quod dixit, accidit. Postquam enim Maximinus Aquileiam diu, magnis viribus, sed irrito conatu, oppugnauit, more ferarum, quæ vulneratæ magis efferantur, crudelior erga suos milites euasit. Illi itaque immanitatis impatientes, eum vnà cum filio trucidauerunt. Potuit ergò occi-

di, &

di, & occisus est, qui voluit tot occidere. Sic *arcus fortium superatus est.* Quin sæpe etiam citò superatus est.

1. Reg. 2. 4.

§. XX.

C. Marij vis, honor breuis & vana dignitas.

C. Marius, tempore Gallieni, à militibus ex fabro ferrario Imperator factus est. Fuit is tam robusti corporis, vt Trebellius Pollio scribat, *Nullius manus vel ad feriendum, vel ad impellendũ fortiores fuisse, cùm in digitis neruos videatur habuisse, non venas.* Fertur enim & plaustra venientia digito salutari repulisse; & fortissimos quosq; digito ita afflixisse, vt non secus ac querni ligni, vel clauis ferreæ ictu percussi dolerent. Multas res collisione duorum digitorum contriuit. Tam firmus ipse fuit. Quàm autem firmum illius imperiũ? Prima die factus est imperator, secunda visus est imperare; tertia desijt & imperare, & viuere, occisus à milite illo, qui eius quondã, in fabrili officina operarius fuit; nec sine scommate; vnà enim & dictum hoc accepit: *Hic est gladius, quem ipse feceris.* Dici igitur de hoc triduano Imperatore potest, quod M. Tullius de Consule Vatinio

Trebell. Poll. in hist. 30. tyrannor.

Vatinio iocosè lusit; *Eo* nimirum *Imperatore, magnum ostentum accidisse, nam nec brumam, nec ver, nec æstatem fuisse.* Hæc Numinis non solùm potentia, sed etiam prouidentia est, vt tyrannos & tollere è medio possit, & non sinat esse diu, ne diu tyrannicè dominentur. Hoc enim de eo dictum est: *Non dabit in æternum fluctuationem iusto. Tu verò, Deus, deduces eos in puteum interitus. Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos.* Plura qui eiuscemodi vult exempla, librum peculiarem Ioannis Cassionis de Gigantibus, Thomam Fazellum, quin & Philippum Camerarium adeat, vnde locuples huic argumento materia est suppeditata. Illud hoc loco, è D. Augustino etiam atque etiam animaduertendum est, Deum quosdam interdū homines tam vastis corporibus nasci voluisse, vt nobis videlicet testatum relinqueretur, tam pulchritudinem corporum, quàm etiam staturæ magnitudinem vireſque carnis non esse in bonis præcipuis ponenda, cùm ea non minùs impijs, quàm pijs sint communia. Robur igitur animi, & mentis virtus, quæ apud impios non reperitur, est magnis lacertis anteponenda. Neq; quid-

Psal. 54. 24.

Tho. Fazell. loc. cit.

S. Augustin l. 15. de ciuit. Dei c. 23.

quam

quam contra naturam, aut naturæ authorem conqueri potest, si cui statura ingens, aut virium negata est magnitudo, cùm nulli negatum sit, quod maius est, virtutem possidere.

§. XXI.

Polydamas alter Samson quo modo oppressus?

Deniq;, ne illi etiam ipsi, quibus à Deo datus est membrorum valor, existiment se omnia posse, atq; vt inde etiam ceteri minorum gentium homuli multò magis suã agnoscant imbecillitatem, declarat diuina sapientia, etiam illas ipsas exoticas mortalium vires, alio fine datas, multis esse in exitium, quia sunt in præsumptionem. Sicut enim vino, auro, ingenio, alijsque à Deo donis acceptis, ita & viribus corporis abutuntur. Fit igitur erga eos justissimè seuerus, erga quos ingratos fuit munificus. Polydamantem athletam Græcorum monumentis proditum est, velut Samsonem aliquẽ, inermi manu, in Olympo monte, insolitæ magnitudinis leonem confeciſſe. Memorant eumdem etiam in armenta boum intrasse, & inibi taurum magnitudine insignem altero posteriorũ pedum arripuisse, ferocientemque, & præ-

Cælius l. 7. c. 56.

rabido

rabido impetu prosilientem, non dimisisse priùs, quàm in eius manu vngulam reliquerit. Scribitur etiam quadrigas tota vi concitatas constantissimè retinuisse. Qua fortitudinis fama permotus rex Darius, Artaxerxis filius, virum magnæ mercedis pactione Susa pellicuit. Eò cùm venisset Polydamas, tres omnium Persarum fortissimos, qui vnà ex prouocatione arma susceperant in aduersum, solus contrucidauit. Cui inusitato robori confidens, dum fortè fortuna, cum aliquot alijs in spelunca recumberet ad mensam, conuulsusque supernè scopulus ruinam minaretur, & omnes ad fugam impelleret, solus ibidem remansit, fore sperans, vt saxum decidens facilè sustineret, quo tamen oppressus est. Hæc Cælius recenset, de Polydamante, qui Samsonis æmulator veriùs, quàm imitator fuit; ille enim, ruinam in caput suum excitans vicit; iste victus est, dum ruinam voluit prohibere: sed sunt multi tales temeritate, non virtute Atlantes; qui in humeros suscipiunt, quod ferre non possunt, audacia sua opprimendi. His cælestis vindex, qui *superbis resistit*, plagam post plagam infert, & vires vnà cum vita aufert,

luctu-

luculenter demonstrans, se omnibus gigantibus, gigantem esse validiorem; vt talis dicere cogatur: *Concîdit me vulnere super vulnus, irruit in me quasi gigas;* ille nimirum, qui gigantum omnium est fortissimus; & non tantùm in minimis maximus, sed etiam maximis omnibus maior esse cognoscitur, quando vel in fortibus, vel in magnis rebus cognoscitur. Vt sunt etiam Balænæ, Orcæ, aliaque monstra marina, quorum quædam dicuntur in oculorum peripheria sedecim vel viginti pedes continere; quæ cùm tam magna sint, tamen ab homine domantur & capiuntur. Vnde intelligitur, non modò quàm magni sint, quibus dictum est: *dominamini piscibus maris*, sed etiam multoque magis ille, qui est *Dominus vniuersorum, in quo condita sunt vniuersa, in cælis & in terra.*

Iob. 16. 15.

Conrad. Lycosthen. in chronico Chronicor. l. 2. De Prodigijs.

Gen. 1. 28. Coloss. 1. 16.

CAPVT.

CAPVT V.

Climata cæli, regiones terræ, imaginationes vehementes, aliæq; naturales Monstrorum causſæ.

§. I.

Quibus terris, & temporibus, diuersi coloris & magnitudinis homines nati?

AD Rectorem Mundi pertinet etiam ſuam cuiq; rei indolem permittere, aliamq; alij, pro diuerſo loco & conditione, legem & naturam dare. Aliud cælum alium transfundit genium; aliæ terræ alios pariunt mores; immò alios quoque inducunt colores. *Namq; Æthiopas vicini ſideris vapore torreri, aduſtisq; ſimiles gigni, barba & capillo vibrato, non eſt dubium. Et aduerſa plaga mundi atq; glaciali, candida cute eſſe gentes, flauis promiſſas crinibus: truces verò ex cæli rigore has & illas mobilitates habentes. Ipſoq; crurum argumento, illis in ſupera ſuccum reuocari, natura vaporis: his in inferas partes depelli, humore deciduo. Hìc graues feras, illic varias effigies animalium prouenire, maximè alitum, & in multas figuras gigni volucres. Corporum* Plin. l. 2. nat. hiſt. c. 78.

autem proceritatem vtrobiq;, illic ignium nisu, hic humoris alimento. Medio verò terræ salubris vtriusq; mixtura, fertilis ad omnia tractus, modicus corporum habitus. Hæc natu-

Idem l. 6. c. 30. ræ historicus, qui alio loco ait; *Animalium hominumq; effigies monstriferas circa extremitates (Æthiopiæ) gigni, minimè mirum, artifici ad formanda corpora effigiesq; calandas mobilitate ignea. Ferunt certè ab Orientis parte intima gentes esse sine naribus, aquali totius oris planicie. Alias superiore labro orbas, alias sine linguis. Pars etiam ore concreto & naribus carens, vno tantùm foramine spirat potumq; calamis auenæ trahit &c. Deinde Nomades cynocephalorum lacte viuentes, Olabi, Syrbotæ, qui octonum cubitorum esse dicuntur.* Sicut ergò *non omnis fert omnia tellus*, sic nec vbique magnos, sed alibi etiam mediocres homines producit. Ipsa itaque climata, immò & ratio alimenti subinde efficiunt enormiter proceros, cunctaque *Basan* vocabatur *terra gigantum* olim, vbi postea *solus Og rex Basan restiterat de stirpe gigantum. Monstratur lectus eius ferreus, qui est in Rabbath, filiorum Ammon nouem cubitos habens longitudinis, & quatuor latitudinis ad mensuram cubiti virilis manus.*

Deuter. 3. 11. Vide Theodor. q. 49. in Genes. & Sixt. Bibli. the.

Et

Et à climate, & à progenitore prodire gigantes, paulo supra etiam monstrat diuinus codex, de Moabitis loquens in hunc modum: *Emim primi fuerunt habitatores eius, populus magnus, & validus, & tam excelsus, vt de Enacim stirpe, quasi gigantes crederentur, & essent similes filiorum Enacim. Denique Moabitæ appellant eos Emim.* Ad hos quasi locustæ reliqui homines putabantur. Quin & tempora, & ipsa Mundi ætas multum potest. Quia ante diluuiũ homimines maiores extitêre. *Gigantes enim erant super terram, in diebus illis.* Postea cum Mundo Natura defecit, & adeò defecit, vt comparatione primæ ætatis, pumili videamur. Nam ex eo tempore,

Terra malos homines nunc educat atq; pusillos.

Ita factum est, vel intemperantia mortalium crescente, vel vi generatiua, & ipsis etiam alimentis, diluuio destructis, vel sponte cum senescente Mundo, deficientibus, vt hominum statura paulatim minueretur. In huius rei memoriam, relicta sunt hinc inde grandia gigantum cadauera, vnde melioris æui mensura caperetur. Et Octauius Augustus villas suas ossibus

lib. 5. annot. 76.

Deuter. 2. 10.

Gen. 6. 4. Adamũ quoque Gigantẽ fuisse alij ex Iosue colligentes, alij negant.

immanium corporum, quæ gigantum fuisse dicta sunt, exornare solitus erat. Cernuntur etiam Puteolis stupendæ magnitudinis ossa, quibus Pomponius Lætus, inter cetera, hanc etiam epigraphen creditur addidisse.

Hinc bona posteritas immania corpora seruat,
Et tales mundo testificatur auos.

Quamquam autem olim corpora fuerint longè, quàm nunc maiora, palam tamen est, Aegyptiacis fabulis debere annumerari, quod ex narratione Hemonis Aegyptiaci, his ferè verbis recenset Franciscus Patricius. *Inter alia istud adhuc memoriæ traditum conseruamus, quòd in primò annorum ambitu homines fuerunt vsq; adeò grandi corpore, vt pedibus in terram nixi capita inter sidera conderent, & Emephimos fuisse appellatos; atque secutos deinde alios annorum successu Ihtaimos nomine, paullò minores, sed qui tamen capitibus nubila contingerent; quos alij itidem grandes postea secuti sunt, in Ægypto Gygini nuncupati; hos, puto, Gigantes appellatus, cuiusmodi certè vsq; ad Noachi tempora durârunt, &, vt erant grandi corpore, ita etiam per multos annos sani incolumesq; vi-*

Francisc. Patric. Dialog. 3. de hist.

uebant

uebant. Sed à diluuio cœpêre omnia in peius ruere, cùm in cæteris rebus, tum maximè in ijs, quæ artes, atque virtutem concernunt. Hanc hominum altitudinem, quis non videt hyperbolicam esse? & non solùm nubes, sed etiam fidem atque veritatem excedere? Interim magnos ab initio homines fuisse, ac, vt *fortes creantur fortibus*, à magnis magnos genitos esse manet; licet postea decreuerint ita, vt & nos illorum, & illi, comparatione nostri vel Pygmæi, vel Gigantes possimus nominari. Rarò tunc, vel vix staturâ pusillos fuisse generatos existimo; quamquam & terra præ terra maiores produxerit, & aliter in vno, quàm in alio loco formârit, figurârit, colorârit, animârit.

§. II.

Quibus in locis homines pusilli nascantur?

Quamobrem simili modo possumus de Pygmæis disputare. Vix enim Pygmæus gigantem generabit. Et sunt complures terræ, in quibus tam equi, quàm homines pusilli proueniunt. *Ex Scythicis campis, ad paludes Ægypto superiores, vnde Nilus profluit*, ait Aristoteles, *grues veniunt, quo in loco pugnare cum Pygmæis dicuntur.* Ibi ergò

Aristot. lib. 8. de hist. animal. c. 12.

Solin. c. 15. & 33. vult Philosophus generari pusillos. Solinus ita scribit: *Vrbem Geranium Scytharum, Caturzam barbari vocant, vnde à gruibus Pygmæos ferunt pulsos.* Et, alio loco. *In Prasia vltra Palimbros iam montana Pygmæi tenent.*

Gell. l. 4. cap. 9. Ælian l. 15. de hist. anim. cap. 29. Plin. l. 1. c. 2 & passim alibi, vt, lib 4 c. 11. l 5. c. 29 lib. 6. cap 19. S. Aug l. 6. de ciu. c 8. Isid. l. 11. Eltym. c. 3. Albertus Mag. l 7. an mal. tra 1. c 6. Paul. Iouius lib. de reb. Moscou. cap. 3. Io Ludouic. Gotfrid. in histor. Antipodum part. 1. pag. 10.

De ijsdem etiam meminit Gellius, Ælianus, & Plinius, suprà citatus. Testatam hanc rem facit etiam D. Augustinus, Isidorus, & alij, inter quos Albertus Magnus ait, *Pygmæos illos, quos iuxta Nilum degentes diximus, perpetuò pugnare cum gruibus.* Eiuscemodi homulos comperit Antonius Pigafetta, etiam inter Molucas, in insula Aruchetto; itemq;, in insula Caphi. Paulus Iouius vltra Lapones eos esse testatur, & loquentes garrire semperque esse pauidos ac simijs persimiles. Odericus, in Orientali India quoque, non procul à Quinzai, iuxta Chilenses, à se inuentos testatur trium palmarum Pygmæos. Nec mirum est, hoc posse cæli climata, aut regiones, cùm recens author scribat, inueniri Indiæ locum, in quo venti ferreos clathros, ita exedant macerentué, vt friari possint; tutiùs proinde fenestras ibi querno ligno, quàm ferro clathrari. Si tanta cæli atque aëris

aëris est potestas in ferrum, cur non sit etiam in hominis corpus, vt illud vel contrahat, vel extendat?

§. III.

Naturæ Authoris esse, rerum naturis cursum suum relinquere.

Ob hæc cùm perspicuum fiat, regioni, vel climati sæpe talia esse ascribenda, ex ordine vtique faciet Naturæ vniuersíque Author, si alibi in hominibus breuitatem, longitudinem alibi, alibi exhibeat mediocritatem. Ita qui topiariam faciunt, in hortis, alio loco humi nascentia fraga, aut thymum vix è terra eminentem, alio altiùs se erigentem rorem marinum, alio ficum caput supra hæc longè efferentem, alio adhuc celsiùs prospicientē pyrum cerasumq;, alio denique longissimè vmbras proijcientē cedrum conserunt prætexuntque. Sic per Naturam ludit, in orbe terrarum, diuina sapientia, dum in vna regione producit arcuatis pedibus depressos pumiliones; in alia staturæ vsitatioris homines; in alia demum gigantes capita alta ferentes. Hoc naturæ ius est; hæc cæli vis & potentia; istud telluris ingenium, quod Auctor cæli, terræ, ac totius naturæ

non magis debet impedire, quàm ne alia regio calida, alia frigida, alia ſicca, humida alia exiſtat: aut ne alia arbor poma, alia pruna ferat. Non eſt tam ſapientis Architecti, velle Momo ſatisfacere; aut cauere, ne Veneris ſandalium carpat. Quare neq; alia, quæ in humano corpore cenſentur ſubinde vitioſa, vt arceat communis Mundi Rector, eſt exigendum. Si arceret, curſui rerum naturisq; ipſis manum frænumque inijceret, & vim, quam dedit, retractaret. Aliud eſt, in Tibure, aliud in Sardinia eſſe: aliud nigreſcere in Hiſpania, albeſcere in Polonia; aliud in montibus, aliud in vallibus; aliud in terris, aliud in mari degere. Tradit Soranus Epheſius, mulieres, quæ in nauibus pariunt, mutum parere; quod ſiue intelligatur de perpetuò mutis (quod non credo) ſiue non vagientibus, ſed tantùm mutientibus, aut præ tumultu fluctuumq; colliſione non auditis, cùm naſcuntur, Auctor maris non debet mare ipſum, cuius tantus eſt in Mundo vſus, cũ procellis ſuis è medio tollere. Pari pacto ſunt fontes & aquæ, in nonnullis regionibus, admodũ ſalutares, ſi quidem rectè vſurpentur, quæ tamen

Soran. Iiagoge 171

tamen strumosos efficiunt incautiùs bibentes. Num igitur vniuersi Conditor fontes obstruere, riuos claudere, fluuios auertere debet? Enimuerò non debet. Esto viri feminæque inde strumas, tamquam carneas quasdam crumenas, è collo dependulas, gutturalemque & ingratè pinguem quamdam absonæ vocis ruditatem nanciscantur. Vitium deforme nobis videtur esse struma, fateor, & vel regia manu, non sine prodigio, aut gratia gratis data, sanandum; sed num idcirco vel sal, vel metalla, vel lapides, quorum allapsu aquæ vim medicinalem trahunt, in nihilum redigenda sunt? Tum profectò & ipsæ aquæ erunt è Mundo eliminandæ, ne ignem, immò hominem extinguant in eas incidentem. Stultissimi sunt mortales, qui remvtilem nolunt pati, quia nocere potest malè vsurpata.

§. IV.

Cur alia alibi monstrosa, vel non monstrosa videantur?

Moneor hîc, vt & illud obseruem, sæpe fieri consuetudine, vt res deformes non deformes, sed decentes videantur. Vnde desinunt haberi pro mõstris. Vt enim simi-

am simius existimat esse formosam; sic apud eas gentes, quæ viros habent strumosos, fœminæ strumosæ inter formosas numerantur; putanturque sine dote, venire, si veniunt sine eiuscemodi appendice: quæ illis & pro collari est, & pro torque aureo, & pro precioso monili, & pro fascia pectorali; quamuis sæpe tam prolixa, vt in tergum eam reijcere, & retortam in humeris, tamquam imperatoriam chlamydem gestare possint, instarque paludamenti, aut epomidis Doctoralis ventilare.

Monsterus lib. 3. Cosmog

Monsterus scribit, in Stiria ac Valesia, homines esse adeò strumosos, vt non solùm strumæ pondus sermonem impediat, sed fœminæ quoq; lactantes illas post tergum perinde atque saccum proijciant, ne infantibus ad potum inhiantibus sint impedimento. Itaque quæ ratione naturæ sunt aspectu turpia, pulchra efficit consuetudo: immò & corã Deo pulchra sunt, quia con-

Psal. 99. 6. fitentur illius bonitatem, iuxta illud: *Confessio & pulchritudo in conspectu eius.* Multa profectò monstra vocantur, non apud eos, apud quos, & à quibus oriuntur, sed ab ijs duntaxat, apud quos, tamquam insolita pariunt admirationem. Quapropter, apud

Caphres,

Caphres, Æthiopes, Mauritanos, & Ægyptios, nigri homines, quia ita soli natura, & solis flagrantia fert, non æstimantur deformes, sed venusti; ac si ad eos Europæus, aut albæ cutis homo accedat, pro monstro aspicitur. Quod etiam in gigantibus, apud gigantes; & apud pygmæos, in pygmæis fieri, credibile est. Nos pumilos, tamquam hominum compendia, admiramur, quia raritas gignit stuporem: non admiraremur, si omnes pumili essemus. Qua de caussa Nicephorus, cùm de Pygmæo, qui perdici similis inuentus est, narrauisset, adiecit: *Sed etsi hic vnus, aut alter Pygmæus fuit, non tamen populi, in hoc Occidente, vnquam compertisunt.* Quo loco indicat, etsi non in hoc Occidente, attamen alibi populos integros staturæ curtioris reperiri. Et certè patriam cuique quasi parentem esse, multumque & in corpora & in ingenia posse experientia quotidiana demonstrat; sicut & de cælestium siderum afflatu. Hinc illud Ptolomæi effatum est: *Terrestres vultus vultibus cælestibus subijciuntur.* Nicepk. l. 12. c. 37.

§. V.

Vbi canina, aliysq; figuris homines nascantur?

Non

Non disputo hîc, qua vi naturæ, aut quo genere pœnæ, certæ gentes caninæ reperiantur. Nam Solinus tradit, Cynamolgos habere caninos rictus, & promula ora. Et alibi, *Megasthenes*, inquit, *per diuersos Indiæ montes, esse scribit nationes capitibus caninis, armatas vnguibus, amictas vestitu tergorum; ad sermonem humanum nulla voce, sed latratibus tantùm sonantes asperis rictibus.* Suffragatur huic Marcus Polus, qui Indias illas perlustrauit, scripsitque, in Insula Angaman, non solùm capite ipso canino, verùm etiam oculis dentibusque caninis, & anthropophagos esse. Quod & de Nicouerra Indica vrbe alij, alij etiam de quibusdam Tartaris memorant. Nam Ioannes de Plano, & quidam Prædicatorij ordinis, apud Tartaros, Apostolicæ sedis legati referunt, inibi gentem esse quamdam canina facie, quæ cum veris Tartaris æterna odia exercet, miraque, cum illis, arte bellum gerit. Hybernum tempus obseruat. Summo frigore, corpus aquis mergit, madentia membra in arenis circumuoluit. Glaciatâ, per hunc modum, cute, quasi ferreo tergore loricatæ cohortes pugnam securæ ineunt, contemnuntque

Solin. cap. 32.

Marcus Polus l. 3. c. 18.

Ioan. de Plano Minorita. apud Antonin. tit. 19. cap 8. §. 18 Legati de reb. Tart. l. 1. cap. 9. Vinc. hist. l. 31. c. 11.

que ſagittas Tartarorum, glaciem non penetraturas. Victum hoſtem ſolis dentibus vnguibusq; dilaniant. Ceterùm, etſi viri ſint tales, ac nonnulli etiam pedibus bubulis, feminæ tamen humanum vultum gerunt. Paria de cynocephalis Ægyptiorum narrantur. Quæ aliqui temerariè fabulis annumerant. Alij aiunt, fieri dæmonum illuſione: alij cælo ſideribusq; non improbabili ſanè ſententia aſcribunt, cum hæc monſtra, non, ſicut apud nos, in Europa, ſingularia tantùm, & ex prodigio, ſed, ſecundùm ipſam quodammodo loci naturam, vſitatè naſcantur. Ornat & hæc varietas naturam tam ſcitè in rebus ludentem, & oſtendentem, non virum tantùm, ſed & feminam, non album modò, verùm & nigrum; neque humana duntaxat, ſed etiam canina facie homines ſe poſſe producere. Auguſtinus, ſiue quiſquis author eſt, ad Fratres in eremo ſcribit, ſe ad monſtra caput non habentia, & oculos in pectore præportantia, atq; vnoculos, ſerendi Euangelij cauſſa, profectum. Talibus concionari magni laboris, inſignis præmij eſt, vt vel hinc Deus habeat cauſſam naturæ permittendæ, vt erret. Quamquam

Ælian. lib 6. hiſt. cap. 10. & l. 10. c. 26.

Aug. ſer. 37. ad fratres in Erem.

quam neque Deus erret, neque Natura; si dispositiones, si locum, si influxus siderum spectemus, quorum diuersi concursus, diuersos exigunt effectus. Et apud ordinariè monstrosos, tales monstrosi non existimantur, licet maximè sint: non enim se, sed alios, ad se solent æstimare.

§. VI.

Lunæ aliorumq; siderum influxus etiam in monstra multum posse.

Multum autem in hac re etiam facere cælestium corporum operationem, exemplo recenti possumus docere. Nostra enim memoria, Halæ, in Tyroli, iuuenis cetera egregius, sed ibidem patre Iudæo natus, nomine Bonaquistus, admirabiliter in ventre monstrosus fuit. Quippe crescente luna, inde sic illi quoddam taurinum excrescebat caput, non sine cornibus, vt caligæ illius nequaquam satis possent constringi. Qua de caussa, semper crescente luna domi se continebat; decrescente autem eádem, quia & monstrum decrescens se se intra viscera reuocabat, aut detumescebat potiùs, foras prodibat, zona iam arctiore. Quod & in alio iuuene, hîc Ingolstadij fuit videre, cùi itidem, semper luna auctiore, altera

altera maxillarum atq; labra oris, in immensum turgescebant; luna autem lumen amittente, redibat clementior forma. At quis tandem negabit, humores omnes cum luna inualescere? Quod ergò sidus hoc ex parte, & ad tempus certum fecit, vt promoueret monstrositatem, cur non possent etiam efficere reliquorum astrorum maligni aspectus? Sicut enim nulla in cælo lucet stella otiosè, ita neque stellarum coniunctio suo effectu carebit.

§. VII.

Quam vim in monstra habeat materia, vis formatrix, &c.

Porrò, sicut etiam quando animal gignitur, non tantùm solis aliorumque astrorum influxus, aut regionis vel salubritas, vel inclementia id extrinsecus attingunt; sed & alia concurrunt, vt virtus formatrix, quæ semini inhæret; materia è qua fœtus coalescit; receptaculum item fœtus; & completio primarum qualitatum: ita & hæc nimis redundantia, aut deficientia in caussa sunt, vt totum fœtûs opificium nō ad amussim exprimatur; aut, vt mistis seminibus, Androgyni, seu Hermaphroditi, itemque corporis figura semi-

Vide Aristot. lib. 4. de gener animal. c 4. Plutarch. lib 5. de placitis Phil Galenum de hist Philosophica cap. 113.

semihomines, Panes, Siluani, semibestiæ, Fauni, Satyrisci, & Hippocentauri, prodeant; vel nascantur tanti, vt non solùm quatuor pedes habeant, qualem quadrupedem puerum Byzantij natum Platina refert, sed etiam vt dens vnius, *si in nostrorum dentium modulos minutatim concideretur, centum nobis videretur facere potuisse*, vt è D. Augustino memorauimus; vel vt pede, sicut Sciopodes apud Solinum, aut digito, oculo, manuue carentes, qualem Aretij puerum natum scribit Liuius, aut omnino nani pronascantur: vel vt, ob receptaculi angustias, duo fætus in vnum coarctentur & concrescant, vnde bicipites, aut tricorpores Geryones efformantur: vel deniq; vt ob nimium calorem in vtero fumum excrementitium eleuantem infantes barbati, aut, ob frigus, pueri canescentes inueniantur. Numquid autem Deus omnes homines formare debet pares, vt virtus quoq; seminaria in omnibus par, in nullo hebetior firmiorue pares effectus producat, neque partes vllas confusas aut inexpolitas relinquat? Numquid non ipsi sæpe homines materiam fætûs aut per imbecillitatem subducunt, aut multiplicant

Platina in Sabiniano I. Papa.

S. Augustin. l. 15. de ciuit. c. 9. Solin. c. 53. Liu. dec 4 l. 5. Vide S August. l. 16. ciuit. c. 8. Osorium l. 5. hist. c. 6.

Plin. l. 7. c. 2.

per

per abundantiam, aut motu curſuq́; confundunt? Nuncquid alius hoc, alius alio eſt modo affectus, vt vel nimia aridus ſiccitate, vel nimia inconſtans humiditate? Et quid homines Deum accuſant, quãdo plerumque ipſi præcipua ſunt cauſſa monſtroſæ prolis? Nam improba vitæ intemperantia non rarò tales fructus parit. Quædam proles quatuor aures habuit. Quid mirum? habuit & quatuor parentes. Nonnullę mulieres Paſiphaën imitatę ſunt, quid noui, ſi Minotaurũ genuerunt? Quędam non ita pridem porcum peperit; ſed fertur ipſa ſe ſcrofam feciſſe, quid igitur aliud peperiſſet? Quamquam etiam ſine delicto fieri talia poſſunt, ſola materia peccante. Natus eſt, meo tempore, Auguſtæ, pullus gallinaceus, qui ob mirabilitatem in æs inciſus circumferebatur. Corpus illi erat vnum, capita, colla, vropigia duo: Alæ quatuor; totidem pedes. Hic, cùm vnius capitis roſtello ſatis granorum ediſſet, corpus ſcitiſſimè verſabat, vt & altero ſe ſatiaret. Ita vices alternabant edendi. Deprehenſum eſt autem pullum illum eſſe ab ea gallina, quæ ſemper oua cum

gemino vitello pariebat. Vitelli igitur geminatio, & fœtum duplicauit.

§. VIII.

Imaginationem multa posse in hominum formas, variis exemplis ostenditur.

Habet & curiositas, & vis imaginandi parentum tales fructus, quæ absurdas peregrinasque, quas mente voluit, formas fœtui imprimit. Hinc maculæ ex vtero matris agnatæ; hinc auidè desideratorum fructuum effigies partubus adhærescunt. Si cetera exempla deessent, abundè id patefecisset Iacob, in grege maculoso, per virgas variatas, & non variatas procurando. Quem imitantur, qui equas diuersicoloribus tegumentis insternunt, cùm equi admittuntur. Plerumq; enim progenies in eiuscemodi colores degenerat, cuiuscemodi progignentium vel imaginatio apprehendit, vel oculi etiam intuentur. Sed & Auicenna refert, gallinã, quę dum ouis incubaret, milui aspectu perterrita fuit, pullos miluino capite exclusisse. Plinij verba sunt: *Similitudinum quidem in mente reputatio est: in qua credantur multa fortuita pollere, visus, auditus, memoriaq;. Hausta imagines sub ipso conceptu, cogitatio*

Gen. 30.

Auicen. lib. 5 de animal. Lege Galenũ lib. de Theriaca c. 14. Plin. l. 7. cap. 12.

gitatio etiam vtriuslibet animo subitò transuolans effingere similitudinem aut miscere existimatur. Ideoq; plures in homine, quàm in ceteris animantibus differentiæ: quoniam velocitas cogitationum, animiq; celeritas, & ingenij varietas multiformes notas imprimit: cùm cæteris animantibus immobiles sint animi, & similes omnibus singulisq;, in suo cuiusq; genere. Longè verò plura eiuscemodi, in feminis accidunt, quæ curiosiores, & in omnẽ affectum proniores esse consueuerunt. Hinc multis curiosus matris intuitus vngulas, aut cornua caprarũ addidit, & propemodũ etiam Actæones fecit: multis leporinum ac bifidum os dedit; quibusdam etiam fulmineum dentem, velut apris, in palatum inseruit. Persina Charicliæ filiæ regis Æthiopiæ mater, aspecta statua Andromedæ, prope torum genitalem collocata, non sine adulterij suspicione, albam ex Aethiope prolem edidit. Natus fertur Martini IV. Pontificatu, ex illustri femina, Pontificis perneccssaria, puer villosus, & in speciem vrsi vnguiculis armatus. Quo monstrifico partu permotus Pontifex, omnes vrsorum imagines (Vrsinorum insignia) quæ fortè in eius domo fuerunt,

Heliod. de rebus Æthiopiæ lib. 10

iussit deleri: manifesto argumento receptæ ab eo persuasionis, quales in conceptu hauriantur species, tales in partu sæpius repræsentari. Calumniosè hanc historiam Ioannes Balæus, Thomas Coperus, & alij quidam hæreticè maledici, in Nicolaum III. & hunc etiam deinde ipsum Martinum IV. torquent: quam vti omino falsam esse posse scio; ita, licet vera sit, vti esse potest, certus sum à viperinis his linguis venenari: quæ pensi nihil habent mentiri, quando illis iocus est calumniari. Alia mater apud Læuinum Lemnium, monstrum enixa est, quod, post primum lucis intuitum, conclaue stridoribus impleuit, atque vltro citroq; discurrit, latebrasque quæsiuit, dignas principe tenebrarum. Quid aliud meruisset Orci laruis gauisa, quàm Stygij patris characterem? Qualem oculis figuram vidit, talem ventre concepit. Nihil à natura alienum est, si strabo generet strabonem.

Sabell. l. 7. Enn. 9 Lavin Lemn. l. c. 8 de occult. nat. mirac.

§. IX.

Matres aspectu partum afficientes.

Empedoclis scitum est, imaginem, quæ animo mulieris, in ipso concipiendi articulo, occurrit, tantum habere virium in eum

eum fœtum, qui effigiatur, vt ipsius rei character quasi impressus perpetuò hæreat. Hac etiam de caussa Quintilianus matronam defendit, quæ Aethiopem enixa fuerat, cùm eius coloris iconem in thalamo habuisset. Et Hippocrates quoque mulierem suspicione adulterij laborantem, quia marito penitus dissimilem filium pepererat, liberauit, quòd mulier illa, in cubiculo picturam fixius aspexisset, cui similem infantem genuerat. Vixit adhuc nostra ætate æquè bello ac sanguine nobilis vir, cui in pueritia, omnes Angelicum vultum fuisse dictitabant. Ipse autem solebat dicere, matrem suam, cùm prægnans esset, scitissimæ formæ Angelum in pyxide depictum identidem secum in manu gestasse, & ad hunc ipsum finem assiduè contemplatam esse. Consecuta est igitur, quod volebat, Angelum peperit, sed carne atq; corpore indutum; quem & ipse sæpe vidi, atq; hanc caussam formæ suæ affirmare audiui.

§. X.

Laruati mariti effectus.

Alia ex laruato viro, terribilem soboli formam, & ad Satyri modum contuolos atq; introrsum contortos oculos, vultum-

que prorsus Acheronticum impressit. *Vrbs est, in Brabantia Buscumducis*, inquit Augustinus Viues, *in qua, vt in aliis eiusdem terræ statо anni die, quo ferunt maximum vrbis templum dedicatum, publicè supplicatur, ludiq; variis diuis exhibentur. Sunt qui tunc personas diuorum induant: sunt qui dæmonum. Ex his vnus, cùm visa puella exarsisset, domum saltitando se recepit, & correptam, vt erat personatus, vxorem suam in lectum coniecit, se ex ea dæmonium velle gignere dicens concubuit. Concepit mulier, & infans, quem peperit, simul primùm editus est, saltitare cœpit, forma quali dæmones pinguntur. Hæc Margarita Augusta, Maximiliani filia, huius Caroli amita narrauit Ioanni Lamuzæ homini prudentia incredibili, qui tum erat hîc legatus a Ferdinando rege: nunc est huius Cæsaris prefectus in Arragonia, vir qui non modò prefecti nomen & personam, sed regis quoque posse sustinere.* Hæc Viues.

Augustin. Viues in Ibi 12 S. Aug de ciuit. cap 5 et Hier. Torquemada in Horto Florum.

§. XI.

Nomen, & insignia fœtui impressa.

Cui ego alia duo addo, quæ manu illius habeo consignata, qui coram fuit oculatus testis. Primum est, de puero nobili sanè prosapia oriundo, nominis ac familiæ

mihi

mihi notissimæ, qui Bruntruti litteris operam dedit, omnibusque ferè quotidie spectandum dedit ex vtero secum natum maternum monumentum. Erat autem id, retrò aurem, expressum natiuis litteris parentis sui nomen, quod hoc modo accepit. Mater illius, ante coniugium, cum bona parentum voluntate, efflictim amabat sponsa sponsum. Eapropter illum semper mente voluens, quiduis oblatum manu corripere solebat, & in omni re obuia perpetim scribere Sponsi nomen. Prægnans postea aliquando territa aurem fricuit, quo contactu id nomen, quod animo intuebatur, fœtui impressit. Alterum est de antiquissimi stemmatis Comite, qui in lucem editus in fronte decussatos enses, insigne gentilitium, habuit, ab vtero matris apportatum. Posset de natiuis his regum, principum aliorumq; hominum maculis copiosum conscribi volumen. Sed copia nauseam creat. Viues suprà à me commemoratis subiungit: *Mulieres prægnantes multarum rerum desiderijs tenentur: sæpe carbones appetunt, & cineres. Vidi, quæ morsum ceruicis iuuenis cuiusdam: & correpta magnis doloribus abortum fecisset, ni momor-*

disset exanimato pænè iuuene, tam auidè infixis dentibus. De his tam absurdis appetentijs ciborum medici quidem plurima, sed & apud Philosophos nonnulla: velut Aristoteles in lib. de Animal. idq; fieri dicunt ex humore in stomacho vitioso: qui si viris quoque contingat, non dissimilia expetent. Quòd si ergo feminis vterum ferentibus negentur eiuscemodi desideria, vel abortionem, vel eius ipsius rei, quam adeptæ non sunt, maculam in partu faciunt, ea præsertim parte, quam manu fricant. Cuius rei caussa in arcanis naturæ est. Fieri imaginatione, nemo negat; quo modo imaginatio vim hanc exserere possit, nemo explicat satis.

§. XII.

Quid imaginatio possit, vel non possit, in corpus proprium?

Multi enim de Phantasia disputauerunt; omnes concedunt vim imaginationis esse maximam. Neque est qui dubitet, imaginationē in corpus imaginantis plurimùm posse; immò D. Thomas asserit, posse omnia, quæ naturalem coordinationem habent cum imaginatione, vt sunt motus locales, & alterationes per frigus, calorem, & quæ hanc alterationem consequuntur.

Verba

Verba ſunt S. Thomæ : *Dicendum, quòd imaginationi, ſi fuerit fortis, naturaliter obedit corpus, quantum ad aliqua : puta quantum ad caſum de trabe in alto poſita: quia imaginatio nata eſt eſſe principium motus localis : vt dicitur 3. de Anima. Similiter etiam quantum ad alterationem quæ eſt ſ cundùm calorẽ & frigus, & alia conſequentia, eò quòd ex imaginatione conſequenter natæ ſunt conſequi animæ paßiones ſecundùm quas mouetur cor, & ſic per commotionem ſpirituum totum corpus alteratur. Aliæ verò diſpoſitiones corporales, quæ non habent naturalem ordinem ad imaginationem, non tranſmutántur ab imaginatione, quantumcumque ſit fortis: puta figura manus vel pedis, vel aliquid ſimile ;* vt eſt, adijcere ad ſtaturam ſuam palmum, habere barbam, vel habere talis, vel talis coloris barbam. Quàm enim multi ſibi hæc talia imaginantur, & tamen nec barbeſcunt, nec ruffeſcere deſinunt, nec fiunt longiores. De reliquis autem experientia eſt in noctambulis illis, qui in ſomno, ſenſibus ſopitis, per imaginationem mira faciunt: quemadmodum Galenus de ſe ipſo toſtatur, ſe integrum ferè ſtadium confeciſſe, nec antè à ſomno excitatum, quàm in lapidem

S. Thom. 3. p. diſp. 13. ad 3. & l. 3 cont. gent. cap. 103. Ariſt. lib. 3. de anim. tex. 48.

pidem offendisset; eodem modo Theonem Stoicum dormientem in somnis ambulare; Periclis seruum in summo tecti fastigio solitũ spaciari. Cuius rei rationem esse aiunt, quòd imaginatio, dum rerum sensu perceptarum simulacra retractat, simul etiam excitat potentiam appetitiuam ad timorem, pudorem, iram, aut tristitiam, quæ affectiones, hominem ita afficiunt, vt calore, vel frigore alteratus pallescat, vel rubescat; exiliat, vel torpescat, efferatur, vel deijciatur. Quod contingit potissimum in his, quorum imaginatio est vehementior; & qui acriùs perturbari, ac res tenaciùs apprehendere sunt soliti. *Dicamus moueri dormientes*, ait Andreas Laurentius, *quia exigua vis in musculis latens à forti imaginatione excitatur: propterea non mouentur somniantes, nisi valida imperante imaginatione, brutorum imaginationi simillima*, antequam necesse est rei externæ vel totius, vel ex parte sensum aliquando præcessisse, licet dudum præcesserit.

Andreas Laurent. lib. 4. hist. Anatom. q. 12.

§. XIII.

Quid imaginatio possit in corpus quasi alienum?

Sicut igitur multum potest imaginatio in

in corpus proprium, ita potest etiam non parum in illud corpus, quod ei arcta quadam coniunctione & contactu est copulatum, quale corpus est fœtus in vtero, aut etiâm semen parentum. Sæpe enim imaginatio vtriusque parentis ad eiuscemodi monstrum producendum concurrit; licet vnius etiam sufficiat, vt Valesius docet. Sic Fernelius scribit, pauonem, si dum ouis incubat, linteis albis circumtegatur, albos omnino pullos, non variantis coloris, edere. Sic itidem per imaginationem, quæ conceptioni succesit, non rarò proles, etiam iam formata in vtero, maternæ imaginationis dispendia sensit. Præter exempla superiùs allata. Witebergæ quædam mater vterum ferens, obuio cadauere, subitò pauefacta, puerum postea peperit, qui vsque ad longam ætatem facie fuit cadauerosa. Et Isenaci pudica matrona glirem peperit; quia *ex vicinis aliquis gliri nolam appenderat, ad cuius sonitum reliqui fugarentur; is occurrit mulieri grauidæ, quæ ignara rei, subito occursu, & aspectu gliris, ita est conterrita, vt fœtus in vtero, degeneraret in formam bestiolæ.* Alius author ita scribit: *In Bilsen Bohemiæ oppido* (Anno 1542.) *vt*

Valesius lib. de sacra Phil. c. 11. Fernel. lib. de hominis procreat.

N. Domenent in c. 30. Gen.

Conrad. Lycosthen. lib. de

Peucerus,

Prodigijs & ostentis. Anno 1542.

Peucerus, de Teratoscop. memoriæ tradidit, natus est infans similis imagini Christi crucifixi, aut pendentis in cruce, qui collum tortum, & in latus inflexum habuit, quemadmodum pingitur imago Filij Dei de cruce ablati ut difficulter ipsius ori propter obliquitatem cibus inseri potuerit. Crura etiam transuersa & inflexa habuit, quæ etsi aliquoties seiungerentur, sua sponte tamen ad priorem figuram relapsa sunt. Vixit aliquamdiu Viennæ Austriæ. Hanc mihi historiam suspectam facit, non tam quia pro ea hæreticus hæreticum testem citat, quàm quia videtur ad crucifixi imaginem abolendam excogitata. Videtur enim id innuere, vt fœminæ prægnantes abstineant à cruce intuenda. Sed non est magnum hîc periculum, cùm paucæ tales eam effigiem imaginationi imprimant adeò vehementer; & si vel vehementissimè eam apprehenderent, tamen Deus non censendus est sic earum remuneraturus pietatem. Potiùs igitur existimo, si vera est illa historia, in pœnam id fœminæ hæreticæ contigisse; quæ, quod in Dei Filio irriserit, coacta sit intueri in suo. Illud certius esse arbitror, quod mihi vir eruditus & fide dignus scripsit, Anno Christi 1599.

1599. die 29. Octobr matronã quamdam alioquin honestam, Venetijs, vna partione gemellos edidisse, quorum non tantùm corpora inuicem concreuerant, sed etiam cancellatis cruribus ita iuncta erant, vt ægrè sexus discerni posset. Diu fuerat à medicis & chirurgis anquisitum, quî dissolui possent? Sed opera omnis lusa; omnes artes, omnes industriæ in irritum cecidêrunt. Mortuo vno, alter quinque dies superuixit. Pudendi partus pudenda causſa fuit: sed quæ meritò terrere potest coniuges illos, qui existimant, nihil obesse, si thalamos suos suspensis vndique obscœnis imaginibus exornent dicam, an dedecorent? Repertum est enim Venetæ illius domûs dominum propudiosam quamdã in conclaui suo imaginem exposuisse, qua complexus sponsorum exprimebatur. Atqui, teste Isidoro *hanc fœminarum dicunt esse naturam, vt quales perstexerint, siue mente cogitauerint, in extremo voluptatis æstu, dum concipiunt, talem sobolem procreent. Etenim anima in vsu venereo formas extrinsecas intus transmittit, eorumq; satiata typis, rapit species eorum in propriam qualitatem.* Eadem est D. Hieronymi, & D. Augustini de Apiboue

S. Hieronym. Tradit. in

Gen. cap. 30. S. August. l. 18. de ciuit. Dei c. 9.

boue agentis sententia. Et idem Thomas Morus his versiculis indicauit:

Atqui graues tradunt sophi:
Quodcumque matres interim
Imaginantur fortiter,
Dum liberis dant operam;
Eius latenter & notas
Certas, & indelebiles
Modoq; inexplicabili,
In semen ipsum congeri:
Quibus, receptis intimè
Simulq; concrescentibus,
A mente matris insitam,
Natus refert imaginem.

§. XIV.

Prægnantibus curiositate abstinendum.

Lud. Viues l. 2. de Christian. femina.

Qua de causa eruditus Hispanus, paulò antè à nobis laudatus, matres, dum vterum ferunt, etiam atq; etiam considerare iubet, quàm periculosæ validæq; sint, in humano corpore, imaginationes; atq; eapropter operam dare, ne quam admittant de formis, turpis & obscœnæ rei cogitationem. Item vt pericula deuitent, in quibus fœda aliqua visu species possit occurrere. Quòd si eas occasiones adeant, præcogitent, quidquid possit oculis offerri; ne

ri; ne ex inopinata nouitate noceat, si quid subitò aspexerint, vnde contrahat noxam fœtus. Mihi fœminæ prægnantes non tantùm admonendæ sunt, vt à Comœdijs, pugnis, imaginum curiositate abstineant; sed multò maximè etiam, ne ex fornicatione, adulterijs, incæstu, sacrilega cum cacodæmone consuetudine prægnantes fiant. Quid mirum, si sequitur segetem messis? Qui bonas fruges volunt legere, non debent facere malorum sementem. Tantum ergò abest, vt Deus sit ab istis arguendus, vt ipsi potiùs caussa sint suæ calamitatis, & quidem Physica ac naturalis; longè tamen frequentiùs caussæ morales intercurrunt.

CAPVT VI.

Prima moralis Monstrorum caussa, vt sint signa Dei, monere, aut sanare volentis.

§. I.

Per Monstra aliquid significari.

Deste ergò impatientiæ pupilli, qui naturæ legem dicitis, & in cælum os ponitis, atque arma in ipsos

ipsos superos mouetis, quando infantuli vobis adeò informes nascuntur, vt non homines, sed abominationes videantur: quibus etiam vulgò fertur, meliùs prouisum fore, si in lucem numquã prodijssent. Siquidem, vt *monstra* non monstrant tantùm aliquid, sed etiam ipsa monstrantur, & velut *ostenta* ostenduntur, si qui velut Argi nimis oculei; aut tamquam Cyclopes vnoculi; aut, Iani instar, bifrontes; aut, ad Cerberi formam, tricipites; vel, vt Hecate, multiformes pariuntur. Putanturque hæc ingens parentum infamia, tristitia amicorum, propinquorum verecundia, naturæ deducus esse. *Regula est humanæ naturæ, vt omnis homo nascatur duos oculos habens, & quinos digitos*, ait S. Chrysostomus (in Matth. 23. hom. 45) *aliquando tamen vt manifestentur opera Dei, nascitur homo aut sex digitos habens, aut oculos omninò non habens.* Inter quæ opera est diuinæ vindictæ vel præsentis vel impendentis significatio. Siquidem plerumque monstra aliquid monstrãt, & portenta futurum aliquod malum vel bonum portendunt, (ipso Cicerone dicente: *Prædictiones & præsensiones rerum futurarum, quid alind*

Cic. lib. 2. denat. Deor.

aliud declarant, nisi hominibus ea, quæ futura sunt, portendi, prædici, ex quo illa, ostenta, monstra, portenta, prodigia dicuntur?) quando vel ipsi parentes in monstrosa prole, vel alij per alia prodigia instruuntur, vel plectuntur. Immò pœnam sæpe monstra & significant secuturam, & post se, aut secum ipsa non rarò trahunt. Sicut enim benignus Mundi Gubernator, per somnia, per oracula, per Prophetas; ita & per monstra aliaq; prodigia *dat metuentibus se significationem, vt fugiant à facie arcus.* Quin & improbos, & totas gentes præmonet de futura clade. Sic aiunt, tempore regis Xerxis, vulpem ex equa creatam, dissolutionem regni eius portendisse; tempore Alexandri, ex muliere monstrum natum, quod superiores corporis partes hominis, sed mortuas habuerit; inferiores diuersarum bestiarum, sed viuentes, significans repentinum regis interitum. Superuixerant enim deteriora melioribus. Et hæc quidem apud Ethnicos contigerunt, apud quos itidem neque reges; neque regna, sine diuino nutu, sunt punita. Ne pœna autem inexpectata esset, haud rarò eos monstra præmonuerunt. Quid quòd ipse ma-

Psal. 59.6.

Vide plura exempla, apud Plin. l. 7. cap. 3.

lus dæmon, vt est grauium malorum author, ita nonnunquam etiam cogitur esse eorundem vaticinator?

§. II.

Monstrum sub Polycriti forma vaticinans.

Mirabile est, quod Strozius Cicogna refert de Spiritu incubo, *qui Polycriti formâ, Ætolorum Princeps creatus esse, & iuuenculam Locrensem vxorem duxisse, legitur, cum qua, tribus exactis maritali consuetudine noctibus, subitò disparuit, grauidamq; vxorem reliquit, quæ postea Hermaphroditũ monstrosum valdè partum edidit. Mulieris parentes attoniti monstrum in forum detulerunt, vbi conuocato senatu, vocatisq; aruspicibus, deliberatum fuit, quid monstro illo faciendum esset. Consuluerunt alij, vt partus flamma aboleretur; alij, vt mater cum partu Ætolorum finibus exigeretur. Heic Polycritus nigro vestitu amictus repentè apparuit, & precibus primùm, deinde minis filium reposcit. Recusantibus Ætolis, in medium prosiluit, & infantem apprehensum totum deglutiuit, capite excepto, statimq; disparuit, AEtolis ingenti stupore perculsis, & de legatis ad oraculum Delphicum mittendis consulentibus. Infantis caput in medio foro iacens loqui cœpit, & grauis oratio-*

Stroz. Cicogna in theatr. vniuers. nat. part. 1. l. 3. c. 1. & ex eo Henric. Kornmannus de mirac. mortuor. p. 4. c. 13.

oratione magnam eadem prædixit, quæ non multò post secuta est, prælio, inter AEtolos & Acharnanenses, commisso. Habes hîc præsagium & supplicium. Erat enim digna parentibus proles, mulctans pariter, & vaticinans, sed non sine dæmone monstri parente, Dei lictore, & mali nunciatore.

§. III.

Victoriarum amittendarum nuncia monstra.

Sunt &, apud Valerium Maximum huius præmonitionis exempla. Nam loquens de C. Hostilij Mancini vesana perseuerantia scribit, ei *consuli in Hispaniam ituro hæc prodigia accidisse. Cùm ab Herculis portu, quò pedibus peruenerat, nauem conscenderet, talis vox sine vllo auctore ad aures eius peruenit, Mancine mane. Qua territus, cùm itinere conuerso Genuam petisset, & ibi scapham esset ingressus, anguis eximiæ magnitudinis visus è conspectu abijt.* Hæc & insuper aliquid de pullis fugitiuis, concludit tali epiphonemate: *Ergo numerum prodigiorum numero calamitatum æquauit, infelici pugna, turpi fœdere, deditione funesta.* Et postea, paulo infra: *Non sinit nos M. Crassus, inter grauissimas nostri imperij iacturas numerandus, hoc loco, de se silentium agere: plurimis & euiden-*

Valer. Max. l. 1. c. 6. n. 6.

sissimis, ante tantam ruinam, monstrorum pulsatus ictibus. Vbi autem ea commemorauit, ita pergit: *Magna hæc prodigia: sed & illæ clades aliquanto maiores: tot pulcherrimarum legionum interitus, tam multa signa hostilibus intercepta manibus, tantum Romanæ militiæ decus barbarorum obtritum equitatu, optimæ indolis filij cruore paterni respersi oculi, corpusq; imperatoris inter promiscuas cadaverum strues, auium ferarumq; laniatibus obiectum. Vellem equidem placidiùs, sed quod relatu verum est. Sic dij spreti excandescunt: sic humana consilia castigantur, vbi se cælestibus præferunt.* Plerumque enim fit, vt perituri primùm prudentiam amittant, dein sua sapientia nixi consilia salubriora spernant, quorum ope imminentes sibi calamitates vitare potuissent; vnde id consequuntur, vt quod illis accidit, etiam meritò accidisse videatur, & casus in culpam transeat. Atque hæc quidem vel Ethnici agnouerunt.

§. IV.

Deum per monstra, ac præsertim per Cometa de ventura calamitate præmonere.

Eorundem signorum rationem haberi vult etiam diuinus Spiritus in litteris sacris.

eris. Quid enim aliud voluit Dauid celebri illo ac festiuo cantu? *Confitemini Domino, & inuocate nomen eius: notas facite in populis adinuentiones eius. Cantate ei, & psallite ei: & narrate omnia mirabilia eius, &c. Quærite Dominum, & virtutem eius: quærite faciem eius semper. Recordamini mirabilium eius, quæ fecit: signorum illius, & iudiciorum oris eius.* Quin & ipse Seruator ait: *Erunt signa in sole, & luna, & stellis, & in terris pressura gentium, præ confusione sonitus maris & fluctuum.* Vbi & alia complura signa commemorat. Sicut ergo signa illa iudicium vniuersale sunt prænunciatura; ita multis idem clementissimus in hac vita judex Deus, antè per monstra significat judicium quoddam peculiare, vt *fugiant à facie arcus.* Antè enim tonat, quàm fulminat, & priùs telum ostendit, quàm mittit. Eiuscemodi signa in cælo, in terris, in omnibus elementis, ac generibus rerum dedit. In cælo quidem stellas nouas, vt omittam Cometas: nam de Cometis futuras clades portendentibus proprium volumen conscribi posset. Thucidides certè, & Plutarchus tradunt, ante cladem Athenienſium in Sicilia, quæ accidit Olympiade

1. Paralip. 16. 12.

Luc. 21. 25.

Thucid. l. 6. & Plutarch. in Nicia.

nonagesima secunda, Euclea Athenis prætore, Cometam in Septemtrione visum esse. Significauerat is, & Athenienses vincendos, & Niciam cum alijs interficiendũ. Sed quid hunc Oceanum ingrediar? Visus à nobis cometa Anno 1618. nonne satis multas, magnas, & diuturnas Germaniæ bellicas calamitates portendit? Sed quàm pauci eius commonitione territi à vitæ suæ improbitate resilierunt? Expectauimus vltronei cladem; cuius nunc à Deo finem fieri quotidie optamus, nec tamen ipsi finem facimus Numinis offendendi. Pœnæ terminum volumus poni, non delictis: & clementem cupimus esse illum, quem videmus monentem. Vno verbo, plecti nolumus, dum plecti meremur; & hostem cupimus à nobis auerruncari, dum nos ipsi pergimus esse hostes Dei. At, ô quàm bonus est Deus! Alij, quorum vox est, *Dolus an virtus, quis in hoste requirat?* noctes diesque cogitant, qua fraude hostes suos circumueniant, & occupent imparatos: Deus, quos vult ferire, signis monstrisque monet, vt ictum declinent. An non igitur suamet culpa pereunt, qui moniti non *fugiunt à facie arcus?*

§. V.

§. V.

Ignium monstra clades vaticinantia:

Per elementa quoque monstrosè monitos esse mortales luculentis historijs accepimus. Liuio teste, in bello contra Veientes, Manlij prætorium de cælo tactum, laceratum fulmine tentorium, euersus foculus, arma fœdata, ambusta ac in totum contrita : occisus eximius equus, quo in prælijs vti consueuerat. Interrogati igitur interpretes prodigiorum, responderunt, significare castrorum oppugnationem, & clarissimorum virorum interitum. Cum Hetruscis cruento prælio pugnatum. Q. Fabius, Marci frater, bis consul, & tunc legatus, lancea per pectus ictus interijt. Manlius Consul in clade occubuit, & vallum Romanorum captum est. Ecce vnum fulmen quot tetigit; vnus ignis quot vsit. In Hiera insoliti noctu ignes extitêre, interdiu fumus velut ex camino redditus est. Quid inde secutum? Mota est plerisque Græciæ locis terra; qui motus Lacedæmonijs in Isthmum procedere cupientibus, & in Atticam iter instituentibus fuerunt impedimento. Adeò non in militia duntaxat, sed etiam in totius Mundi

Sab. lib. 6. Ennead. 3

Iulius Obsequens c. 12, 13, & 14.

Republica per ignes signa dantur. Anno ante Christum natum 460. 461. & 463. antè, quàm ferè Volscorum nomen deletum est, & antè, quàm annus tam hominibus, quàm pecori longè fuit pestilentissimus, cælum ardere visum est plurimo igne, portentaq; alia aut obseruata oculis, aut vanas exterritis ostentauêre species, quibus auertendis terroribus, vt post Liuium scribit Iulius Obsequens, in triduum feriæ indictæ: per quod omnia delubra pacem Deum expoſcentium virorum, mulierumque turbâ implebantur. Animaduersumque est sæpius, ingruente bello, peste, aut terræ motu, aut alia calamitate, proluuium ignis ex Ætna maius manauisse. Mirum est, à vera religione alienos, ne infortunium inuenirent, in fanis suis, & à Dijs falsis auxilium quæsijsse; nos autem, quos & Siculi, & alij ignes toties monent, diuinam iram sicut ignem exarsisse, nondum incendia lachrymis extinguere. Sicut enim cælestis iræ ignis impietate accenditur, ita fletu & pœnitentia deletur; immo anteuertitur, ne inualescat. Sed stulti in cachinos proni malunt lachrymis digna facere, quàm lachrymare: quibus dicitur:

Oros. l. 2. Vinc. l. 4. cap. 59.

Psal. 88. 47.

citur: *Væ vobis, qui ridetis nunc; quia lugebitis, & flebitis.* Luc. 6. 25.

§. VI.

Ignis & Aëris alia boni ominis monstra.

Quia autem prodigiorum quoque, quæ secunda acciderant, debita proposito nostro relatio est, siue igni, siue aëri ascribi potest *felicis euentus illa flamma, quæ ex L. Marcij ducis duorum exercituum, quos interitus P. & Cn. Scipionum in Hispania debilitauerat, capite concionantis eluxit. Namq; eius aspectu pauidi adhuc milites pristinam recuperare fortitudinem admoniti, octo & triginta millibus hostium cæsis, magnoq;, numero in potestatem redacto, bina castra Punicis opibus referta ceperunt.* Val. Max. lib. 1. c. 6. n. 2.

Ad ignem quoque & aërem pariter pertinet, quod Plutarchus narrat de Themistocle. *Is cùm nauali prælio contra Xerxem regem pugnaret, flammam magno lumine ab Eleusine illuxisse; sonitum quoq; ac vocem, toto Thriasio agro ad mare vsque exauditam esse, velut ex hominibus multis mysticum Iacchum educentibus, scribunt. Ex multitudine verò vocum referri à terra paulatim nebulam, ac in triremes rursus reuerti, decidereq; visam. Alij imagines & simulachra affirmarunt ab Ægina apparuisse ar-* Plutarch. in Themistocle.

matorum hominum, manusq; pro Græcis attollentium, quos Æaridas esse coniecerant, à quibus ante pugnam precibus & votis implorârant opem. Ac sic Græci, Themistoclis atq; Lycomedis Athenienſis Tetrarchi virtute victores contra barbaros facti Xerxem fugârunt.

Iul. Obſequens c. 8.

Ad aërem quoque pertinet, quod Iulius Obſequens refert, ſilentio noctis ex ſilua Arſia ingentem vocem auditam eſſe, quæ ſuperſtitiosè Siluani credita fuerat. Proclamauit autem, viciſſe bello Romanum. Potuit Angelus Romanorum fuiſſe. Sic in igne, ſic in aëre Deus mirabilia facit.

§. VII.

Aquarum prodigia.

Neque in aëre duntaxat, ſed in ceteris quoque rebus. Ille enim eſt, qui olim dixit: *Extendam manum meam, & percutiam Ægyptum in cunctis mirabilibus meis.* Quare, ſicut Pharaonem tunc etiam in aquarũ prodigijs monuit, ita ſæpius poſtea, & alios per aquas prodigioſas erudiuit; licet nonnulli ſuperſtitionibus diuina ſubinde monita inquinârint. *Hippocrates, cùm tyrannus Athenis eſſet, hoſtiamq; immolaſſet, ahena, vt impoſita erant, plena, & carne, & aqua abſq; igne efferbuerunt, ita vt aqua redundaret.*

Exod. 7. 20.

Herodot. lib. 1.

dundaret. *Quod portentum conspicatus Chilon Lacedæmonius, qui fortè aderat, suasit ei, primùm ne vxorem fœcundam duceret domum, secundo loco, si vxorem haberet, ejiceret, & si quidem ex ea filium sustulisset, abdicaret.* Vereor ne in hac aqua sine ignibus ebullientе Orcinum potiùs infuerit, quàm diuinũ portentum, cùm neque interpretatio eius fuerit diuina. Quare ad aliud aquaticum prodigium me confero, ex Dionysio Halicarnasseo sumtum. Quo tempore quinquaginta peditum millia, duodeuiginti equitum, vno tempore, barbari in armis habuerunt, Cumarum ciues à Daunijs, Vmbris, & alijs circumiectis gentibus oppugnati viderunt Vulturnum & Clanium amnes hostium castra præterlabentes, retro cursum suum flexisse; eoque miraculo Cumani in spem bene gerendæ rei erecti fretique locorum opportunitate, in pugnam egressi immensum exercitum profligauerunt. Iterata sunt hæc olim aquarum miracula, vt & Ægyptij in mari rubro vincerentur; & non tantùm per flumina, sed etiam per maria Israëlitæ siccis pedibus transirent. Cedunt enim ad Dei imperium aquæ, & succedunt. *Cùm bello acri & diuturno*

Dionys. Halicarn. lib. 7.

Val. Max. lib. 1. c. 6. n. 3.

turno Veientes à Romanis intra mœnia compulsi, capi non possent; eaq; mora non minus obsidentibus, quàm obsessis intolerabilis videretur, exoptatæ victoriæ iter miro prodigio dij immortales patefecerunt: ait Valerius Maximus. *Subitò enim Albanus lacus, neque cœlestibus imbribus auctus, neque inundatione vllius amnis adiutus solitum stagni modum excessit.* Ita obsessi diuinitus muniti videbantur. Sed opem in contrarium traxit ars Stygia. Nam *eius rei explorandæ gratia legati ad Delphicum oraculum missi retulerunt, præcipi sortibus, vt aquam lacus eius emissam, per agros diffunderent. Sic enim Veios in potestatem populi Romani venturos. Quod priùs, quàm legati renunciarent, aruspex Veientium à milite nostro (quia domestici interpretes deerant) raptus, & in castra perlatus, dixerat. Ergo senatus duplici prædictione monitus, eodem pænè tempore, & religioni paruit, & hostium vrbe potitus est.* Hæc Valerius, quæ etsi aruspicina, & oraculum falsi Numinis contaminet, contigisse tamen per aquas plus nimio credibile est; cum paria, à Valerio Maximo recensita, vt de aqua, quæ apud Cerites sanguine commixta fluxit, confirmet D. Augustinus, qui ait, *etiam*

S. August.

tum

tum natos infantes de uteris matrum quædam verba clamasse: volasse serpentes, feminas (& gallinas, ut homines) in masculum sexum fuisse conuersas. Et quis dubitet, aquis mirabilia, in signum diuini vel fauoris, vel furoris contigisse? Nonne nos ipsi, in vltimis Comitijs Ratisponensibus Anno 1641. celebratis coram experti sumus, omnibus prodigium, immò miraculum agnoscentibus, Danubium, vna repente nocte, glacie resoluta, fluxisse, transitumq; Panierio & copijs illius negasse; quæ repentinæ aduenerant, & pænè totius imperij legatos, vnà cum optimo Cæsare Ferdinando III. oppresserant imparatos? Ne Danubium igitur transirent, congelatum ex aquis pontẽ illis Deus subduxit, aquas obiecit, & vnà glaciem ac consilia hostium dissoluit. lib. 4. de ciu. Dei.

§. VIII.

Terrarum monstra.

De signis, per terræ motum, mutationesque editis, est passim ex authoribus occasio intelligendi. M. Tullius ad aruspicinæ rationem refert, quæ Tages quidam dicitur in agro Tarquinensi, cùm terram araret, & sulcus altiùs impressus esset, voce repentè existente, audiuisse. Sed sæpe Cic. de diuin.

vox

vox aliud monuit, aliud auditor intellexit. Quid tonitrua de cælo, quid terræ tremebundæ mugitus aliud significant, quàm vt iram Dei fugiamus? Vt enim homini, qui Conditori suo seruit, seruiunt omnia; ita eidem exorbitanti omnia minitantur. Sapi. 19. 6. *Omnis enim creatura ad suum genus ab initio refigurabatur, deseruiens tuis præceptis, vt pueri tui custodirentur illæsi. Nam nubes castra eorum obumbrabat, & ex aqua, quæ ante erat, terra arida apparuit, & in mari rubro via sine impedimento, & campus germinans de profundo nimio: per quem omnis natio transiuit, quæ tegebatur tua manu, videntes tua mirabilia & monstra.* Sed quia huc pertinent omnia monstra terrarum, sæpius à nobis attingenda, compendio locus esto.

§. IX.

Lapidum & metallorum Monstra.

Val. Max. lib. 1. c. 6. n. 5. *Præcipuæ admirationis etiam illa prodigia, quæ,* Romæ, *inter initia motusq; bellorum acciderunt,* inter quæ fuit, *in Piceno lapidibus pluisse. In Gallia lupum vigili è vagina gladium abstulisse. In Sicilia scuta duo sanguinem sudasse.* Sed nihil est supra lapides illos circiter 1200. qui magno omnium stupore,

stupore, in agro fluuio Abduæ contermino, è cælo ceciderunt. Ex illis enim, vt Cardanus de rerum varietatæ scribit, vnus 120. pondo, alius sexaginta, delati fuerunt ad regis Gallorum satrapas, & pro miraculo habiti sunt. Color eorum ferrugineus, durities eximia, odor sulphureus. Præcesserat in cælo ignis ingens horâ tertiâ. Decidentium lapidum strepitus hora quinta exauditus, vt mirum sit, horis duabus, tantam molem in aëre sustineri potuisse. Intra viginti menses pulsi Mediolano Galli. Triennio post reuersi variâ priùs fortuna, inde iterum acti, ad excidium profligati. Vrbs Mediolanensium, in cuius finibus ceciderant lapides, vectigalibus, incendio, fame, obsidione, peste nunquam grauiùs vexata. Atque hi lapides Anno salutis 1510. lapsi sunt è nubibus, priora autem illa portenta lapidum, & gladij, per lupum è vagina educti, P. Volumnio, Ser. Sulpicio Coss. contigerunt. Ita & in lapidibus, & in metallis signa habita sunt. Sed in metallis alia quoque edita leguntur. *Clitodemus omnium, quotquot Athenienſium res paruas descripserunt antiquissimus, in Attica historia inquit; cùm* Pausan. l. 10.

Athe-

Athenienses classem iam Siciliam versus instruxissent, infinitam coruorum multitudinem pronolasse Delphos, & mutilasse simulachri partes, aurumq; ab eo rostris detraxisse. Addit idem, hastam fregisse coruos & noctuas, & quidquid ad imitationem fructuum autumnalium erat ad palmam effictum. Mira vel monstra, vel miracula, vel vtraque simul in metallis futura significantibus recensentur. Gaspar Ens refert, de Comitibus Westerburgijs, qui arcem habuerunt, non procul à Rheno, edito loco impositam. Illi aliquando, ob pestem inibi grassantem aliò concesserant. Non multò post tamen redierunt. Dum in arcem ascendunt, ecce malleus horologij pro tertia aut quarta hora pomeridiana, sponte vndecim ictibus exsonat. Mirantur omnes insolitum errorem; hospites caussam exquirunt ab arcis custode, qui ait, nullam se eiusce rei caussam scire: horologium quidem complusculis diebus à nemine tactum. Quid fit? recrudescit mox pestis, & comites vnà cum ijs, qui redierant, tot numero, quot æs Campanum sonitu suopte indicauerat, interemit. Frequentiùs hoc prodigij genus accidit, vt de ventura homines mortis

Gaspar Ens. l. 4. Pausilip.

Matth. 24 24.

hora

hora simili indicio admoneantur; adeò bonus Deus non solùm verbis prædixit, docuitque, se more furis venturum; sed insuper qubusdam, ne lauernionis instar, sed vt præscitus veniat, etiam dignatur aduentum suum significare; ita nulla illis est excusatio, qui deprehenduntur imparati & dormientes. Quin eiusdem authoris testimonio, in Aragonia æs quoddam est Campanum, quod *Campanam miraculosam* vocant, non procul à Villila. Hoc æs in turri quadam colli impositum pendet, circuitu ad X. vlnas complexum, sua sponte, id est, nullis hominum manibus, nullo vento, nullo terræ motu, alteriusúe sub aspectum cadentis rei impulsu, sonat; rarò tamen. Animaduersum est, eum sonum, semper aliquid magni portendere. Factum id aiunt, paulo antè, quàm Sebastianus Lusitaniæ rex expeditionem in Africam suscepisset. Item, cùm Alfonsus rex Aragoniæ numeroso instructus exercitu in Italiam profectus Neapolitanum regnum occupasset: itemque sub excessum Caroli V. Imp: vt & in periculoso morbo Philippi II. regis, nec non in morte Annæ reginæ. Quin etiam aiunt, Anno 1610. 13. die

Quintilis vsque ad 24. sonitum eius de die in diem, per interualla auditum esse. Nimirum quemadmodum in domibus Religiosorum, ad dormiendum & vigilandum, ad orandum & cantandum æris pulsu signum solet dari, vt omnia ordine fiant, neque quidquam, quod ad disciplinam pertinet, negligatur; & quemadmodum in vrbibus tinnitu sonituq; æris mortales ad templum conuocantur; ita & Deus subinde in vniuerso orbe commonet homines, vt excubent, & officio suo non desint. Neque sine caussa dictum est: *Laudate eum in cymbalis benesonantibus, laudate eum in cymbalis iubilationis.*

Psal. 150. 5.

§. X.

Plantarum fausta & infausta monstra.

In plantis quoq; monstra euenire plures testantur. Nam *est in exemplis*, arbores *& sine tempestate, vllaue caussa alia, quàm prodigij cecidisse multas, ac sua sponte resurrexisse. Factum hoc populi Rom. Quiritibus ostentum Cimbricis bellis Nuceriæ in luco Iunonis, vlmo, postquam etiam cacumen amputatum erat, quoniam in aram ipsam procumbebat, restituta sponte, ita vt protinus floreret. A quo deinde tempore maiestas populi Rom:*

Plin. l. 6. nat. hist. cap. 32.

Rom. resurrexit, quæ antè vastata cladibus fuerat. Memoratur hoc idem factum & in Philippis, salice procidua atq; detruncata: & Stagiris in musæo populo alba. Omnia fausti ominis. Sed maximè mirum Antandri platanus etiam circumdolatis lateribus restibilis sponte facta, vitæq; reddita, longitudine XV. cubitorum, crassitudine quatuor vlnarum.

Quin etiam, vt Dionysius & Herodotus memorant, Laodiceæ aduentu Xerxis platanus in oleam mutata est. Fuit in his arborum monstris virorum fortium quædã imago, qui etiam apud Isaiam voçantur *plantatio Domini ad glorificandum*. Ac,ne rerum felicium duntaxat, in plantis, monstra gigni existimentur, refert Valerius, *metentibus, apud Antium, cruentas spicas in corbem cecidisse*; significabatur scilicet, multum sanguinis, instante bello, faciendum, & plurimos mortales fatali falce metendos. Quippe etiam hoc in plantis portenditur. Siquidem *omnis plantatio, quam non plantauit Pater* cælestis, *eradicabitur*. Talem eradicationem etiam portendit fraxinus, quam Anno 1592. Embricæ in collegio F.F. Hieronymianorum tempestas fregit. Eius enim truncum vbi

Dionys. lib. 9. Herodot. l. 7. & 8.

Isa. 61. 3.

Val. Max. lib. 1. c. 6. n. 5.

Matth. 15. 13. Ianso. t. 1. lib. 5. Mercurij Gallo belg. pag. 355.

Collegij procurator exscindi, & in frusta secari iussit, in singulis incisionibus tota militum agmina expressa apparuerunt; inter quos tympanotribæ, signiferi, ductores alijque milites Borussorum & Polonorum more amicti non aliter, quàm si ex industria depicti essent, conspiciebantur. Terra olim Cadmea segete hastatos genuisse fingebatur, quis miretur nunc vbique bella geri, si nobis milites in arboribus crescunt? Et sanè hi de plantis milites lignei, veros post se milites traxerunt. Nec fabula est de his ligneis militibus, Petrus enim Huestius partes ligni illius ostendit & oculos, quibus plurimum credimus, testes adhibuit.

§. XI.

Auium exoticarum monstra.

Si ad animalia veniamus, copia numero caret. Et auium quidem vel auspicia, vel auguria, suo iure remittimus ad superstitiosos. Arcesilao regnum tenente, candidus coruus apparuit, de quo graue responsum ferebatur. Et mox ad Democratiam status ciuitatis recidit; Bessus cùm ad Hesperidas decessisset, occisus est. Faustior coruo albo fuit Onacrotalus, auis cygno

Herodot. lib. 4.

multò

multò maior: quam Culmannus Geppingensis scribit, in omnibus expeditionibus, circa An. 1509. Maximiliano Romanorum regi præcessisse, ac castris quasi locum signasse. Quamobrem ea auis mansuetissima in aula Cæsaris, quam ipsa sibi visa est elegisse, boni ominis spe, debito victu, multis annis, sustentata est. Visa est etiam eadem à pluribus Mechliniæ attenta. Posset hîc recenseri auis in Hispania in vrbe Ambgenita, Anno Seruatoris 1628. plumbeis glandibus deiecta, & Comiti, Schafgotio missa, viginti septem pedes longa: quæ in fronte oculum humanum, caput autem bouinum habuit, & verò etiam bouis instar mugijt. Ceterùm in vicem aurium flaccidarum alæ dependebant; vertici cornuta vitta, tergo tuber testudineum, pectori lorica, & his asperi aculei, caudæ gemini enses, collo monile carneum, corallio haud absimile, munimen addiderunt. Hæc, & plura de hac aue possent hîc recenseri ex Mercurio Germanico Valentini Pistoris, sed litteræ, & alia non me sinunt conijcere, quid siniſtri monstrum hoc portenderit. Quanquam enim quispiam rectè dixerit: *Væ mihi quia*

Culman. in epistol. ad Gesnerum.

Mercur. German. Valentini Pistoris in Semestri Anno 1628. & An. 1629.

Isa. 6. 5.

tacui, præstat tamen etiam subinde silere, quàm ingratijs aliorum diuinare.

§. XII.

Apum, formicarum, aliaq; monstra infantium fausorum præsagia.

Volucribus adiungi possunt & apes Platonis, quæ, vt historicus ait, *aternæ felicitatis indices extiterunt, dormientis in cunis paruuli labellis mel inserendo. Quare audita, prodigiorum interpretes singularem eloquij suauitatem ore eius emanaturã dixerunt. At mihi quidem illæ apes non montem Hymettum thymi flore redolentem; sed Musarum Heliconios colles omni genere doctrinæ virentes, dearum instinctu depastæ, maximo ingenio dulcissima alimenta summæ eloquentiæ instillasse videntur.* Quod ostentum etiam euenit Ambrosio, qui non alia de caussa pingitur alueari appositio insignis, quàm quòd ad os illius adhuc infantis apum examen aduolârit, iam tum mellei oris dulcedinem libantes. Quod omen in futuro tam sancto viro eò dignius credibiliusque extitit, quia vel apud Ethnicos paria contigerunt. *Midæ* enim etiam, *cuius imperio Phrygia fuit subiecta, puero dormienti formicæ in os grana tritici congesserunt. Parentibus deinde*

Val. Max. lib. 1. c. 6. n. 3. Extern.

Idem Valer. loc. cit.

deinde eius, quorsum prodigium tenderet, explorantibus, augures responderunt, Omnium illum mortalium futurum ditissimum. Nec vana prædictio extitit; nam Midas cunctorum pænè regum opes abundantia pecuniæ antecessit: infantiæq; incunabula vtili deorum munere donata, onustis auro atque argento gazis pensauit. Omittam hîc L. Sullæ & Hostilij Mancini, itemque Ti. Gracchi & Tarquinij Superbi, nec non Crœsi, ominosos magis, quàm monstrosos angues: vera monstra futuri nuncia percurram. Idem & Herodot. lib. 1.

§. XIII.

Quadrupedum & loquentium bestiarum monstra.

Coi dicunt, in pascuis Nicippi tyranni, ouem peperisse: Peperisse autem non agnum, nec agnam, sed leonem. Atque id Nicippo, qui tum priuatam adhuc vitam agebat, futuram tyrannidem portendisse. Ita quidem scribit Ælianus. Ælian. lib. 1. variar. c. 29.

In exercitu Xerxis, quem aduersus Græciam contraxerat, equa partu leporem editum constat, eodem montem Athon vix tandem transgresso. Quo genere monstri tanti apparatus significatus est euentus. Nam qui mare classibus, terram pedestri operuerat exercitu, vt fugax animal, pauido regressu Val. Max. l. 1. c. 6. n. 1. extern. & Herodot. lib. 7.

regnum suum repetere est coactus. Bestias quoque locutas suprà diximus. Et causſam fuisse grauem necesse est, quæ bestijs linguam soluit. Nimirum, more Fæcialium, bella Romanis indixerunt P. Volumnio, & Seruio Sulpicio Coss. *Bos namq3 mugitu in sermonem humanũ conuerso nouitate monstri audientium animos exterruit*; quod Orosij supputatione an. 202. ab vrbe condita contigit: quanquam id etiam aliàs dicatur contigisse. Enimuerò & canes legimus locutuleios esse factos. Ita enim scribit Plutarchus. *Cimon Athenienſis, cùm suos, contra Cyprios, aut Ægyptios, pararet milites, & iam in littore maris constitissent copiæ, horrenda illi species oblata est. Vidit enim canem quendam lacessitum latrare, & inter latrandũ vera humana voce vti. Astyphilus igitur Posidoniates vir vaticinij peritus, eiq3 familiaris, mortem, ait, hanc sibi speciem præsagire.* Quod etiam Mauritio Imperatori equus repentè collapsus præsagijt, vt paulò post docebo.

Plutarah. in Cimone.

§. XIV.

Præsaga hominum monstra.

Sed humana monstra præcipuè hunc sibi locum vendicant. Nam illa, vt sunt præci-

præcipua, ita & maximè valent ad aliquid significandum. *Filius Croesi regis cùm iam, per ætatem fari posset,* inquit Gellius, *infans erat; & cùm iam multùm adoleuisset, item nihil fari quibat. Mutus adeò & elinguis diu habitus est. Cùm verò in patrem eius bello magno victum, & vrbe in qua erat, capta, hostis gladio deducto, regem esse ignorans inuaderet: diduxit adolescens os clamare nitens, eoq; nisu & impetu spiritus, vitium nodumq; linguæ rupit: planeq;, & articulatè locutus est, clamans in hostem, ne rex Crœsus occideretur. Tum & hostis gladium reduxit, & rex vita donatus est, & adolescens loqui prorsum deinceps incœpit. Herodotus in historijs huius memoriæ scriptor est, eiusq; verba sunt, quæ prima dixisse filium Crœsi refert:* Ἄνθρωπε μὴ κτεῖνε Κροῖσον. Hæc Gellius. At Plinius longè aliter hanc historiam refert, simulque quid significârit hoc prodigium indicat his verbis. *Semestris locutus est Crœsi filius in crepundijs: quo prodigio totum id concidit regnum.* Læti igitur monstri fuit tristis exitus. S. Augustinus ipse testatur, vidisse se, gigantéam mulierem Romæ, ad quam spectandam mirabilis fiebat vndequaq; concursus, cùm tamen parentes eius reliquis

A Gellius l. 5. Noct. cap. 9.

Plin. lib. 11. Nat. hist. c. 51.

S. Augustin. lib. 15. de ciuit. c. 23.

hominibus æquarentur: paulò autem pòst excidium vrbis esse subsecutum. Surius, cùm terribile illud monstrum Anno 1512. Rauennæ visum, quod suprà exscripsimus, retulisset, addidit: *Interpretationem quidam eiusmodi esse voluerunt. Superbiam, leuitatem, virtutum inopiam, Sodomiticam labem, amorem rerum labentium, Dei obliuionem, inexplebilem auaritiam, Gallico flagello castigatum iri. Quod & factum est. Eodem enim anno Gallorum rex Ludouicus, rupto cum Pontifice & Maximiliano fœdere, Rauennam obsedit: & tandem deditione receptam vrbem, contra fidem datam, diripuit, & magna clade affecit.* Imperante quoque Constantino, legimus editum infantem ore gemino, dentibus binis, & barba, oculis quatuor, auriculis duabus quidem, sed breuissimis. *Qui partus*, inquit Marcellinus, *Remp. instatum reclinatum deformem planè portendebat.* Quin & Mauritio Tiberio Imperatori ortum monstrum interitum denunciauit, vt videre est in historia Theophylacti Simocattæ expræfecti. *Satellitibus enim ad eius tabernaculum, pro eo ac decebat, excubias ducentibus, vna muliercula partus cruciata doloribus, clarisonas voces iterum*

Supra c. 1. §. 2. Sur. An. 1512. de reb. in orbe gestis.

Theoph. Simoc. lib. 6. c. 1. & 2. hist. Mauritianæ.

rum ac sapius effudit. Egreditur de excubitoribus, qui feminam tam absono clamore prohibeat. Vbi domunculam intrauit, causſamq; vociferationis exquisiuit, illa partu soluitur. Is naturæ piaculum erat: puer nempe sine oculis, sine palpebris, sine supercilijs, sine manibus, sine brachijs, peregrinum quiddam, & informe. Ad coxendices præterea cauda piscis agnata visebatur. Spectaculi huius formâ, & modo lustrato, satelles parentes ipsos cum puero ad Imperatorem deducit. Qui portento conspecto, parentibus interrogatis, vnde id haberent, vbi causſam nullam attulerunt, spectare desinit, quod natum erat, interfici iubet. Ita monstri mater absoluitur, & infans gladio conciditur. Die altero Imp. Enatum (loci nomen est) cum exercitu transit; emensisq; duabus parasangis, castra vallo communit. Tum de eius equis nobilissimus, & aureis ornamentis decorus collabitur, ruptoq; ventre confestim extinguitur. Ex omnibus hisce præsagijs Imp. infausta & peratrocia sibi in posterum præsentiens, & præsentibus terrefactus, ob metum futurorum in mœstitudine haud mediocri versabatur, &c. Recentius quoddam portentum futurarum calamitatum prænuncium memorabo. Anno 1533. postquã die 17.

Iulij

Iulij Cometes longa cauda visus indigitauit, sequenti anno, pacificum illum, & omnibus modis laudandum regem Fridericum fatis sublatum iri, memorabile quiddam accidit, quod Iustinus Goblerus narrat. Mortuo rege, corpus eius, de more, balsamo perunctum & amomo delibutum picatæque saudapilæ inclusum fuit. Feretro ita vndiq; obturato, vt ne aër quidem, aut mortalis odor inde posset expirare, cadauer tamen adeò cœpit sanguinare, vt defluentem inde cruorem subiectis vasis necessum fuerit excipere. Hæc cùm præter naturam, in corpore mortui, & exsuccis membris contingerent, illico omnes censuerunt, Deum tam manifesto signo aliquid velle portendere. Et rectè censuerunt. Lubeci enim, & in adsitis partibus, bella ac seditiones, aliæq; alibi grauissimæ calamitates extiterunt. Quippe eodē præterea anno in Hungariam & Austriam Turcarum tyrannus irrupit. Henricus octauus Angliæ Rex Caroli V. Imp. Romani nouercam repudiauit, consiliarioq; aliquot factum dissuadentes capite mulctauit. *Quibus apparet, cælestium numen, & Cæsaris gloriæ fauisse, & populi errorem* (aut peccata) *inhiberevoluisse.* §. XV.

Iustin. Gob-ler. lib. 2. de reb. gestis Lubecen.

Val. Max. l 1. cap. 6. n. 12.

§ XV.

Quanta sit Dei bonitas homines, per monstra præmonentis?

Itaque, peccantibus hominibus, finit Deus etiam naturam peccare, vt de clade futura cogitantes animaduertant, quantum ab eorum sceleribus Author naturæ abhorreat, qui monstris maximis ostendit, nihil esse tam monstrosum, quàm peccatum. Sed & bonitatem suam immensam declarat. Ex beneuolentia enim nuncium præmittit, ne veniat inopinatus. Præcogitatum malum minùs offendit; & ictum, quem pręuidemus, commodiùs excipimus. Immò longè faciliùs declinamus. Idcirco monstra præcedunt, vt signum sint rei alicuius grauis secuturæ; eam quia consultius est auertere, quàm expectare, clemens prouidentia est, præmonere secuturam. Sic equis non in ipso cursu, aut præcipitio, sed antè fræna injciuntur. Quanti passim fiunt vaticinia? quanta olim in æstimatione fuerunt Sibyllarum oracula? Nonnè beneficij magni loco recensuit rex Dauid: *Incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi?* Numquid ipse Deus, in amoris testimonium, dixit; *Num celare potero Abraham,* Psal. 50. 8. Gen. 18. 17

ham, quæ gesturus sum? Denique nonnè amoris signum fuit, quando illa voce Patriarcham consolatus est: *Eritq; arcus in nubibus, & videbo illum, & recordabor fœderis sempiterni, quod pactum est inter Deum & omnem animam viuentem?* Cùm ergo plerumq; Mundi Gubernator etiam monstris aliquid significare soleat, fine optimo ea in mundum inducit. Per ea enim hominibus loquitur, præcauet, vaticinatur. Qui illum timent, qui filij sunt morigeri, faciem eius præoccupant in confessione. Vident enim atque intelligunt, quò radius eat, & ad quem scopum diuinus digitus intendatur. Quare vel se præparant ad cælestem iram fortiùs excipiendam, vel citiùs anteuertendam. Lippientibus oculis vel sine fructu, vel non sine molestia lumen admouetur. Qui si aliud nihil è monstris discere vellent, saltem possent in illis æternæ prouidentiæ signa agnoscere. *Idoneum, opinor, testimonium diuinitatis, veritas diuinationis,* ait Tertullianus. *Hinc igitur apud nos futurorum quoque fides tuta est, jam scilicet probatorum, quia cum illis, quæ quotidie probantur, prædicebantur.* Enimuerò, si rectè calculum ducimus,

Gen. 9. 16.

Tertull. in Apolog. aduers. gent. c. 20

cimus, & judicia Numinis attentiùs consideramus, tanta illius est bonitas, vt nunquam feriat, nisi prænonitos. Etsi enim minetur impijs *repentinam calamitatem & interitum quasi tempestatem*, tamen eos docet cauere: dum enim minatur, monet. Et Prou. 1. 27.

disertè perspicueque ipse Seruator: *Attendite*, inquit, *vobis, ne fortè grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ: & superueniat in vos repentina dies illa: tanquam laqueus enim superueniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ. Vigilate itaque omni tempore, orantes, vt digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis.* Et adhuc clariùs: *Vigilate ergo (nescitis enim quando Dominus domus veniat: serò, an media nocte, an galli cantu, an manè) ne cùm venerit repentè inueniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico: Vigilate.* Si omnibus dicit, ergo omnes monet: nullum igitur, nisi præmonitum, ferit. Quanquam non illis duntaxat verbis monet. Monet mille modis; inter quos est etiam vnus iste per monstra. Qua de causa ita scribit ad Gentes Tertullianus: *Quidquid agitur, prænunciabatur; quidquid videtur, audiebatur.* Luc. 21. 34. Marc. 13. 36. Tertull. loc. cit.

diebatur. *Quòd terræ vorant vrbes, quòd insulas maria fraudant, quòd externa atque interna bella dilaniant, quòd regnis regna compulsant, quòd fames & lues, & locales quæque clades, & frequentiæ plerumque mortium vastant; quòd humiles sublimitate, sublimes humilitate mutantur; quòd iustitia rarescit; & iniquitas increbrescit, bonarum omnium disciplinarum cura torpescit; quòd etiam officia temporum, & elementorum munia exorbitant; quòd &* MONSTRIS *& portentis naturalium forma turbatur, prouidenter scripta sunt. Dum patimur, leguntur; dum recognoscimus, probantur.* Ita diuina sapientia non tantùm clades per monstra, sed ipsa etiam monstra per vaticinia prædixit.

CAPVT

CAPVT VII.

Secunda moralis Monstrorum caussa, vt sint pœna hominum, ob scelera plectendorum. Et qui, aut cur aliqua capitis parte, aut toto capite monstroso nati sint?

§. I.

Monstra esse iustitiæ diuinæ monimenta.

SVfficeret, vt Monstra sint, si signa sunt, nunc etiam sæpe sunt supplicia. Neq; enim tantùm per illa monet, sed etiam plectit Deus vel ipsos monstrosos, vel parentes, vel magistratus, aut etiam totam communitatē monstrosorum. Et quidem varijs modis, ob varia peccatorum genera, quorum acerbitas, diuinam vincit bonitatem, quam facit iustissimè in iram deflectere. Vnde, sicut ceteræ creaturæ sunt potentiæ, ita monstra sunt iustitiæ monumenta. Et vel Ethnicus author Plotinus scripsit; *ipsam mundi artificem rationem, malis, postquam facta sunt, opportunè admodum vti solere, id autem maximæ potestatis est, malis etiam bene vti valere.* Imo monstra ipsa potest esse iubere, quia

Plotin. l. 3. enn. 2. c. 18.

quia non sunt mala moris, sed naturæ, & quidem naturæ particularis duntaxat, ac talia, vt sint quoddam bonum totius vniuersi. Bonum enim est Vniuersi, vt in eo iustitia locū habeat, sine qua omnia susq; deque verterentur. Quod quoniam, præter Plotinum, etiam alij, apud gentes agnouerunt, factum est, vt Poëtæ quoq; ipsi tot fingerent monstra, in quæ homines pœna dignos, vel ob alios plectendos, mutatos cecinerunt. Hinc Actæon in cerū, Iphigenia in ceruam; Scylla, Aglauros, Daphnis, Anaxarate, Niobe, Aconteus, Atlas, Lycas, Olenus, Prœtus, in Saxa; Lycaon in lupum, Achelous in taurum, Æsacus in mergum, Antigone in ciconiā, Atalanta in leænam; Arachne in araneam, Alcithoë in vespertilionem, Diana in felem, Cadmus in anguem, alijque in alias formas monstrosissima metamorphosi feruntur conuersi. Ita enim vnius curiositas, alterius crudelitas, tertij impietas, & alia crimina aliorum castigata significabantur.

§. II.

Visionibus Deus docuit, monstra esse in pœnam peccatorum.

Quod

Quod isti carminibus suis expressêrunt, alteri in somno est demonstratum, teste Cedreno, cuius hæc sunt. *Antequam, tempore Michaëlis Paphlagonis Imp. calamitates multis prodigijs significatæ regno Orientis acciderent, cuidam de ministris Episcopi insomnium oblatum fuit, prorsus rem ipsam repræsentans. Visus erat sibi videre Eunuchũ, albis vestimentis indutum, formâ effulgente, qui tribus ipsi saccis appositis ordine eos iuberetur aperire, & euacuare. Cumq; id faceret, è primo vim serpentum, viperarum, & scorpionum erupisse. Ex altero rubetas, aspides, basiliscos, cerastas, & alias venenatas bestias. Ex tertio cantharides, culices, vespas, aliaq; aculeata animalia. Cùm ad hoc spectaculum obmutuisset, virum illum dixisse: Hæc vobis accident, ob violata Dei mandata, & impium facinus in Rom. Imperatorem eiusq; coniugem perpetratum.* Hac igitur virulentissimarum bestiarũ mixtura & moneri mortales, & puniri monstratum est. Quemadmodum & olim D. Ioanni, qui & ipse vidit *de ore draconis, & de ore bestiæ, & de ore pseudoprophetæ spiritus tres immundos in modum ranarum, in quibus plagæ significabantur, erumpere.* Sed nihil visis aut somnijs Apoc. 16. 13.

necesse est probare, cùm exempla suppetant docentia à capite vsque ad calcem siue particulatim & membratim, siue vniuersim & per omne corpus, delinquentes aliquos monstrositate plexos esse ac deformatos.

§. III.

Ob peccata, homines decaluari.

A capite incipiamus in quo summum decus capilli, quos legimus aliquando in superbiæ pœnam rufatos, aliquando in iuuenilis petulantiæ castigationem canos extemplò factos, aliquando omnino, velut arborum folia, vento diffiatos esse. Aptè hîc apponi potest, quod in Societatis nostræ historia legitur. *Mulier erat supra ceteras flauo rutiloq; crine decora; qua criniũ specie, cùm nimium sibi placeret & plauderet, cœnobij nomen horrebat, ne cogeretur id aliquando decus tonsori immiti committere. Monuit eam Cornelius Societatis Iesu, si crines illos pluris quàm Deum faceret, caueret, ne in eis crinibus, quos tantum diligeret, pœnas daret. Diebus interpositis non ita multis, sentit Patrem verissimum fuisse vatem, laborare ex capite cœpit, totaq; illa pulchritudo capilli morbo vrgente defluere. Ergo ne caluitij pulchri-*

Hist. Soc. to. 3. An. 1552.

pulchritudinem, euulsis ad vnum crinibus ostentaret, necessitatem in virtutem vertit, cœnobijq; se se latebris, quod antè sic horruit, occultauit. Monstrosa hæc caluities & pœna fuit, & medicina; supplicium & beneficium. Neque enim, qui dixit: *Vestri capilli capitis omnes numerati sunt*, itemque *capillus de capite vestro non peribit*, sine causa non solùm capillum vnum, sed & omnes huic abstulit. *Decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit*, dixit minitans Propheta. Sic superbia crinium tollitur, &, cincinnis supra caput ædificatis, instar Iunoniæ auis incedentes ad modestiam rediguntur. Vt enim pauo cristas erigere non potest, quas amisit, ita nec femina ornare capillos, quibus est spoliata. Et spoliata est supra dicta puella, vt virginitate ornata maneret. Ita præmium ipsa caluitie meruit, quæ fortasse meruisset infernum, si alios retibus illis illaqueasset, quorum fortasse non nemo dicturus fuisset, *vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Quàm vtile est, sic deformari, vt placeas Deo? quàm lucrosa mutatio, si dicatur comtulo adolescenti,

Matth. 10. 3.
Luc. 21. 18.
Isa. 3. 17.
Cant. 4. 9.

aut puellæ mundum vanitatesq; deferenti, & in clauſtrũ Deo conſecratarum tranſe-
Iſa. 3. 24. unti: *Et erit pro ſuaui odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro criſpanti crine caluitium, & pro faſcia pectorali cilicium?* Si enim, vt aliquando Magdalena, crinium ſuperbia peccare poſſunt mortales; poſſunt etiam eorundem vel ſqualore, vel cineratione, neglectuque, aut ſacro vſu ad Chriſti pedes tergendos conuerſo, Deum placare; maximè autem, ſi non in Cenchris, ſed in monaſterijs, ad Numinis honorem, æternamq; ſuam ſeruitutem tondeantur. Nam huic quoq; rei ſuum præmium eſſe,
Luc. 7. 38.
Ezech. 29. 18. Ezechiel nos docet, apud quem Deus ita loquitur: *Fili hominis, Nabuchodonoſor rex Babylonis ſeruire fecit exercitum ſuum ſeruitute magna aduerſus Tyrum: omne caput decaluatum, & omnis humerus depilatus eſt: & merces non eſt reddita ei, neque exercitui eius, de Tyro, pro ſeruitute, qua ſeruiuit mihi aduerſus eam.* Nimirum ob pondus galeæ & loricæ fuerat *militum caput decaluatum & humerus depilatus*, & militum regis Babylonis, quorum opera Deus vſus erat ad plectendam impietatem. Quòd ſi igitur militum caluitia præmijs ac mercede

cede digna videbantur Deo; quantò præmijs ac mercede digniores erunt, quos non galeæ & loricæ prementes inuitos decaluant; sed qui cæsariem suam sponte non Apollini, aut Æsculapio, sed vero Numini consecrauerunt? Tantò autem euidentius fuit beneficium in supra dicta puella, quòd non illam tonsor, sed Deus caluam fecit, ne ijs implexa capillis implicataq; velut olim Absalom arbori, ipsa vanitati adhæreret. Pariter itaq; caluitie punita est, & sanata. Quid conquerimini, vetuli, vetulæque, quando vos senectus depilat, si iuuenibus prodest comarum priuatio, quæ etsi eos deformes, tamen pios facit? Illos pro monstris habetote, quibus non iam manus rixantium, aut iratæ vxores, totos capillorum manipulos à capite reuellunt, sed quos insana libido, infectus intemperantia sanguis, lues Gallica, & infames caussæ crines exuunt; vt galericulos, & fictitias atq; aliunde mutuatas comas gestare cogantur. Immo qui sibimet ipsis, non iam præ ira atque furore, sed præ superbia pilos radicitus extirpant. Multi enim viri, multæ feminæ, vt senium dissimulent, & floridiorem ætatem

2. Reg. 18. 10.

tatem mentiantur, crines canescere incipientes non tolerant, sed forficulis vellunt; alijsq; & alijs canis subnascentibus, adeò verticem suum depopulantur, vt tam glaber sit, atque manus illorum. Quis eiuscemodi monstrorum caussa est? Nonne ipsi? qui oculos quidē hominum fallere possunt, nunquam tamen mortem decipient, quamuis oculis carentem. Propter eiuscemodi superbiam, Redemtor noster peculiare est illud passus, vt per ludibrium crines illi vellerentur, & olim exprobratione grauissima dicturus sit: *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non auerti ab increpantibus, & conspuentibus in me.* O quàm in diuino cōspectu formosi sunt, qui sic deformantur, quosq; non piget imitatione Magdalenæ

Isa. 50. 6.

Virgil. l. 12. Æn.

fœdare in puluere crines
Vibratos calido ferro, myrrhaq; madentes!

§. IV.

Pili color monstrosè mutatus, & pileus monstrosus in pœnam datus.

Melior est hæc mutatio, quàm si quis ab impexis sordibus ad vnguenta transeat & calamistros. Quemadmodum & satius

est,

est, cum Propheta Elisæo caluum vocari, quàm cincinnatulum rapi in gehennam. Quanquam non caluitie duntaxat legimus homines deformatos, sed ipsa etiam capillorum mutatione, aurea illa flauedine in Æthiopum colorem, velut succino in carbones verso. Verè dixit olim humani generis Reparator: *Non potes vnum capillum album facere aut nigrum.* At quod homo non potest, Deus potest, & Sancti diuina virtute petulantem superbiam coërcentes. Quodam tempore, vt de eo testatur Theodoretus Cyri Episcopus, Nisibitanus ille Iacobus, Præsul virtute ac prodigijs clarus, *venerat in Persidem visurus plantas veræ religionis, & ei quem parerat, cultum exhibiturus, cùm is autem fontem transmitteret, puellæ quædam, quæ pannos lauabant, & vestes pedibus emundabant, ne nouum quidem, & qui decentem præ se ferebat grauitatem, sunt reueritæ habitum: sed exuto pudore & perfrictâ facie, & impudentibus oculis diuinum hominem aspiciebant, neque capita aperientes, neque vestes, quas succinxerant demittentes. Hoc cùm ægrè tulisset homo Dei, & vellet Dei virtutem in tempore ostendere, vt facto miraculo liberaret ab impietate, fontem quidem*

4. Reg. 2. 23.

Matth. 5. 36.

Sur. 15. Iulij.

est execratus, & fluentum confestim euanuit: puellas quoq; est execratus, & impudentem earum iuuentutem castigauit, canis ante tempus inductis. Et sermonem factum est consecutum, mutatusq; est nigror pilorum, & similes euaserunt nuper plantatis arboribus, quæ vere circumtectæ sunt foliis autumnalibus! Eæ autem cùm sic sensissent supplicium (nam & fontis fluenta effugerant, & sua inuicem capita intuentes videbant repentinam illam mutationem) cursu ad vrbem contenderunt, renunciaturæ illud quod acciderat. Illi autem cùm occurrissent, & Magnum Iacobum offendissent, rogauerunt, vt iram compesceret, & supplicium remitteret. Ille autem non diu cunctatus, Domino quidem preces obtulit, fluenta autem rursus scatere iussit. Illa verò mox rursus è suis emanârunt penetralibus, iusti deriuata iussibus. Illi autem cùm hoc impetrassent, petebant vt filiarum quoq; suarum crinibus color suus redderetur. Aiunt autem eum hoc quoque concessisse, requisiisse autem puellas, quæ illam acceperant disciplinam: & quoniam non venerunt, reliquisse supplicium, documentum temperantiæ, & argumentum moderationis, & diuinæ virtutis perpetuum, & euidens miraculum. Canam antea scie-

bant

bant mortales vocabantque senectutem; monstrum igitur erat tunc cana iuuentus. Quo genere monstri meritò castigatæ sunt puellæ, quæ quia nimis licentiosè assueuerant iuuenari, canitie aspersę sunt, vt maturiores viderentur. Obstupuit ciuitas, quæ illas vidit intra horam canuisse. Et quia illæ de adolescentia ac ornamento capillorum superbæ vetulis repentè similes factæ in publicum prodire non sunt ausæ, ob hanc ipsam monstrositatem, ex impudentibus saltem erubescere didicerunt. Quæ enim annis vegetæ erant, canitie effætæ videbantur. Siquidem albor pilorum, carnis ex qua nascuntur, corruptionem & vitium indicat. *Nam lepra*, ait S. Cyrillus, *fit ex eo, quòd caro emoriatur; excauatur enim vlcus illico, absumta cute, & in profundum semper; quo fit vt pilus qui in illis partibus exoritur langueścens exalbescat ac velut stirps vnà cum subiecta terra corrumpatur.* Capillos tegit pileus, qui & ipse est memorandus. Siquidem, in Annuis nostræ Societatis legimus, Moguntiæ, hæreticam fuisse feminam, quæ exosa & execrata Iesuitas odium execrationemq; prodigio luit. Prolem enim peperit Iesuitico

S. Cyrill. lib. 15. de Adorat.

pileo

pileo tectam. Eam nimirum coronam soboli meruerat mater, quæ ne Iesuitarum obliuisci posset, in fætu suo, pro pilo, pileum intuebatur. Sed hæc de pileo & pilo satis. Neq; enim hîc memorabo de monstrositate eorum, qui S. Adalbertum occidêre, & semialbo capillo ac barba, velut creta notati, alijsque malis affecti, scelus suum vultui inscriptum circumtulerunt. Similia enim occurrunt plurima, & vera, sicut illa sunt fabulosa, quæ dicuntur de Gorgonibus, ideò quòd canæ natæ essent, Græarum nomine vocatis. Neque enim hæc maiorem fidem merentur, quàm quòd vnum dentem, vnumq; oculum communem habuerint, quo, vbi domo exirent, vterentur.

Vide Vitã S. Adalberti,

Hesiod. in Theogonia. Æschylus in Prometheo.

§. V.

Frons filij in parentem ingrati à bufone deformata.

A capillis ad frontem descendat sermo. Est terribile, quod narrabo, sed magnis, multis, fide dignis testibus firmatum. Erat in Normannia vir quispiam sanguine haud clarus, diuitijs tamen maximis cumulatus. Huic vnicus filius in delitijs fuit. Quamobrem etiam inter delitias eum educauit.

Them. Cantipr. l. 2. Apũ. c. 7. §. 4. Simile exemplũ refert Cęsarius lib. 6. c. 22.

Eum

Eum filium filiæ suæ in maritum popoſcit nobilis proſapiæ miles, conditione poſita, ſi ipſe bonis ſuis cedere, filioque omnium rerum ſuarum poſſeſſionem tradere vellet; filium viciſſim, quæcunque vel patri neceſſaria, vel matri forent, abunde ſuppeditaturum. Aſpera parentibus illa conditio videbatur, & periculoſa. Sed qui vnà cum milite venerant, alias ei ſuper alias rationes ingeſſerunt; jam filiæ formam, jam gentis nobilitatem, jam prudentiam, peritiamque œconomiæ commendantes; &, ne quid filio diffideret, etiam atque etiam perſuadentes. Quid ſpes honoris & poſteritatis non efficit? Conſenſit in nuptias Polyplusius. Abdicauit ſe dominio vterque parens; filius & ſponſam adeptus eſt, & patriam in omnia bona poteſtatem. Beneficia, vt quædam vina, non niſi recentia dulcedinem exſerunt, antiqua aceſcunt. Quare & noui iſti nupti, primo à nuptijs anno, memores vnde ſibi opes affluxerint, parentibus honores magnos exhibuerunt, omniaque ad vitam atque ſuſtentationem neceſſaria, bono vultu, benignis verbis, inſigni libertate, læta promtitudine præbuerunt; adeò, vt gauderent progenitores,

ſe,

se cura atque labore liberatos iam omnia, quàm priùs, in maiore otio & quiete habere; & verè frui ijs, quæ antea plus molestiæ, quàm solatij feciſſent. Talis erat primus abdicatæ potestatis annus. Secundus iam contractiore manu ibat, &, quasi senescente beneficij memoria, omnia parciùs administrabantur. Tertius deinde annus, deposita verecundia, ostendebat fortunas paternas non ad filium, sed ad herum Euclionem fuisse transiatas. Nihil ille exquisiti, nihil melioris notæ, vel cibi, vel potus, vel vestimenti parentibus suppetebat. Iam hoc querebatur sibi, iam illud deesse. Nullum præstans vinum emi, nihil pro culina electum haberi posse dicebat. Aliquando & pecuniæ inopiam causſabatur; aliquando prætendebat hanc, aliquando illam necessitatem incidisse. Ita semper aliquid erat, ob quod progenitoribus petita negaret. Tandem ad extremam eum vxor & auaritiæ perduxit impudentiam. Neq; enim iam excusabat suas sordes, sed insuper etiam accusabat parentum insatiabilitatem, vt quibus nihil sufficeret, nihil satis dari posset. Illorum prodigalitate redigi se ad incitas; importunitate ad impatientiam

entiam cogi. Denique vt vtrinq; pax maior esset, & vtriusque partis quieti consuleretur, ex vxoris consilio, exiguam quandam è regione domus suæ casam parentibus conduxit, ita fore ratus, vt coniugibus iunioribus, seniorum querelæ ac morositas minùs esset molesta; atque tantò securiùs negari possent, quæ oculis essent subducta. Eliminantur itaque è domo sua decrepiti parentes, & à filio separantur, cogunturq; ex ædibus bene instructis in viliſſimum mapale, & tecta ventis pluuiisq; peruia emigrare. Ibi ergo in laribus malè materiatis, præter cæli, etiam filij iniurias quotidie deplorabant. Nihil recens coctum, nihil integrum; ea solùm quæ mensæ superfuerant, & plerumque tunc demum, cùm jam esui ampliùs idonea non essent, à filio mittebantur. Et interea apud nurum canes meliùs, quàm mariti parentes prandebant. Quæ causſa fuit, vt miseri parentes, nunquam sine lachrymis accumberent, & plerumque *potum suũ cum fletu miscerent*. Accedebat ad hanc calamitatem, quòd seu querendi, seu petendi causſa, vix interdum domum filij intrare auderent, ita vultuosè aspiciebantur, ita Psal. 101. 10.

com-

compendiosè salutabantur ; ita asperè, quid vellent, interrogabantur. Itaque per vernam plerumq; internuncium id, quod cuperent, non mandabant, sed mendicabant. Non potuit diuina Nemesis tam crudelem diutiùs intueri impietatem. Fortè aliquando, in filij ædibus, anser veru transfixus assabatur, &, pinguedine in prunas defluente, ventus nidorem & fumum per omnem viciniam difflabat. Non potuit ergo latere tam sapidæ dapis odor famelicos parentes è regione habitantes, & vix sex passibus distantes. Ac, ne erraret, mater curiosioribus oculis alitē ipsum obseruauit ad ignes stridentem. Itaque eiuscemodi verbis seniculum maritū compellauit. Vide, mi coniux, vt lautè cœnat filius noster, nobis propemodum fame enectis ! Strepit anser inter prunas, inuitat odor ; nonne naribus hariolaris ? numquid dentes pruriunt ? Me feminam magis decet paucis esse contentam. Tu autem abi, obsecro, & te ipsum inuita, vt semel saltem araneantem stomachum, & dudum impatienter latrantem ventrem tranquilles. Non fuit difficile esurienti persuadere, vt vellet edere. Arrepto igitur

scipione,

scipione, prætrepidum spe silicernium seniliter cucurrit, ne post oua veniret ad mala. Vidit eum de fenestra filius venientem, celeriqúe properatione ab igne remotum anserem occuluit; moxque, velut nihil feciſſet, patri obuius quæsiuit, quid negotij id temporis, apud se haberet? Ipsa hæc filij interrogatio patri pro responso fuit. Qui illico etiam animaduertit, anserem, sine plumis licet, aliò auolasse. Altè illi hoc vulnus in pectus descenderat, sed pressit dolorem, reque omni dissimulata, & ventre malè contento domum reuersus est. Quid ibi anus mater, quid suam ipse sortem, inter fletus & gemitus accusans, sint collocuti, quid cælo & superis questi, vos cogitate. Deus certè non potuit ferre tantam rei indignitatem. Digresso patre, filius mandauit ancillæ, vt anserem in culinam reportaret, & perassaret. Volat puella, auem ex penu relatura. Eò vbi peruênit, fœdum visu reperit spectaculum. Iacebat in grandi patella anser supinus. At pectori eius, tanquam vultur Tityo, pinguissimus insidebat bufo. Caput illi tumidum; oculi prominentes & ignei; os rotundum, & perflabili patore hians; ven-

ter obesus; color luridus; pedes semicrudam auem tenacissimè apprehendentes. Tali conuiua conspecto territa ancillula, metuendū in modū vociferata est. Accurrit herus, & baculo vnde vnde arrepto, impuratam bestiam excutere institit. Illa, velut vim vi vindicatura, ab ansere in percutientis faciem insilijt, frontique eius ita pertinaciter inhæsit, vt nulla vel vi, vel arte auelli posset. Ita filij erga parentes suos barbaram inhumanitatem puniuit Deus; fuitq; ea pœna tantò grauior, quantò diuturnior. Quippe multis annis durauit. Auxit miraculi stuporem quòd, quotiescunque monstri illius pars aliqua tangebatur, ita miser ille cruciabatur, ac si collum illius feriretur. *Conterritus igitur*, inquit author, *mirabiliter & contritus adijt diœcesanum Episcopum, & cum omni dolore confessus, pro pœnitentia recepit ab illo, vt per omnes fines Normanniæ, & Galliæ ciuitates, reuelata facie circuiret, & vbiq; narraret populis euentum rei, vt per hoc exemplum sumerent filij honorare parentes, & discerent, quàm periculosum sit & nociuum, vicem non rependere laboribus, quos ipsi parentes filijs impenderunt. Hunc ergo hominem, cum bufonis monstro*

circum-

circumeuntem, vt diximus, Frater Ioannes de magno Ponte ordinis Prædicatorum, sicut per ipsum nobis relatum est, vidit in iuuentute Parisijs palam referentem omnibus, & monstrantem, quod pro inhonoratione parentum passus fuerat, multis annis, & adhuc secundùm Dei voluntatem pateretur. Hunc postea, sed non per dictum fratrem Ioannem, audiuimus Sanctorum quorumdam precibus liberatum, & disparuisse subitò fœdum monstrum. Magnum vtique bufo iste in fronte monstrum fuit. Sed longè maius, frontem ipsam sine fronte fuisse, neque erubuisse, negare rem tantillam patri, à quo omnia acceperat. Discite hinc, ô filij, quàm non solùm monstrosa, sed etiam monstris digna res sit, parentes non venerari. Quid dico non venerari? contemnere. Et tamen, prô dolor, res est quotidiana! Est igitur in hoc monstro maximè monstrosum, quòd non sit rarum.

§. VI.

Oculorum & aurium peccata in ijsdem membris punita.

Sub fronte sunt oculi, quorum officium est, vt sint velut duæ corporis lucernæ, iuxta illud: *Lucerna corporis tui est oculus tuus.* Matth. 6, 22,

A cuius incolumitate adeò magnũ est corpori momentum, vt idem diuinus Magister dixerit: *Si oculus tuus fuerit simplex: totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum erit tenebrosum.* Quemadmodum igitur monstrum est, *si lumen*, quod in aliquo est, *tenebræ sint*, ita vtique monstrosum est, oculum non videre posse, sicut non posse lucẽ lucere. In hac ergo quoque capitis parte puniri homines, vel illa curiositas docet, quæ puellæ, rem alioqui piam, vt apparet, scrutanti, lumen extinxit. Genoueua, teste Bonfinio, virgo Parisiensis ab Epiphania Domini, ad cœnam vsque Domini, sese solebat, spontaneo carcere, à consortio hominum separare, atq; in cellam secretiorem includere, vt diuinis precibus ac meditationi sacræ, remotis arbitris, impensiùs vacaret. Erat puella alia, quæ, noscendi studio, quidnam illa sola faceret, tacitè ad ostium adrepsit, & per rimas negotia occupationesque inclusæ obseruauit. Magni illi ea curiositas stetit. Nam è vestigio luminis vsuram amisit, vt nihil prorsus videret, quæ videre volebat, quod vel diffidentia illi suasit, vel suspicio simulationis.

Bonfin. decad. 1. lib. 1.

At

At quæ sanctorum clementia est, quadrageſimali ieiunio exacto, eiusdem operâ lumen recepit, cuius indagine id peccans amiserat. Præstat nimirum etiam oculis carere, quàm abuti; quos amittere meruerant & illi, qui cùm Christum Christiq; egregia facta admirari debuissent, liuidis & inimicis oculis *obseruabant eum*. Beneficium est, armis carere quibus pereas. Itaq; quid mirum est, si puella hæc amisit oculos, ne curiosè videret? Fuit quæ sibi ipsa oculos erueret, ne curiosè videretur. Etquamuis neque Tobias, neq; Samson visum amisit, Deo crimen aliquod in illis puniente, (siquidē Tobiam cæcitate probauit, Samsonem Dei hostes exoculauerunt) tamen ad Elymam magum, qui *quærebat auertere Proconsulem à fide*, Paulus dixit: *Ecce manus Domini super te, & eris cæcus, non videns solem vsq; ad tempus. Et cecidit in eum caligo, & tenebræ, & circumiens quærebat, qui ei manum daret*. Enimuerò à Deo & Sodomitæ percussi sunt cæcitate. Quid mirum? cùm apud homines quoque legatur pœnaria cæcitas viguisse. De Arsace rege Armeniæ capto ex insidijs à Sapore Persidis rege Ammianus Marcellinus

Luc. 14. 1.

Tob. 2. 11. Iud. 16. 21. Act. 13 8.

Gen. 19. 11. Vide Petr. Fabri Semestriū l. 3. cap 19. Ammian. Marcell.

lib. 27. 4. Reg. 24. scribit, eum, effossis oculis, catenis argenteis vinctum, ad castellum Agabana nomine exterminatum, ferroq; pœnali discruciatũ cecidisse. Et multis ante sæculis, Sedecias Iudæ rex, à Chaldæorum rege, aduersus quem rebellauerat, posteaquam filiorum suorum crudelem ante oculos, trucidationem intueri adactus fuit, indeq; catenis vinctus Babylonem adductus est, pœnam sensit excæcationis. Quæ pœna & ob libidinis perpetrationem, ob armentum, bouis abigendi caussa, dispalatum, atq; ob frumentum ex horreis abductum, fuit olim irrogata. Sed de cæcis, & cæcatis infinitus esset differendi campus. Illud sufficit adnotasse, & miseram rem esse cæcitatem, & monstrosè deformem. Miseram Tob. 5. 12. esse testatus est ille, qui dixit: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video?* Et agnouerunt hanc miseriam, quotquot ad Christum cæci alta voce clamauerunt, eaq; liberari voluerunt. Deformitas autem vel inde potest æstimari, quòd etiam luscos vulgus rideat, aut caligine obscuratos; quæ caligo, teGalen. in l. 2. Hip- ste Galeno, *est oculorum quoddam* πάθος, *nempe ducta similitudine ab aëris perturbatione,*

ne, & crassamento spissiore quàm nebula, tenuiore quàm nubes, oculi cicatricula à superficiaria exsuperantia contracta, & totum fere oculi nigrum comprehendens, coloris q; cærulei. Quamobrem Arator ita rem describit: Hippocrat. Prorhret. com. 2. num. 11.

tunc nubila vultum
Cæruleis fixêre notis, & pectoris atri
Venit in ora color.

Quid ni & in aures? aures atro sanguine bullientes. Quid aliud Malchus meruit, quàm mutilari? iam enim antea integer non erat, qui venerat ad capiendum Christum innocentem. Quis scit quæ causa fuerit, ob quam, circa annum 1240. tanta à Tartaris Polonorum strages ederetur, vt auriculis præcisis Tartari nouem ingentes saccos expleuerint? Multa audiendo peccata perpetrantur. Denique Luc. 22. Crom. lib. 8.

Auriculas asini quis non habet?

§. VII.

Facies adulteræ monstrosa.

Non oculos duntaxat, & aures inhonesto vulnere, totum vultum scelera faciunt monstrosum. Nouisse militem se aliquando scribit Ioannes Nider, cuius vxor pulchrior, quàm castior, cùm Helena Ioan. Nider lib. 2. Formicarij. c. 10.

quàm Lucretia esse maluisset, quantùm mente, tantùm facie est mutata. Quoniam igitur adulterij fæditas ex horrido illi vultu eluxit, nec antè desijt videri monstrũ, quàm desijt peccare velle. Itaque postquã pijs mariti monitionibus ad pœnitentiam & criminis confessionẽ apud sacerdotem factam est adducta, lachrymis vnà & pectoris maculas, & oris dedecus abluit. Si ad hunc modũ eadem in omnibus & mentis & frontis esset species, ô quàm multos & multas occurrere nobis monstrosos cerneremus! Sed abscondit Deus sæpius deformitatem animi, olim coram toto mundo detegendam.

§. VIII.

Adulteri & laruatorum monstrosa facies.

Thom. Cantipr. lib. 2. de vniuerso. cap. 30. p. 40.

Consimile exemplum non jam in vxore miles, sed in milite vxor experta, ab alio authore memoratur. Hic enim cùm, intempesta nocte, de coniugis latere, ad adulterium alibi perpetrandum surrexisset, peractoque flagitio, luna clara, redijsset, faciem venientis vxor per fenestram intuita, horrificè cæpit exclamare. Ad eum clamorem, vt fit, vndique & ancillæ è cubiculis, & famuli de stabulis concurrerunt.

Nec

Nec minùs isti, quàm domina, perterriti cœperunt vociferari, arbitrantes, se viui cacodæmonis vultum conspexisse. Tot testibus oculis credidit & ipse miles, qui agnoscens se diuino judicio ignominiam induisse, vix expectato die, ad animæ medicum, in templum properauit. Expellebantur tunc ad pascua pecudes, & ecce ipsi boues, ipsæ sues, ac mutæ animantes Auernalem in illius vultu laruam horrentes, quà datum est, diffugerunt. Quin & pastores obuij Stygium quendam in illo venire Spiritũ existimantes fuga sibi consuluerunt. Denique ipse Parœcus pro foribus templi preces matutinas Deo persoluens, aspecto tam formidabili monstro, crucis se signo muniens exilijt, & in interiora templi, adducto clausoque ostio, se properè recepit. Pulsauit tamen miles januam, & eiulabili voce sacerdotem rogauit sibi fores vt reseraret, de peccatis confessuro, Deoq; per pœnitentiam satisfacturo; neque enim se esse illum, qui videretur; faciem in laruam, hominisque in dæmonis vultum, ob scelus suum, vitæq; impuritatẽ duntaxat, esse commutatum: velle se quæ in animo essent turpia eijcere,

paratum omnia quæ imperarentur exequi, cetera diuinæ committere voluntati, à qua misericordiam expectaret. Mira vis est pœnitentiæ, magna potestas lachrymarũ. Vix peccata sua detexit, vix se adulterij accusauit, cùm illico detersa est omnis illa larualis turpitudo, redijtq; vultus hominẽ professus. Quis Deum accuset homines deformantem? Ipsi se mortales flagitijs fœdant; & qui cum D. Stephano ita nitere, posset, vt *intuentes eum omnes viderent faciẽ eius tanquam faciem Angeli*, is vel conscientiæ lurore, vel ebrietatis incensus æstu, vel libidinis deformatus scabie diabolo similis videtur. Imo nonnulli quasi non contenti ea forma, quam à Deo acceperunt, vt Bacchanalia viuere, & licentiùs lasciuire queant, faciem teterrimis vestiunt personis; quia laruæ esse malunt, aut quoduis ex Daunia & Getulia monstrum, quàm homines. Quid isti merentur, qui, tanquam eos puderet, claram pulchramque illam Dei imaginem omnibus modis velare & operire conantur, tantaque obscænitate fædant, vt si eis, iusto Numinis judicio, eiuscemodi vultus obtigisset, ipsi se absconderent, & oculos humanos vitarent;

Act. 6. 15.

rent. Nunc nigræ, rugosæ, pilosæ, verrucosæ, cornutæ cacodæmonum facies, quas à natura accepisse miserrimum fuisset, sponte quæruntur, emuntur, induuntur, & obuia festiuitate sub Orcino schemate triumphatur, ac deformis supplicij calamitas pro lætitiæ materia habetur. Quid ergo accusant homines, quæ affectant? cur cum impatientia habent, quod quærunt, si non habent?

§. IX.

Diabolica facies imprecatione impetrata.

Immo quod optant? nam siue precentur, siue imprecentur, optare vtiq; videntur, quæ imprecantur æquè, ac quæ precantur. Ita & Seneca pronunciauit, cuius hæc sunt: *Iam non miror, si omnia nos à prima pueritia mala sequantur. Inter execrationes parentum crescimus. Exaudiunt dij quoque nostram pro nobis vocem gratuitam.* Quid querimur, si exaudimur? Et tamen multos Deus punit, quia exaudit. In Geldria, circa annum Christi M. DL. XXV. mirabile exemplum accidit. *Quidam,* inquit Wierus, *non obscuri nominis Regi Hispaniarum, apud Geldros militans, quum è familia nobili honestam duxisset coniugem, quam & duriùs*

Senec. ep. 11.

Wier. l. 4. cap. 18. de præstig. dæm.

duriùs tractabat, intelligeretq; tandem ipsam vterum ferre, indignanter veluti sinistrè precatus, ait illi: Tu infernalem gestas dæmonem, quem gladio confodiam. Non longè post filiolum genuit, dimidia corporis inferioris parte benè formata: verùm superior pars lituris rubris & nigris fœda apparuit, oculis in fronte locatis, ore rotundo, nigro, tetro, vt Satyrus; auribus longis, veluti canis venatorius: in vertice duo cornua nonnihil intorta, quæ manibus contrectata reddebantur sanguinea. Habes hîc, non vnam tantùm, sed ferè omnes capitis partes monstrosas. Quid horres? quid naturam detestaris? quid Deum in ius vocas? talem huic marito vxor partum edidit, qualem optauit. Ita nimirum nunquã naturæ Gubernator ingratis hominibus satisfacit, siue det, quod petunt, siue neget. Cur imprecantur, quod auersantur? Ac sanè cùm omnes imprecationes sint malæ, Plato tamen nihil censet filijs esse periculosius, imprecatione parentum; quemadmodum etiam nihil illis salubrius est, quàm si parentum suorum benedictionẽ mereantur, vt olim in Isaaco, Iacobo, Tobia alijsque fuit videre. Certè, vt *non potest arbor bona malos fructus facere,*

sic

sic neque homo bonus ferere maledictionem in immerentes.

§. X.

Voce monstrosa puniti.

Nec alios duntaxat feriunt Diræ & maledictiones, sed sæpe etiam redeunt in caput ipsius execrantis; neque manent in externo monstrifico aspectu, sed vocem quoque monstrificam efficiunt. *Sanè memorabile est,* inquit horarum succisiuarum author, *quod nou ita pridem in vicinia contigit, cùm quidam multis imprecationibus & execrationibus subditos suos miserè afflixisset, & coëgisset, vt arcem suam durissimis laboribus ædificarent, eosq; inter laborandum, & aliàs, nullo alio nomine, quàm* CANES *suos appellaret. Nondum enim ædificio absoluto in grauissimum morbum incidit; cumq; nondum ab imprecando, & subditos* CANES *suos appellando desisteret, Deum ita offendit, vt prorsus elinguis fieret, & dum hæc scriberem, nulla articulata humana vox, sed solummodo latratus caninus ab eo exaudiretur.* Nimirum quædam talionis forma est, vt quod alterum cogis pati, ipse patiaris. *Quia per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.* Quod iustitiæ diuinę est; clementię est, quando nō fit;

Phil. Camerar. Cent. 1. cap. 86.

Sap. 11. 17.

fit; prouidentię, vt non semper fiat. Si enim semper fieret, quales non homines haberemus? quales voces audiremus? quales vultus aspiceremus? Quotidie superi dicere deberent; *Venite, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum.* Itaque sicut olim Poëtica illa Solis filia, inaccessos lucos & voce, & facie monstrosis hominibus habuit plenos; ita passim cerneremus totum mundum eiuscemodi prodigijs repletum.

Gen. 11. 7.

Virgil. 7. Æn.

Hinc exaudiri gemitus, iræq; leonum
Vincla recusantûm, & sera sub nocte rudentum;
Setigeriq; sues, atq; in præsepibus vrsi
Sæuire: ac formæ magnorum vlulare luporum.
Quos hominum ex facie Dea sæua potentibus herbis
Induerat Circe in vultus ac terga ferarum.

Quanti enim vel jam latrant? quanti rudunt, aut rugiunt? quanti crocitant, aut pippiunt homines? Denique nullum est animal, cuius vel linguam, vel formam innumera mortalium vitia non mererentur. Cur enim turpiloqui, maledici, linguaces

Luc. 1. 18.

pro-

proditores non mererentur vocem amittere, si sanctissimus alioqui sacerdos Zacharias mutus in pœnam factus est, quòd non statim credidisset, se tam diuturna sterilitate esse liberatum?

§. XI.

Capita vitulina in humanum versa.

Quanquam non tantùm tunc monstrũ est, quando humana facies in bestiæ figuram mutatur. Magnum quoque monstrum & terribile est, quando bestię caput in caput hominis vertitur. Winshemij efferatæ mentis sicarius, homicidia haud pauca iam pridẽ perpetrauerat, prægnantesq; adeò ipsas exciderat; sed vbi scelerum suorum mensuram impleuit, rotæq; & rogo maturus fuit, eiuscemodi prodigio est manifestatus. Hebdomade sacra, quæ Pascha antecedit, macellum adijt, & in tres dies festos tria capita vitulina emit, eaq; in saccum reticulatum coniecta domum reportauit. Dum iret per plateas, omnium oculos traxit existimantiũ eum ferre capita tria humana; vtq; spectaculũ crudelius videretur, recens à capitibus sanguis dimanabat. Mota est suspicio, creuit rumor, fama ijt per totam ciuitatem, tandem-

Manlius V. Præcept.

tandemque res etiam delata est ad Magistratum. Mittitur lictor, citatur reus, interrogatur de capitibus. Respondet, ea non hominum fuisse, sed vitulorum. Ait, hanc se rem planam facere posse teste lanione, à quo præstinârit. Adducitur lanio, affirmat. Tantò igitur maïor inde orta dubitatio. Nempe, tot oculos falli non potuisse; prodigia gratis non accidere; sanguinis vestigia aliquid clamare, dicebant omnes. Conijcitur in carcerem, datur in quæstionem, deprehenditur reus, iam sine tergiuersatione fassus complures à se patratas cædes, ac tum demum, capita è sacco exemta in vitulinam reuersa sunt formam, vbi homicidia pœnæ meritæ patuerunt. Consimilem historiam audiui Hispano cuidam accidisse, qui, cùm remotis arbitris, in recondito saltu, quempiam viatorem crumena atq; vita spoliasset, eumq; terra obruisset, existimans cum cadauere facinus quoque suum esse sepultum, incognitam, de cælo vocem hanc audiuit: IN MAIORICA VINDICTA. Territus hac voce, ne fortè in eam aliquando insulam mitteretur, militiæ nomen dedit. Naue conscensa in Italiam nauigaturus, tempestate coorta

co orta reiectus est in Maioricam. Ibi, dum sibi maximè vult cauere, vitata omnium familiaritate, exscendit ad emendum ibidem in proximo loco caput vitulinum; quo itidem in cruentum humanum caput conuerso proditus, illico & vocis, & vindictæ diuinæ memor pœnas dedit. Est hæc historia præcedenti similis. Sed nihil est incredibile, idem sæpius accidisse. Cur non iterentur supplicia, si scelera toties repetuntur?

§. XII.

Caput piscis in caput Symmachi mutatum, in terrorem Theodorici regis.

Hac de caussa etiam in vetustioribus consimilia leguntur. Tale enim etiam monstrum fuit, quod Platina testatur, Romæ contigisse. Summa Romæ duorũ insignium virorum Symmachi & Boëtij (qui gener Symmachi fuit) erat ac præcipua authoritas. Quamobrem euocauit eos Theodoricus rex Gothorum, iussitq; Ticinum venire. Ibi eos diu captiuos tenuit, quòd impijs eius decretis aduersarentur. Neq; contentus fuit vinculis eos stringi, verùm bona quoque illorum publicauit, tandemque etiam iniquissimè ambos iussit inter-

fici. Habent viri probi supra se tyrannos; sed & supra tyrannos alius est, qui in eos animaduertat. Itaque, paulo post iniustissimam hanc cædem secuta est talis pœna barbaram crudelitatem. Symmacho & Boëtio sepultis, epulæ de more parabantur, vt Theodoricus cœnam pariter & scenam feralem adiret. Inter cetera enim regia fercula, grande piscis caput mensæ imponebatur, quod cùm ceteris ob magnitudinem suam admirationi esset, regi fuit formidini. Non enim ille piscis cocti, sed Symmachi visus est cernere resectum cruentumq; caput, horribili rictu & flammeis oculis ipsi minitantis. Obstupuit eo conspecto, & subito metu consternatus, totoque corpore contremiscens iussit se in lectum deportari; ibi accersito medico Elpidio & familiarissimis quibusque amicorum, terribilem illam Symmachi speciem à se conspectam lamentabiliter denarrauit, atque ita in scelere & sceleris pœna deplorata extinctus est. Hanc formidabilem, in ipsa mensa, metamorphosin quis non judicet esse monstrosam? Quis autē eius monstri causa fuit, nisi ipse, quem

petiuit.

petiuit, Theodoricus? Sed diuinitus eo inscio atque inuito hæc accidit mutatio.

§. XIII.

Caput S. Ioannis Baptistæ in ferale conuiuium illatum, capite saltatricis vindicatur.

Longè ego propemodum dixissem conuiuium illud monstrosius extitisse, in quod *allatum est caput* Ioannis Baptistæ *in disco, & datum est puellæ, & attulit matri suæ*, saltatricula adulteræ. Non voco caput innocentissimi martyris monstrum, sed conuiuium tamen fuit monstrosissimum. Quis inter fercula cædes, inter pocula vulnera, funera inter conuiuia tractauit? *pugnare scyphis Thracum est;* & occidere in mensis Lapitharum. Herodes illo die, quo viuere & solem videre cœpit, fert sententiam mortis. Salax puella saltat, & pro mercede exigit Prophetæ caput. Mulier adultera sitit, & vult bibere humanum sanguinem. Quis hoc vnquam audiuit? quis legit? in regiam mensam, inter natalitias dapes, ferale apportatur ferculum, & in disco apponitur conuiuis caput Ioannis Baptistæ? Nonne hæc monstrosa sunt? & omnibus monstris detestabiliora? Ita capitibus ludunt & illudunt homines, & Matth. 14. 11.

Deus capita non feriat, si capita peccent?
Immo ferit. *Furibunda enim* (verba sunt Nicephori) *& adultera incestaq; adeò illa, quæ quidem Herodis habebatur, reuera autem Philippi erat coniux, vita longiùs acta, cùm priùs filiam & saltatricem acerbo fato sublatam vidisset, deinde ipsa quoque decessit: futuri sæculi iudicio & supplicio reseruata meras ibi, quàm citissimè diuinæ iræ fæces, intolerabilisq; indignationis Domini calicem haustura. Filiæ autem eius (dignum enim est, quod memoriæ commendetur) talis fuit obitus. Eundum ei quopiam brumali tempore erat, & fluuius traijciendus: qui cùm glacie constrictus coagmentatusq; esset, pedes eum transibat. Glacie autem rupta, (idq; non sine Dei numine) demergitur illa statim, capite tenus; & inferioribus corporis partibus lasciuiens, molliusq; se mouens saltat, non in terra, sed in vndis: caput verò frigore & glacie concretum, deinde & conuulneratum, & a reliquo corpore, non ferro, sed glaciei crustis resectum in glacie ipsa saltationem lethalem exhibet: spectaculoq; eo omnibus præbito, scelestum hoc caput in memoriam ea, quæ fecerat, spectantibus reuocat.* Quis enim tunc matri eius sensus, cùm ei jam alterum caput afferretur atque in ma-

Nicepor. l. 1. Eccl. hist. c. 20.

nus

nus traderetur? idque non inuisum, vt fuerat Ioannis Baptistæ, sed longè charissimum? Nonne & ipsa facinoris sui recordata agnouit diuinæ vindictæ æquitatem, viditque, *qua mensura mensa fuerat, eádem sibi remetiri?* Sed nihil vident impietate excæcati, percutiuntur, & non corriguntur. At quamuis pereant, geminum tamen ex illorum exitio bonum existit: siquidem ostendit eorũ interitus, esse Deum iustum & metuendum, neque tamen sine clementia & bonitate. Nam eiuscemodi pereuntium supplicia, aliorum sunt exempla. Matth. 7. 2.

§. XIV.

Irrisor retorto collo præposterè videns punitus.

Quale etiam fuit illud curuiceruicum pecus, sani infelix imago, homo verè præposterus, de quo in vita S. Ludouici Francorum regis legimus, eum in mirabile monstrum esse demutatum. Inter ceteras D. Ludouici Galliarum regis virtutes eminuit mirabilis quædam moderatio, & victoria mundanæ vanitatis. Non ille fulgere in auro, non in purpura atque ostro nitere amabat, sed vestitu communi ac simplici regiam tegebat dignitatem. Itaque Sur. tom. 4. in vita S. Ludouici.

ornatus, quem ille à vestitu non petebat, à miraculis illi accessit. Accidit aliquando, vt Comes Geldriæ Parisios nuncium cum litteris mitteret, illico rediturum. Ex eo reuerso scisscitatur Comes: *Num regem Franciæ Ludouicum vidisset?* Tum ille, vel vt per iocum domino placeret, vel vt per sannam regem contemneret, improba imitatione collum contorquens & in humerum reijciens, *Vidi*, inquit, *vidi illum miserum papilardum regem grisea veste indutum ad scapulas caputium gerentem.* Dixit, & quod dixit, miserando modo expressit. Finierat enim vix ea verba, cùm ecce, facies eius in collo rotata ac retrorsum acta, ita retorta permansit, vt in contrarium intueretur, & iam, quod animâ verè erat, etiam corpore homo peruersus esse videretur. Cui hæc, tam monstrosè non videntis quò ambularet, deformitas est ascribenda? merenti, an punienti? Videre nequeo, quomodo in Deum culpa possit transferri. *Solummodò hoc inueni, quòd fecerit Deus hominem rectum, & ipse* se ab eo auertens respexerit retro, cum vxore Lot; iniurioſus, non curioſus, contra illud cælestis Magistri: *Nemo mittens manũ suam*

Eccles. 7. 30.

Gen. 19. 26.

Luc. 9. 62.

ad

ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei. Itaque iure irrisor iste diuinæ iustitiæ est immolatus, sicut olim aues, *retorto ad collum capite.* Leuit. 1. 15.

§ XV.

Ex illegitimo matrimonio regis proles anserino collo nata.

Defensa est in hoc monstro regis Galliarum virtus & sanctitas; punita alterius impietas in eo quod sequitur, non tantùm capitis, sed etiam colli monstrosi, prodigio, cuius in historiæ Aquitanicæ fragmentis ex Pithæi collectione editis fit mentio. Sed satius est dare verba Petri Damiani Archiepiscopi Rauennatis & Cardinalis, qui ita scribit: *Deus omnipotens terribile exhibet etiam in hac vita judicium, nec tamen miseri homines desinunt iterare plectendum. Nam Robertus Gallorum rex, auus istius Philippi, qui in paterni iuris sceptra successit, propinquam sibi copulauit vxorem, ex qua sucepit filium, anserinum per omnia collum & caput habentem. Quos etiam virum & vxorem omnes ferè Galliarum Episcopi communi simul excommunicauêre sententia. Cuius sacerdotalis edicti tantus omnem vbique populũ terror inuasit, vt ab eius societate vniuersi* Petr. Damian. ep. ad Desiderium Abbat. Cassin. Baron. t 3 An. 998.

uersi recederent; nec, præter duos seruulos ad necessarij victus obsequium, illi remanerent. Qui tamen & ipsi omnia vasa in quibus rex edebat, & bibebat, percepto cibo, abominabilia iudicantes, pabula ignis exhibebant. His autem Rex coarctatus angustijs, ad sanum consiliũ rediens, diuortium fecit, inijtq; legale connubium. Pharao, cognita Ioſephi ſapientia, *veſtiuit eum ſtola byſſina, & collo torquẽ auream circumpoſuit.* Sic honoratur, qui ſic meretur; alij qui vt anſeres viuunt, vt anſeres meritò etiam incedunt; aut in prole ſua imaginem ſuam aſpiciunt, quemadmodum rex iſte, *qui cucurrit aduerſus* Deum *erecto collo, & pingui ceruice armatus eſt.* Quanquam caſtigatus reſipuit, demiſſaque ceruice collum iugo ſubiecit. Multi caſtigantur, & non emendantur, quibus *expediret, vt ſuſpenderetur mola aſinaria in collo* eorum, *& demergerentur in profundum maris,* ibi enim cum ſcandalis ſuis ſepelirentur.

Gen. 41. 42.

Iob. 15. 26.

Matth. 18. 6.

§. XVI.

Venationis amore diuinum cultum omittens, canina prole plectitur.

Punitus etiam & emendatus monſtro fuit ille Nobilis Theuto, adeò captus amore

Thom. Cantipr.

more venandi, vt etiam Dominicis festisq; diebus, sacrificio missæ temploq; adesse negligeret. Adeò canum etiam, quàm Angelorum commercia vanis istis sunt iucundiora. Erat huic vxor moribus ita contraria, vti squalloris illuuiei nitores splendoresq; auri contrarij sunt. Tota enim diuersis seruitijs fuit addicta. Quare vxoria potestate sæpe virum verbis castigabat, sæpe monebat, vt salutis suæ & Dei non obliuisceretur. Sed, vt fit, semper risu refutabatur, dicebatq; crudus venator, mulierum monitus, & ranarum strepitus eádem lance expendendos. Igitur quod femina non emendauit sua pietate, puniuit Deus naturæ errore. Si tamen error dici potest, tam clemens iustitia. Siquidem innocens vxor, per multos felices partus, tandem aduersa Lucina puerum peperit abortiuū, prodigiosi capitis, quod canis venatici speciem habebat; erat enim molossico rictu, & auribus, braccorum (vt vocant) more, flaccis ac dependulis. Erubuit partu mater; obstupuerunt, quæ aderant, nobiles matronæ; in tota domo trepidatum est. Consilium fuit, vt monstrum terra obrutum illico tegeretur, antè, quàm

lib. 2. Apum. c. 49. §. 17.

maritus domum rediret. Quod factum est. At herus domum reuersus primum habuit, vt quæreret, quid, se foris venante, vxor domi cepisset, aut peperisset? Tacuerunt omnes, & silentio rem dissimulare voluerunt. Suspectum fuit hoc silentium homini; &, vt erat militaris, gladio è vagina educto, iubet sibi recentem partum ostendi, vel se aliud renuentibus ostensurum minatur. Metu exterrita vxor mandat vt monstrosa proles refodiatur. Quod tam triste spectaculum vbi est in medium allatum, ita iam ipso diuini honoris zelo animatior mulier coniugem suum est affata, *Videsné etiam coram oculis tuis, ô marite, quàm manifesto prodigio omnipotens iudex, insanam in te venandi libidinem vindicârit? qui, vt leporem posses capere, aut ceruo insidiari, nullo honore dies sacros, nulla reuerentia res ipsas sacras, nec adeò ipsum sacrosanctum Christi corpus affeciſti. I nunc, & post iterum, neglecto templisq; debito cultu, feras sectare; i, cum canibus tempus consume, quod Deo debetur; accipies fructum venationis, pro filijs, canes.* His verbis, ac præcipuè monstri tam deformis aspectu ita tactus est Nobilis, vt non solùm negligentiã suam lachry-

mis

mis ac seriâ pœnitentâ diluerit; verùm etiam imposterum præcipuis curis templa frequentârit. Deplorent suum Acteonem Poetæ à vertagis laceratum; hoc humano cane nullus vnquam alius canis aut iustiùs, aut salubriùs dominum momordit.

CAPVT VIII.

Qui, & cur, reliquis corporis membris, aut etiam toto corpore monstrosi prodierint in lucem?

§. I.

Cur homines quidam nascantur & fiant gibbosi?

SAt punitur, qui capite luit, quod peccauit: quia tamen etiam reliqua humani corporis membra sæpe sunt scelerum instrumenta, seruiuntque iniquitati, idcirco monstrositas per reliquum quoque sese corpus diffundit. Vt enim taceam Antoninum Pium Imp. qui forma conspicuus, & statura decorus, ac longus fuit, tamen senectute incuruatus, tiliaticijs tabulis circum pectus positis fasciabatur, vt rectus incederet, & naturam corrigeret fatiscentem; certè non sine di-

uina

uina vindicta quosdam, impositis in humeros molibus, Atlantes fieri testatus est Leo Byzantius, cui Pasiades gibberus valetudinem oculorum obiecerat; respondit enim illi: *Humanum vitium infligis mihi, qui dorso portas Nemesin.* Quare, si qui tales sunt, vel suo, vel parentum merito, vix natos infantes nimis superbè amantium, tribuere debent, si id illis euenit, quod Saxo & Cranzius memorant accidisse Ingoni Haraldi Hybernienſis, Noruegiorum regis filio, omnibus honestatis numeris instructissimo, qui infantiæ suæ tempore, per incuriam nutricis fortè sinu delapsus, confracto dorso, gibbum contraxit. Puniuntur sæpe in filijs parentes. Quanquam hæc etiam pœna esse potest ipsorum qui patiuntur. Vnde per imprecantis modum prædicitur illis verbis: *Obscurentur oculi eorum, ne videant, & dorsum eorum semper incurua.* Quod vitium, vt à casu, ita potest & à natura prouenire errante, at errante vel ob parentum peccata, vel ad patientiæ & demissionis occasionem, vel vt plectantur, qui curuantur; iuxta illud: *Posuisti tribulationes in dorso nostro.* Hoc est, *dorso Nemesin portare.* Alia crux, aliud onus alijs, his

Plutarch. de Vtil. ex inim. qui tamē lib. 2. Quæst. con. de filio Pasiadis hoc tradit.

Saxo l. 14. Cranz. l. 5. Noruegiæ cap. 9.

Psal. 68. 24.

Ps. 65. 11.

his sarcina hæc imponitur; quam etiam plerique senes coguntur gestare annis & morbis grauati, vt deorsum pressi oculis sepulchrum sibi quærant: ob quam caussam & *silicernia* vocantur. Est igitur illis gibbus, velut cippus ac monimentum tumuli eos expectantis. Ita enim paulò post, non tergo tantùm cumulato, sed saxo sepulchrali prementur; quo vt libentiùs eant, cum onere eunt. Onerati omnes, si sentiunt onus, magis libentiusque properant ad quietem.

§. II.

Cum veste carnea natus.

Plectitur & vestium peregrinus luxus sua monstrositate; & sæpe exprimit errans natura, quod malè affectauit tumens superbia. Quid enim aliud sibi voluit, circa Annum 1535. Bremopyrgi in vrbe Marchiæ infans, qui teste Fincelio, ita natus est in corpore circumflua & laxa cute, immo mole carnea, vt indutus sago militari Germanico crederetur? Fortasse infantis istius mater, sagum militare nimis curiosè aspexit? fortasse ita incedentem nimis fastuosè militem despexit? Nam talis dicere potuit: *Induantur, qui detrahunt mihi, pudore:* Conrad. Lycosthē. An. 1535. Psal. 108. 29.

dore: & operiantur ſicut diploide confuſione ua. Denique quid ſi ſago digna fuit ſaga? vt adeò proles eius indicaret, matrem ſuã intus & in cute nihil valuiſſe?

§. III.

Sanctorum virorum irriſores equorum ritu caudati facti.

Sæpe Deus irridet irriſores ſuos, aut ſuorum, eosq; ignominia notat, qui Diuo alicui notam volunt aſpergere. In Anglicana hiſtoria de D. Thoma Cantuarienſi hæc habet Polydorus Virgilius: *Rogerius vt homo facinoroſus, cum ſui furoris ſociis epiſcopis, continuò in Normaniam aduolat, atq; ibi ſimul ad vlciſcendũ ardentes regem adeunt, apud eum nomen Thomæ deferunt, eundem accuſant, culpant, criminantur, quòd ſacerdotij libertatem, quòd ius humanum pariter atque diuinum, quòd inſtituta maiorum euertere, corrumpere, delere deniq; conetur, qui ſibi tantum ſumat, vt velit epiſcopos ſuo arbitratu Chriſtianorum cœtu excludere, excluſosq; perpetuò exterminare: item regia prærogatiuæ derogare, ac cunctis ius ciuium tollere. Præterea ſi quos ſentiant in aula eſſe, qui inimico ſint in ipſum Thomam animo, eos ardentes ſimiliter inflammant, inflammatos, ar-*

Polyd. Virgil. l. 13. Anglican. hiſt.

mant,

mant, concitant ad machinandũ illi perniciem. Sed ne plura, hæc & talia eiusmodi ita regem Henricum mouerunt, vt ira vehementer accensus aliquando exclamarit: Me miserum, non possum in meo regno pacem cum vno sacerdote habere? nec quisquam meorum omnium est, qui me hac molestia liberare velit? Ex huiusmodi vocibus fuerunt improbi nonnulli quibus visa est occulta voluntas regis esse, vt Thomas è medio tolleretur, qui propterea velut hostis regis habitus, iam tum sic cœpit vulgo negligi, contemni, ac in odio esse, vt cùm venisset aliquando Strodum, qui vicus situs est ad Meduciam flumen, quod flumen Rocestriam alluit, eius loci accolæ cupidi bonum patrem ita despectum ignominia aliqua afficiendi, non dubitarint amputare caudam equi, quem ille equitaret, seipsos perpetuo probro obligantes: nam postea nutu Dei, ita accidit, vt omnes ex eo hominum genere, qui id facinus fecissent, nati sint instar mutorum animalium caudati. Sed ea infamiæ nota iam pridem vnà cum gente illa eorum hominum, qui peccârint, deleta est, Hæc Virgilius. In qua pœna Deus docuit, irrisiones redire ad irrisores. Quo enim adempto equum deformarunt, eo ipsi acquisito *iumentis insipientibus sunt comparati.*

Delrius l. 2. Disq. mag. q. 14.

parati. Delrius ait, Deo notum esse, num vltima particula à Polydoro in gratiam, an ex vero sit afficta; conuicium certè ingentem totam manasse, & durare inter homines. Simile diuinæ vltionis exemplũ exhibet Dockumensium Frisiorum pœna, ob eorum Episcopum S. Bonifacium cum

Cornel. Kemp. Dockumensis, l. 2. de Orig. Frisior. c. 21.

socijs cæsum. *Nam horum Sanctorum indignam mortem*, ait Cornelius Kempius, *in filios filiorum Deus vindicauit: vt passim ex eorum familiis (quorum maiores tam nefariũ scelus perpetrarunt) in hanc diem videantur in occipite habere grossos crines subalbi coloris, in modum caudæ cuiusdam bruti animalis, insitè dixeris,*

Sentit adhuc proles, quod commisêre parentes.

§. IV.

Manus monstrosa è ligno enata.

Manuum quoque atq; pedum monstra extitisse reperio. De manu mirabile quid-

Ianson. to. 2. l. 9. Mercurij Gallo-belg.

dam narrat Ianssonius, quod Anno 1594. Coloniæ edidit, postquam id ipsum Lubecæ impressit Ioannes Balhorn. In Mechelburgensi Ducatu, quatuor circiter miliaribus Rostochio, ad oppidum Butzau pagus est Muisal, in cuius pagi templo,

Anno

Anno 1594. pulpitum ligneum, antiquum, aridum, teredine exesum viuoque lapidi impositum fuit, quod proinde nullam inde potuit humiditatem contrahere. In huius suggesti stylobata seu scapo, cum incredibili omnium stupore, atque inaudito portento, excreuit humana manus, digitis quatuor & pollice erectis, vnguibusque suis munita. Et palma quidem erat, sicut palmæ manuum ceterarum. In aduersa autem atque exteriore parte facies humana conspiciebatur, oculis, naso, barbatoque ore prædita. Huic manui ne vita videretur deesse, in die, frequenter mouebatur, seq; ipsam vertebat tanto conamine, vt vbertim sudauerit, & guttæ sudoris in subiectum lapidem defluxerint. Ingens fuit ad hoc spectaculum concursus, summa admiratio, variæ interpretationes. Iansonius censet, vt per oculos intellectus inscriptura sacra intelligitur, seu fides; ita per manum opera. Vult igitur, ciues hoc monstro monitos, fidem & opera esse coniungenda; adeoque ex illa cathedra idem tunc significatum, quod D. Paulus in epistola sua ad Hebræos significauit: *Remissas manus erigite.* Porrò verumné sit Heb. 12. 12.

hoc prodigium, an fictum, aut præstigio. sum, ego non pronuncio. Fides sit penes authorem, judicium penes lectorem.

§. V.

Impij in Noctem natiuitatis Christi; toto anno saltantes,

Pro pedibus monstrosis haberi possunt, de quibus Ioannes Trithemius, Albertus Cranzius alijq; Scriptores meminerunt, Anno Seruatoris 1012. imperante Henrico II. Rupertus pij nominis Ecclesiæ S. Magni martyris, in Saxonia, Sacerdos, nocte sacratissima Natiuitatis Domini, primum Deo sacrficium offerre cœperat, cùm extra templi fores, in ipso cœmiterio, leuitati assueta quædam plebis turba, diuinis officijs insuper habitis, nugari cœpit, atque ludere. Primipilus eorum fuit Othertus laicus cum alijs quindecim viris. Hi tres feminas nacti choreas ducere, eo loco & tempore, non sunt veriti. Quin profanis catilenis obstrepere sacrificanti, eumq; molestissimè turbare sunt ausi. Misit sacerdos æditimum, qui eos iuberet, nocte & loco tam sacris à petulanti impietate desistere. Saxea sunt impiorum corda, & corneæ fibræ ad vocem monentis.

Ioan. Trithem. in Chron. monasterij Hirsaug. Cranz. lib 4. Saxon. c. 3. Gilbert. Genebr. l. 4. Cor. sub Anno 1012. Abbas Anhusan. in Stemmate Christi die 22. Decemb.

Quare

Quare neque saltatores isti destiterunt. Quoniam igitur & canere turpia, & pedibus terram plaudere contumaciter perrexerunt, Presbyter diuino zelo correptus stans ad sacrosanctum altare dixit: *Faciat omnipotens Deus, vt per vnum annum totum sic saltantes manere vos oporteat.* Exaudit cælum in terra clamantes, & non ratò etiam pœnas dispensat, ad illorum voluntatem. Quare factum est, quod iustissima ira commotus fuit imprecatus. Et nullæ vnquã choreæ fuerunt admirabiliores. Saltarunt; saltarunt nouem decim homines; saltarunt sine fidicina & choralistria; saltarunt nulla cithara chorũ suscitante; saltarunt per duodecim menses; saltarunt continuò; saltarunt die ac nocte, nulla quiete interposita; toto anno saltarunt; toto anno non ederunt, non biberunt; toto anno non dormierunt; toto anno nulla super eos pluuia cecidit; toto anno cæli iniurias non senserunt; neq; eos æstate solis flagrantia, neque hieme Aquilonis rigor vsit: denique, cùm essent in tam vehementi assiduoque motu, attamen neque labor eos deiecit, neque occupauit lassitudo. Ita saltatio ipsa, qua peccaue-

rant, illis pro supplicio fuit. Sed neq; calceos tanto tempore triuerunt; neque vestes vllas lacerauerunt, renouato pænè veteri Hebræorum prodigio. Vt autē & linguæ, quæ obscœna cantauerant, plecterentur, toto anno nihil ne mutiuerunt quidē. Quippe etiam sollicitè interrogati, non responderunt. Nempe, quod est Græcis hominibus in prouerbio, *omnia intus canebant*. Vt autem laboris huius tantò luculentiùs appareret magnitudo, terra ipsa pedibus eorum conculcata cessit; & primò quidem depressior erat, postea fossæ vsque ad genua, deinde etiam vsque ad femora immersi, tandemq; vix medij eminuerunt, vt semper Inferno fierent propinquiores. Conabatur quidam sororem suam, arrepto brachio illius, de medio saltantium choro vi extrahere; sed maior fuit vis saltantis, illa enim ipsa potiùs fratri pertinaciter tenenti brachium abrupit, immaniter vociferanti, cùm interea soror nullam vocem mitteret, neque quidquam se pati ostenderet, sed choream cum reliquis inceptam indesinenter continuaret. Porrò de abrepti brachij vulnere nulla sanguinis stilla defluxit, quasi membrum illud ligneum,

non

non carneum extitisset. In hoc circulo cœmiterij, totum anni circulum saltando absoluerunt. Finis anni erat, quem sacerdos præscripserat, & diuinæ gubernationis prouidentiâ adfuit S. Heribertus Coloniensis Archiepiscopus, qui in cœmiterium intrans, saltantes à maledicto absoluit introductosque in templum Domino conciliauit. Conciliatorum triplex fuit euentus. Fœminæ mox obierunt. Virorum quidam diutiùs superuixerunt; sed in diuinæ vindictæ argumentum, fœdo omnium membrorum tremore, obuiantium oculis pœnarum suarum vestigia ostenderunt: quidam verò paulo post ex hac vita euocati sunt, &, quod mireris, post mortem feruntur etiam miraculis claruisse, vt videas improbissimis quoque veniæ locum esse, si calamitates à Numine immissas sustineant animo peccata sua feriò, atque, vt par est, retractante.

§. VI.

Chorearum indecentia, & periculum.

Quemadmodum igitur in superiore exemplo manus, ita in hoc pedum monstrosa commotio mortales docuit, cauere peccata, & benefacere. Quid est saltare, aiunt?

S. Basil. hom. 14.

quid nocet cantare? Respondet D. Basilius: *Cantus profanos exerces, oblitus psalmorum & hymnorum quos didicisti. Moues pedes, & insanus saltas, choreas ducis imprudens, cùm genua ad Dei & Domini nostri* IESV *Christi cultum flectere oportebat.* Quod planè fecit cum socijs Othertus; qui etsi non obliti Psalmorum & hymnorum, quos fortè nunquam didicerant, tamen diuinos in Ecclesia cantus neglexerunt, & profanis cantilenis, tanquam Sirenes, aures sacras vulnerarunt, eoque tempore pedes ad numerum mouerunt, quo *genua ad Dei & Domini nostri* IESV *Christi cultum* honorandamque eius Natiuitatem *flectere oportebat.* D. Augustinus, de ijs, qui res sacras non negligebant, sed adibant, & alio tempore tamen in sanctiore loco saltitare consueuerant, ita loquitur. *Isti infelices & miseri homines, qui balationes & saltationes ante ipsas basilicas sanctorũ exercere nec metuunt, nec erubescunt, etsi Christiani ad Ecclesiam venerint, pagani de Ecclesia reuertuntur, quia ista consuetudo balandi de paganorum obseruatione remansit.* S. Ephræm. *Vbi citharæ,* inquit, *ac chori, & plausus manuum, ibi virorum tenebræ, & mulierum perditio, Angelorum tri-*

S. Aug. serm. 215.

S. Ephr. serm. quòd ludicris abstinend.

stitia,

stitia, & diaboli festum. O improbum diaboli consilium. Verum est, choreas moderatas in nuptijs, aut amicorum honestis conuentibus, posse sine peccato instituí; periculosum tamen est saltare, more præsertim Germanico, non solùm clericis & religiosis, quibus choreæ lege Ecclesiastica vetantur, sed etiam laicis; vix enim vnquam tanta moderatio adhibetur, vt post epularum lautitias, in mulierum consessu, conspectu, auditu, & alloquijs, inter puellarũ rotationes, apprehensiones, & allubentias, non sit proniſſimũ inardescere. Ob quam causſam olim, teste Basilio. *Quando sedit populus manducare & bibere, tunc & surgebat ad ludendum: lusus verò illorum idololatria erat. Tunc Leuitæ contra fratres se se armantes ex eis viginti tria millia ceciderunt, sic enim manus suas, inquit historia, consecrarunt.* Quamobrem *vt vidit Moyses choros, iratus est valde, proiecit tabulas, & confregit eas.*

c. Presbyteri dist. 34. ex c. Laod. c. 29.

S. Basil. loc. cit.

Exod. 32. 6.

Exod. 32. 19.

§. VII.

Male occupati saltantium pedes.

Plura malè simul ac infeliciter saltantium exempla recensèt Thomas Cantipratensis D. Thomæ Aquinatis æqualis. Sed non opus est longè petere. Habet & nostra

Thom. Cantipr. l. 2. Apũ. c. 32.

ſtra ætas quotidiana exempla. Non enim dicam, illam ipſam Natiuitatis Chriſti ſanctiſſimam noctem, plurimis puellarum, mulierumque ſuperſtitionibus ac dæmonum adiurationibus tranſigi; & verò plerumque, quò ſacratiora ſunt tempora, eò diriora ſcelera perpetrari, ſagasque & maleficos ad ſacrilegas ſuas choreas conuenire; quid conſuetius eſt & vulgò vſitatius, quàm vt ludi, conuentus, comeſſationes, ſaltationes diebus maximè feſtis inſtituantur? Ita tempus diuinis cultibus conſecratum, diabolicis operibus profanatur. *Vbi* enim *ſaltus laſciuus*, ait S. Chryſoſtomus, *ibi diabolus certè adeſt. Non enim ad tripudia hæc nobis præbuit Deus, ſed vt modeſtè incedamus: non vt impudenter camelorum modo ſaliamus: nec enim ſolùm fœmineæ, ſed etiam cameli turpiter ſaliunt; ſed vt in Angelorum choris conſiſtamus. Quòd ſi corpus deforme fit impudenter ſaliendo, quantò magis animam fœdari credendum eſt. His tripudijs diabolus ſaltat. His à dæmonum miniſtris homines decipiuntur.* Itaque, quiſquis es, *Obſerua diem Sabbathi, non carnaliter, non Iudaicis delicijs*, ait S. Auguſtinus, *qui otio abutuntur ad nequitiam. Melius enim vtiq;*

S. Chryſ. hom. 49. in Matth.

S. Aug. in Pſal. 32. Conc. 1.

tota

tota foderent, quàm tota die saltarent. Pedes dati sunt, ad ambulandum, non ad lasciuè saltandum. Illis, die sacro, ad ædes sacras, non ad popinas eundum est. Duplicem esse viam Magister noster esse dixit, vnam, qua ad cælum, alteram, qua ad Orcum tenditur. Per Ecclesias ad cælum, per cauponas ad Acherontem est iter. Ad vtrumlibet nos possunt pedes nostri portare. Tartara fugiamus, sidera petamus. *Id autem*, inquit D. Gregorius Nazianzenus, agens de Natali Christi festo rectè celebrando, *hac demum ratione consequemur, si nec domus limina sertis coronemus, nec choreas agitemus, nec vicos ornemus, & cum promtis ad vitium vijs, peccatiq; ianuis, &c. nec comessationibus & ebrietatibus, quia malorum magistrorum mala doctrina est, vel potiùs malorum seminum mala seges.* Vis videre quàm mala seges? Quemadmodum supra dicti nouemdecim homines, quò diutiùs saltarunt, eò, terra sub pedibus eorum cedente, profundiùs mersi inferis facti sunt viciniores; ita & isti tales, non cadunt, sed saliunt infelices Curtij in voraginem æternorum suppliciorum. Non ego hæc solus affirmo, maior me id pronunciauit.

S. Greg. Nazianz. in orat. de Christi Nat.

Iob. 21. 11. Nam Iob, cùm dixiſſet: *Egrediuntur quaſi greges paruuli eorum, & infantes eorum exultant luſibus*, ſubiecit, *Tenent tympanum & citharam, & gaudent ad ſonitum organi. Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.* O quàm ſunt miſeri iſti, quàm *infelices pedes eorum!* qui non de ſaxo ſaliunt, ſed de Mundo in ſepulchrum, de ſepulchro in infernum.

§. VIII.

Ebrioſi Bacchanalia celebrantis filius monſtrificus.

Ianſon. l. 3. lib. 12. p. 184. & Michael Iſſelt. l. 12. Mercurij Gallobel. An. 1595. Non motu tantùm, ſed forma quoque, neque vno duntaxat membro, ſed pluribus alij fuêre in monſtrum (vel ſua, vel parentum culpa) deformati. Baccharach oppidum eſt in ipſa Rheni ripa, inter Confluentiam & Moguntiam ſitum. Aiunt, olim *Bacchi aram*, ob vini ibi naſcentis præſtantiam fuiſſe nominatum. Ibi homo degebat mortalium & immortalium contemtor, cuius deus venter, templum popina, patronus cantharus. Hic Anno Domini 1595. die 14. Martij, ipſa Dominica quinquageſimæ, ne moris ſui obliuiſceretur, in cauponam ſe coniecit, vſque ad vomitum potaturus, luſurus vſq; ad paupertatem.

tatem. Vxor, postquam eum è domo elapsum amisit, facilè coniecit, vbi locorum quærendus esset. Quia igitur partui vicina, verita est, ne totum peculium puerperio suo imminenti necessarium abliguriret maritus, secuta eum rogare, & mitibus verbis monere cœpit, vt tandem finem imponere comessationibus, & secum redire domum vellet antè, quàm omnia degularet. Ebrios faciliùs est ducere, quàm ebriosos. Hinc & iste non satiatus, facesse re vxorem, & in malam rem ire jussit; monere pergentē & jam accensiùs obloquentem, verberibus abegit, iussitque eum viuo suo malo dæmone, quem in vtero gereret, quique illi in partu, pro Lucina futurus sit, domum, vnde malum pedem attulerat, rebitare. Ni parêret, se gladium suũ illi capulo tenus in ventrem immersurum. Illa verò: Eia, inquit, mi vir, Ergóne ego viuum in vtero gero dæmonem! Esto igitur. Nec plura locuta, acerbè lachrymans ad ædes suas reuersa est, relicto inter edones & combibones aleatoresque marito. Vix domi appulerat, cùm dolores partûs sensit; siue quòd iniuriæ acerbitas, siue quod diuina vindicta, siue vtrumque, partum

tum ante tempus maturauit. Vocatur obstetrix, adsunt vicinæ mulieres, editur in lucem fætus! ô qualis, quàm horribilis! quamque prodigiosus! Anteriore superioreque parte homini, inferiore posterioreque parte per omnia serpenti similis. Trahebat autem post se caudam tribus vlnis longam diuersicoloribus maculis variegatam. Hoc tam horrendum monstrum; tanquam stellio Cereris, non diutiùs vixit, quàm quoad munere suo perfunctum esset. Munus autem erat, non tantùm formidinem inijcere ijs qui aderant, & (velut olim curiosæ illæ

Ouid. lib. 5. Met.

Erichthonium prolem sine matre creatam,
Infantemq; vident, apporrectumq; draconem.)

Idem. l. 2. Met.

Monstrum biforme conspexerant; verùm etiam vt reducem ex hospitio parentem pro merito plecteret, ostenderetq; quàm sint imprecationes efficaces, redeuntibus per iugulũ authoris, vnde malè exierunt, Diris. Phæax igitur ille, cùm libidinem suam potando ludendoque satis explesset, vino & somno plenus domum rediuit. Vix ingressus est cubile, in quo & puerpera, & partus

partus iacebat, & ecce monstrum recens natum instar falconis in eum illatum est, horrificeq; sibilans hominem caudæ suæ spiris implicatum, venenosis ictibus, eum in modum, pupugit flagellauitq;, vt toto corpore tuberibus pleno, paulo post infelicem animam priùs, quàm crapulam exhalârit. Coniuge defuncto, puerpera quoq; extincta est. Sed & monstrum viuere desijt, quo Deus puniuit viri in prægnantem vxorem inclementiam & crudelitatem; vt alij discant & linguam frænare, cohibereque ab imprecando; & manum abstinere à coniuge vterum ferente, quam si percutiunt, duos percutiunt, quorum saltem alterum oportet esse innocentẽ. Quid enim potest peccare infans nõdum natus? & tamen cum matre sua verberatur. Profectò si verba malè precantia ad illam vsque in aluo iacentem penetrant; longè certiùs verbera illuc penetrabunt, & calces, quibus in matrem arietabat pater, non iam ebriosus, sed furiosus.

§. IX.

Crudelitas regis Morindi, exotico monstro vindicata.

Inter omnia monstra, res est monstrosissima

sissima peccatum. Quid ergo mirum, si monstris puniatur? Minatus est hoc dudum Deus, cùm diceret: *Congregabo super eos mala, & sagittas meas complebo in eis. Consumentur fame, & deuorabunt eos aues morsu amarissimo: dentes bestiarum immittã in eos, cum furore trahentium super terram, atq; serpentium.* Quod hîc minatus est, luculentè fecit sæpius, sed monstro prorsus inusitatissimo, contra Morindum Britanniæ regem. Fuit hic rex aspectu formosissimus, manu fortissimus, mente crudelissimus. Inuaserat eius prouinciam rex Morianorum, quem Morindus, exercitu comparato, felicissimè vicit, immanissimè tractauit. Nullus ex hostibus viuus euasit. Iubebat enim Morindus vnum ex alio ad se adduci, vt sua quemq; manu perimens animum cruoris sitientem exsatiaret. Cæde ingenti fatigatus super aggeres occisorum assidens mandauit, vt qui superfuerant viui excoriarentur, atque excoriati flammis in cineres redigerentur. Ingentes vbique relucebant pyræ. Spectaculum erat tristissimum, & vel Caucaso miserandum. At non diu absuit diuina vltio. Mox enim ex Hibernia aduenit formæ longè monstrosissimæ,

Deuter. 32. 23.

Gastius pag. 31.

sissimæ, & inauditæ feritatis bellua. Hæc primò maritimos incolas inuasit, eosque lachrimandũ in modum laceratos absumsit. Narrata est clades Morindo, qui, armata suorũ manu comitatus, accessit cum ea certaturus, & immanitatis suæ mercedẽ accepit. Omnia tela emissa in irritum ceciderunt. Siquidem ea sine noxa hausit monstrum. Pharetris omnibus euacuatis, monstrum ad regem accelerauit, eumq;, diductis faucibus, piscículi instar, deuorauit. Dubites, vtrumnam monstrum fuerit maius? quod deuorauit alterum, an quod est deuoratum? Rex enim Morindus vnicus fuit, & tamen innumeros absumsit.

§. X.

Monstrosissimus partus vigilandum clamans.

At erat vorax illud prodigium Britannici maris partus, alius humanus partus, qui nihil omnino humani habuerat, ab alijs describitur, quos vt inter multa mendacia demus etiam aliquid veri attulisse, non piget hîc referre. Anno salutis 1544. in Belgio (licet non desint, qui Cracouiæ scribant) in die Conuersionis S. Pauli, Wolfius Centur. Caspar. Peucer. Munster.

Pauli, natus est ex honestis & nobilibus parentibus infans (si infantis nomen meretur tam infelix partus) tetro admodum & horribili aspectu, flammeis oculis & radiantibus; ore naribusq; bouinis, & vehementer in figurã cornu exsertis ac prominentibus; dorso pilis caninis hispido, simiarum faciebus in pectore extantibus; quà mammarum locus; oculis felium subtus vmbilicum hypogastrio affixis; horridis ac minacibus canũ capitibus ad vtrumque cubitum, & pedis vtriusq; patellam antrorsum spectantibus. Figura pedum cygni, cauda sursum reflexa & recurua longitudine vlnæ dimidiæ erat. Hic talis partus in lucem editus dicitur quatuor horas vixisse, ac tandem expirasse his emissis vocibus: *Vigilate; Dominus Deus vester aduentat.* Non est hoc monstrum in peccati pœnam natum? at natum est, ne peccaretur. Enimuerò & in peccati pœnam. Dixit olim Seruator noster: *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis*; quid dicet in futuro iudicio ijs, qui signa hæc talia viderunt, audierunt, & tamen non crediderunt? Nuncquid pertinacia malitiam, malitia supplicium est auctura?

Ioan. 4. 48.

CAPVT

CAPVT IX.

Punitorum monstrosa lepra, & monstrosa statua, è diuinis litteris explicata.

§. I.

Lepram olim fuisse pœnam peccati.

MOnstrosos vel homines, vel morbos, ex Numinis pœna extitisse diuinæ quoq; litteræ testantur. Nam inprimis *fecit signa atq; prodigia magna & pessima in Ægypto, contra Pharaonem;* quæ nolo hîc repetere. Deinde in eodem veteri testamento lepra fuit flagellum, quo Deus rebelles atque eos, qui superiores maximè Ecclesiasticos contemnebant, percussit. Sic enim rex Ozias, cùm vellet, inuitis sacerdotibus, incensum adolere, lepra percussus est. Sic Eliseus Giezi mentienti dixit: *Sed & lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo, vsq; in sempiternum.* Sic Maria perfusa est lepra, quòd contra Moysen murmurasset. Immò hoc ipsa lex monuit his verbis: *Obserua diligenter, ne incurras plagam lepræ, sed facies quæcunque docuerint te sacerdotes Leuitici generis, iuxta id quod*

Deut. 6. 22.

4. Reg. 15. 5.

4. Reg. 5. 27.

Deut. 24. 8.

præcepi eis, & imple sollicitè. *Mementote quæ fecerit Dominus Deus vester Mariæ.* Vbi obseruant authores, tametsi lepra sæpe sit morbus, siue vitium naturale, tamen sæpe etiam ex speciali Dei prouidentia fuisse Iudæis immissam, maximè autem ad grauiora eorum peccata punienda. 1. Murmuris & rebellionis, vt Mariæ sorori Moysis contigit. 2. ob simoniam, vt Giezi euenit, pro sanitate diuinitùs Naaman data, munera accipienti. 3. ob homicidium, ob quod Dauid Ioabo Abner occidenti leprâ est imprecatus. 4. ob sacrilegii, ob quod Ozias rex sacerdotium vsurpans atque incensum adolere, &, vt dici solet, *in patellam dare* volens, à Deo lepra tactus est. Quemadmodum ergo seruos vænales Romani cretâ, ita diuina Nemesis impios Iudæos leprâ notauit. *Et ecce Maria apparuit candens lepra, quasi nix,* ex formosa heroide in luridam & monstrosam laruam commutata.

Num. 12. 10.

4. Reg. 5. 27.

2. Reg. 3. 29.

4. Reg. 15. 5.

Num. 12. 10.

§. II.

Lepram Iudæorum olim, multas ob causas, fuisse monstrosam.

Vitium autem istud lepræ monstrosum fuisse, varia ostendunt. Nam 1. eiuscemodi le-

di lepra in pœnam à Deo inflicta, non inflicta est modo naturali, sed diuinitus, repentè, verbo vno, vna imprecatione, cùm lepra alia, vel contagio, vel corrupto paulatim sanguine, alióue humore exuperante acquiratur. 2. Etsi lepra illa Iudæorum similis fuerit veteri lepræ Græcorum, non tamen ex simili causſa nata est. De Græcorum lepra ait Hippocrates: *Lepra, & pruritus, & scabies, & impetigines, & vitiligo, & alopecia à pituita fiunt; sunt autem turpitudo magis, quàm morbi.* Hæc autem *turpitudo*, licet aspectu similis sit lepræ Græcorum, non tamen similis est ortu. Illa ex pituita, hæc ex Dei pœna, illa naturaliter, ista diuinitus vnde vnde pullulauit. 3. Etsi tam Iudæorum quàm Græcorum lepra, vt docet Franciscus Valesius, varia vitia & turpitudines externi corporis comprehendat, quorum vnum nascitur ex alio, idque in naturali lepra ex redundantia pituitæ, vel melancholiæ, per variam alterutrius intensionem, aut remissionem; & Deus quiuerit etiam his humoribus, aëre corrupto, leprosi contactu, tanquam causſis secundis vti ad plectendos Iudæos, non videtur tamen ijs vsus; quia hæc omnia vim

Hippocr. lib. de Affectionib.

Franc. Valesius lib. de sacr. Philos. c. 19.

propriam & adæquatã in veſtibus & muris gignendi lepram non habuerunt, niſi Deo ſingulariter concurrente & inoperante. Quis etiam melancholiæ aut pituitæ aſcribat lepram manus in Moyſe, tam citò natam & rurſus denatam? ad quem

Exod. 4. 6. dixit Dominus: *Mitte manum tuam in ſinum tuum. Quam cùm miſiſſet in ſinum, protulit leproſam inſtar niuis. Retrahe, ait, manum tuam in ſinum tuum. Retraxit, & protulit iterum, & erat ſimilis carni reliquæ.* Quæ tam ſubitò erumpens, ac rurſus euaneſcens lepra, inſtar monſtri ac prodigij, Moyſi eſt exhibita, nullâ vtique in corpore eius pituitâ, aut melancholiâ intensâ vel remiſsâ. Multò minùs in veſte, vel muro pituita, aut melancholia aliqua potuit eſſe lepræ cauſſa. 4. Adde quòd, ex

S. Aug. lib. 2. Quæſt. Euangel. q. 40. doctrina S. Auguſtini, vetus Iudæorum lepra ſæpe coloris magis fuerit vitium, quã valetudinis, aut integritatis ſenſuum atq; membrorum. Qua de cauſſa leproſi à Chriſto non ſanati, ſed mundati eſſe ſcribuntur, & ipſi quoque leproſi non tam ſanari,

Matth. 8. 2. quàm mundari cupiebant: *Et ecce leproſus veniens adorabat eum dicens: Domine, ſi vis potes me mundare. Et extendens IESVS ma-*

num

num tetigit eum dicens: Volo, Mundare. Et confestim mundata est lepra eius. Et infra: *leprosi mundantur.* Quin & ad Apostolos ait: *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, &c.* Quoniam ergo nostra lepra carnes & ossa depascitur, Iudæorum autem ferè tantùm in cute fuerat, sunt qui existiment, vel hinc sufficientem sumi differentiam posse. Quanquam ego hoc non ita firmum censeam: etsi enim id potuerit subinde esse discrimen, tamen de Mariam Moysis sorore ita loquitur Aaron: *ecce iam medium carnis eius deuoratũ est à lepra.* Serpebat ergo lepra illa & carnem corripiebat, immò *deuorabat.* 5. Igitur firmius est indicium illud, quòd lepra nostra sit ferè incurabilis, lepra autem Iudæorum sæpe fuerit curata; sicut frequenter vnus idemque morbus in alio climate alius est, aliaq; habet symptomata. Curari autem potuisse lepram Iudæorum, constat è diuino codice. 6. Illud profectò liquidum est, nostrâ à leprâ neque vestes, neq; domos corripi, vt fiebat à lepra Iudæorum. Quæritur sanè, quo modo lepra illa potuerit muro aut vestibus accidere? Ad quam quæstionem respondet Valesius, cùm lepra sit

Matth. 11. 5.
Matth. 10. 8.
Num. 12. 12.
Leuit. c. 13. & c. 14.

morbus non minùs quàm pestis contagiosus, sicut pestis semina solent adhærere vestibus, cubiculis, domibus, poculis, lancibus (per hæc enim omnia accidit fieri infectionem) ita pariter etiam lepram posse vesti aut muro adhærere, esseque posse domum aut vestem æquè leprosam ac pestilentem. Sed verosimiliùs Theodoretus ait, domos aut vestes olim non dictas fuisse tantùm idcirco leprosas, quòd vapores noxios & contagiosos haberent, & homines inficerent; sed quòd ipsæ infectæ, non secus ac homines eroderentur. Constat enim, Deum olim, dum peccarent Iudæi, lepram hanc infligere solitum vestibus, aut domibus eorum, vt per eam possessores ad sanitatem mentis reuocaret. Quia igitur lepra hæc non tam naturalis fuit, quàm plaga à Deo immissa, videtur fuisse qualitas quædam corrosiua (qualis est in sale, nitro, vitriolo, quæ vestes & stannum, & ferrum exedunt) vel corruptiua solis Iudæis propria, alijs Gentibus ferè incognita. Vbi enim, aut quæ nunc vestes, qui parietes lepræ non faciendæ, sed etiam patiendæ sunt capaces? Capaces fuerunt vestes & parietes Iudæorum. Vnde mon-

Theodor. q. 17. in Leuit. cap. 13.

strosa res fuit illa lepra. Certè nunc lepra propriè non se diffundit à leproso in vestes, vel domum eius, oporteret enim omnes leprosorum vestes arrodi, & putrefieri. Esto autem, sicut pestis vesti aut domui adhæret, eamque reddit homini pestilentē, dum ex ea vapores pestilentes contrahit; haud tamen vlla pestis vesti vel domui ita inhæret, aut ita eam inficit, vt illam consumat & interimat. Igitur lepra nunc non inhæret, sed adhæret tantùm vesti, aut domui, neque eam facit leprosam formaliter, vt olim, sed tantùm caussaliter, quia eam homini afflare potest. Quanquam autem etiam nunc aliquam subinde carìem in lignis, calce & lapidibus reperimus; non tamen ea est talis lepra, quæ nouos quoque solidosque lapides inuadat, erodat & absumat, vt olim lepra Iudaica. Vnde iussi sunt omnes lapides lepra infecti ex domo eximi, & noui substitui, qui si postea lepra infecti inuenirentur, jubebatur domus dirui; adeò etiam muri tunc ipsi lethaliter, vt ita dicam, ægrotauerunt.

Leuit. 14. 44. Ita fere Cornelius à Lapid. in Leu. c. 13.

§. III.

Murmuratio sororis Moysis qualis fuerit, vt lepram mereretur?

Quid leproso deformius? immo, si lepra est monstrum, quid monstrosius? Horrorem hunc Mundi moderator, in Iudæis ostendit, vt peccatum, caussam illius, horreamus. Est enim peccatum animæ lepra, maximeque illud, quod lepra legimus fuisse punitum. Murmurauit contra Moysen soror, & lepra perfusa est. Appositè, ita culpa & pœna congruebant. Quippe murmuratio instar lepræ serpit, & inficit totum aliquod corpus communitatis. Qua de caussa sicut leprosi olim jussi sunt è castris eijci, & habitare seorsum, ita eiecta est è castris murmuratrix Maria; ita SS. Patres, & Religionum fundatores statuerunt, vt è cœtibus sacris murmuratores separarentur. *Ex teterrima Mariæ Prophetissæ lepra docemur*, ait S. Ephrem, *quàm graue & detestabile vitium sit obtrectatio. Corpus, quod lepra infectum cernebatur, velut speculum quoddam fuit animæ, quæ non perspiciebatur, cuius indicabat maculam. Ex illa carnis corruptione patefactum est, quo modo hominis detractoris corrumpatur animus. Nam sicut illa defecerat à fratre suo: ita & ab ipsa proprium corpus defecit, vt ex semetipsa charitatem addisceret.* Quod si autem

Leuit. 13.

S. Ephrē de morbo linguæ.

autem & ipſa Mariæ murmuratio expendatur, poterit ea leuis videri; contigit enim ob Sephoram Madianitidem, & idcirco *Æthiopiſſam* vocatam, quæ more muliebri voluit ſe præferre Mariæ, eò quòd eſſet vxor Moſis, Moſenque ſuum quaſi populi ducem Mariæ & Aaroni prætuliſſet. Itaque vt muliebris ſexus imbecillis eſt, primùm concitata Maria, deinde per hanc incitatus etiam Aaron, ſe erigere cœperunt, non Sephoræ tantùm, ſed ipſi etiam Moyſi æquantes, jactitanteſque, ſe æquè nobiles eſſe Prophetas, ac Moſes erat. Hæc inter ſanctos illos, & Mariæ illius, cui Dominus locutus fuerat, ex æmulatione orta murmuratio lepram meruit, in diuino judicio, & ſeptem dierum ſeparationem.

§. IV.

Murmuratricis Mariæ imitatores, qua pœna pœnitentiáue digni?

Quid merebitur murmuratio non iam muliebris, ſed virorum, & eorum, qui ſe doctos, qui religioſos, qui ſanctos volunt haberi, & tamen re ipſa ſunt arrogantes, Theones, ſuperiorum ſuorum cenſores, quibus ſe non æquant modò, ſed etiam anteponunt, qui rectores ſuos regere, &

iudices volunt judicare? hoc ipso indigni qui regant, quia regi nesciunt; sola sua æstimatione idonei, aliorum judicio inepti ad gubernandum. Et videbis, non nisi viliſſimos, & grandibus nævis plenos esse ſuorum maiorum contemtores, censores, murmuratores; ſiquidem ſuperbia & æmulatione cæci aiunt: *Num per ſolum Moyſen locutus eſt Dominus? nonne & nobis ſimiliter eſt locutus?* quaſi Deus neſciat, quem ſubditum debeat facere, aut ſuperiorem. Habet diuina illa ſapientia ſuas iuſtiſſimas cauſſas, cur aliquando etiam ineptiorem ſinat altiùs promoueri, & digniorem premi. Fortaſſe vult & illum ſic deijci, & hunc extolli. Sicut enim valde honorificum eſt, ſi quæratur, *Cur iſte non regit? Cur iſte non eſt militiæ Dux? Cur iſte non ſedet in curia?* ita profectò tacitè carpit, quiſquis interrogat: *Cur regit iſte? Iſténe eſt militiæ Dux?* aut cum Catullo dicit:

Num. 12. 2.

Catull. ep. 53.

Quid eſt, Catulle, quid moraris emori?
Sella in curuli Struma Nonius ſedet:
Per conſulatum peierat Vatinius.
Quid eſt, Catulle, quid moraris emori?

Ita vulgus loqui ſolet, vulgum tu ſine ſuo more loqui; tu tibi ſororem Moyſis ante

oculos

oculos pone, & Dei regimen ne inuade? qui si mulieris vnicam murmurationem lepra percussit, eamque quasi infamem, & non tantùm fratris aspectu, sed etiam populi consortio indignam à castris separauit, quid illis faciet, qui non sola arrogantia sunt huic mulieri similes, sed etiam carpunt, quidquid à superioribus fieri cernunt; quod sanum est, sanare præsumentes, cùm ipsi vlceribus scateant. Quibus nisi Moysis soror in exemplum sufficit, legant apud Raderum historiam de Stylita Edessено, qui quòd fratrem suum germanum, aurum spernentem, simplicem iudicasset contempsissetq;, eò quòd ipse idem aurum prudenter, vt sibi videbatur, in viros Religiosos & pauperes erogasset; ab Angelo redargutus, ac à fratre suo germano in omnem vitam separatus, iussusq; quadraginta nouem annos stare in columna, post tam longam & duram pœnitentiam, tandem veniam meruit, anno quinquagesimo, siue iubiléo. Tunc enim apparens ei Angelus, peccatum remissum, eumque Dei gratiæ restitutum nunciauit. Si eadem vel Mariæ pœna, vel Stylitæ pœnitentia omnibus murmuratoribus nunc im-

Matth. Rader. de simplic. SS. c. 5.

pone-

poneretur, neque leprosorum domus, neque columnæ sufficientes possent ædificari, Sed qui, vt pœnitentiam agant, nihil patiuntur, aut non stant in columna, ante Dei tribunal stabunt.

§. V.

Alia peccata lepram merentia, & remedia eandem sanantia.

Id multò magis verum esset, si lepra afficiendi forent, qui vel per homicidia cum Ioab, vel per Simonias cum Giezi, vel per sacrilegia, cum rege Ozia lepra contaminari merentur. O quot cædes fiunt innocentium, quæ non candida lepra, sed purpureo sanguine notantur! Quot vestes, quot calices sacri venduntur & emuntur! quot aræ, quot templa sacrilegè violantur! Hi omnes si impetigine, aut alopecia cooperti in certum locum forent separandi à sanis, totæ forent extruendæ pro eis ciuitates, sed sat pœnæ eos manet, si à societate ciuium supernorum separantur. Ad quam, vt è numero monstrorum exemti admittantur, Christus animarum medicus, in leprosis à se sanatis, viam monstrauit, quando decem leprosis sibi occurrentibus & dicentibus: *IESV miserere*

Luc. 17. 14.

rere nostri, respondit: *Ite, ostendite vos sa-* Matth. 8.
cerdotibus. Et factũ est, dum irent, mundati 4.
sunt. Nimirum sicut leprosi in lege veteri Luc. 5. 14.
erant quasi irregulares, eò quòd non tantùm naturaliter, sed etiam legaliter essent immundi; adeoq; non tantùm ab hominũ conuictu, verùm à templo quoque & sacris arcerentur: ita peccatores omnes in lege noua sunt immundi, ac proin indigni consortio Sanctorum, à quorum cælesti domicilio, & beato illo Agni templo arcentur. Quemadmodum igitur illam leprosorum irregularitatem non medicus, sed sacerdos poterat tollere; cui propterea se sistere debebant, vt expiarentur, ac sacris, iuxta ritum, quem Deus præscripsit, restituerentur: ita se se debent & nunc sacer- Leuit.
doti sistere, & accurata omnis labis suæ c. 14.
patefactione, per confessionem, & sacramentalem confessionem, sicut Christus instituit, ostendere, vt ab illo absoluantur, diuinæq; gratiæ, & in ius hæreditatis cælestis restituantur. Atque hæc de monstrosa Iudæorum lepra.

§. VI.

Statua salis, in quam versa est vxor Lot, perennitas.

Quod

Quod si quis aliud è diuinis historijs monstrum sibi cupit ostendi, quod in peccati supplicium sit datum, potest id sanè, & quidem luculentum, cui ad memoriam perpetuandam statua est posita. Nam si vel Poëtæ in monstris numerant periurum illum Battum, quem Mercurius vertit

Ouid. lib. 2. Met.

In durum silicem, qui nunc quoque dicitur Index,
Inq; nihil merito vetus est infamia saxo,

Gen. 19. 26.

Cur in monstris non habeatur vxor Lot, *quæ respiciens post se, versa est in statuam salis?* Vatablus vertit *in statuam perpetuam*, quæ versio etsi minùs propria est, cùm passim authores agnoscant, eam mulierem propriè esse in statuã salis conuersam; tamen illud innuit, quod de ea Tertullianus scripsit, eam durasse ad multa sæcula; immò quod alij asseruerunt, eam ære perennius superfuisse. Siquidem Borchardus, qui vixit ab hinc trecentis annis, testatur hanc statuam, sua adhuc ætate, inter Engaddi & mare mortuum extitisse; eamq; etiam sua adhuc ætate visam docet Adrichomius & Abulensis. Enimuerò Targum Hierosolymitanum addit, statuam hanc duraturam, vsq; ad diem extremi iudicij & resurrectionis.

rectionis. Christus sanè Dominus voluit memoriam eius perennare, quando dixit: *Mementote vxoris Lot.* Voluit ergo Deus statuam illam effigie mulieris, & retenta vxoris Lot forma æternum esse iustitiæ suæ monumentum. Nec mirum videri debet, si sal alioqui aquis diffluens, tam diu possit pluuias ac tempestates sustinere. Est enim sal quoddam metallicum, quod imbribus resistit, & ipsis ædificijs soliditate sua est vtile. *Africa,* ait Plinius, *circa Vticam construit aceruos salis ad collium speciem: qui vbi sole lunaq; indurnêre, nullo humore liquescunt, vixq; etiam ferro caduntur.* Eiuscemodi salis statua vtique potest & nimbos & hiemes tolerare. Præsertim si miraculo conseruetur.

Luc. 17. 32.

Plin. l. 31. cap. 7.

§. VII.

Firmitas & miraculum statuæ salis.

Nam inter mira & monstrosa huius statuæ, non est sola conuersio eius ex homine in lapidem, quæ vim naturæ superat; neque sola eius duratio, siquidem aliàs & marmora suam patiuntur senectutem, & nihil non

æui longinqua valet mutare vetustas;

sed etiam modus conseruandi. Etenim, quod

quod idem Naturalis historiæ scriptor de sale, qui alicubi in extremitatibus aquarũ inarescit, alicubi vsque ad medium locum coquitur, scribit: *Aliud etiam in eo mirabile, quod tantumdem noctu subuenit, quantum die auferas*, id ipsum longè in hac statua mirabilius est. Affirmat enim Tertullianus, statuam hanc, si à quopiam mutiletur, mox hoc mutilum quasi vulnus suum sarcire & implere. Accedit & illud prodigium mirissimum, si verum, quod, tametsi statua isthæc eadem & tumulum agat & tumulatum; vt proinde illi accommodari illud ex Græcorum Epigrammatis possit;

Plin. loc. cit.

Cadauer, nec habet suum sepulchrum;
Sepulchrum, nec habet suum cadauer:
Sepulchrum tamen, & cadauer vnà est;

etsi, inquam, hæc statua & cippus sit, & cui cippus ponitur, nihilominus viuere quodammodo videtur. Siquidem viuentis more quasi menstrua quædam effundit. Non referrem hoc, nisi apud Tertullianũ reperirem affirmatum. Verba illius do cat minibus innexa.

Tertull. in carm. de Sodoma.

Ipsaq; imago sibi formam sine corpore seruans
Durat adhuc, nunquam pluuijs, nec diruta ventis.

Quin

Quin etiam si quis mutilauerit aduena formam.
Protinus ex sese suggestu vulnera complet.
Dicitur & viuens alio iam corpore sexus,
Munificos solito dispungere sanguine menses.

§. VIII.

Solum corpus vxoris Lot, non item animam in statuam salis esse conuersam.

Sufficit hoc in saxo, aut sale sanguinante monstrum, in quod mulieris istius corpus abijsse, nefas est dubitare. At cùm vxor Lot dicatur *versa* esse in statuam salis, quærunt nonnulli, An etiam anima illius cum corpore sit in statuam commutata, profectò enim illi tum anima pro sale, & sal pro anima fuisset, esseteque prodigiũ tantò magis formidolosum. Et sunt rationes dubitandi. Sacra enim historia rotundè asserit, vxorem Lot in statuam salis abijsse; at vxor constat æquè, immo magis anima, quàm corpore. Quin ipsa id videtur scriptura innuere his verbis: *Incredibilis* (hoc est, incredulæ) *animæ memoria stans figmentum salis.* Sed hæc nihil euin- Sap. 10. 7.

cunt. Consuetum est in diuinis litteris, v
nomen *animæ* pro toto homine sumatur,
Act. 2. 41. nota Rhetoribus figura: *Qui ergo recep-*
runt sermonem eius, baptizati sunt: & appo-
sita sunt in die illa animæ circiter tria millia
id est, homines. Quòd autem absolu
vxor dicatur versa in statuam salis, rec
dicitur, etsi anima eius non sit in statua
salis versa. Quod enim viuo corpori co
tingit, toti homini dicitur contingere. Si
homo dicitur mori, etsi anima non morie
tur. Quoniam igitur conuersio vxoris Lo
in statuam salis fuit mors eius, & in mo
te anima non interit, sed solum corpus vi
uum mutatur in cadauer, conficitur solu
corpus vxoris Lot in statuam salis conue
sum fuisse. Constat etiam animam incor
poream in corpus seu statuam non po
tuisse propriè transmutari; neque verò e
am interire, tanquam immortalem. Ne
sufficiens caussa videtur fuisse, vt Deus fi
ceret animam illam interire, cùm ob pe
cata longè grauiora animas aliorum n
extinxerit; neq, ob leuiora, quamuis ip
mallent in nihilum redigi, quàm æterni
ignibus excruciari. Neque verò id ad
emplum hominibus erat profuturum. Ad
exem

exemplum enim suffecit, corpus visibile in statuam visibilem fuisse transformatum. Stat ergo ex homine statua, & statua salis, stat forma mulieris sine muliere, stat stabitque monstrum & diuinæ iustitiæ monimentum.

§. IX.

Peccatum vxoris Lot, an fuerit mortale?

Quandoquidem autem anima cum corpore non interijt, scire voles, quò ipsa abierit? Curiosa quæstio. Difficilis responsio. Quis enim inspexit diphtherã Iouis; quis vidit tabulas æternitatis? aut quis consiliarius Dei fuit? De hac tamen anima, sicut de Samsone, de Salomone deque alijs disputatur. Cornelius ita concludit: *Itaque anima huius vxoris, corpore conuerso in statuam, superstes mansit, atq; iuit ad infernũ, aut potiùs Purgatorium: videtur enim hæc eius retrospectio venialis tantùm fuisse culpa.* Respexit enim vel ex muliebri leuitate, & curiositate; vel quia pluuij sulphuris de cælo cadentis sonitu, strepituque ignis tecta domosque cum furore corripientis, aut etiam pereuntiũ vociferatione mota fuit; vel quia dolore rerum amittendarum, ac miseratione ciuium suorum, patriæq; suæ

Cornel. à Lapid. in c. 19. Gen. v. 26.

conflagrantis tracta sui oblita est; vel qui extimuit, ne & ipsam sequens à tergo flamma inuaderet. Quis Petrum censeat mortaliter peccauisse, quando *conuersus vidit illum discipulum, quem diligebat IESVS sequentem,* & interrogauit, *Domine hic autem quid?* Cur ergo tam subitò ac seuerè ista muliercula est punita? Quia inobediens, & vt scriptura loquitur, *incredibilis*, hoc est incredula fuit. Haud enim credidit, aliquid referre ad salutem & incolumitatem suam, respicere, aut non respicere. Qua in re Dionysius Carthusianus existimat, illam mortaliter peccauisse. Petro autem non mandatum fuit, ne respiceret; neque ea in re incredulus fuit. Fuit ergo feminæ illius curiositas ex duplici capite peior. Alij tamen eam à peccato mortali excusant, tum ob inconsiderationem, tum ob leuitatem materiæ, tum ob ignorantiam quandam, aiunt enim venialem duntaxat hanc culpam fuisse, non solùm quia nimio metu perculsa subitò, præcipitanter, & indeliberatè respexerit, quæ ratio mihi quoque probatur; sed etiam quia non respicere leuis illi visa sit res ac materia, atque eapropter non sciuerit, aut judicauerit, il-

Ioan. 21. 20.

Sap. 10. 7.

lam sub peccato mortali præcipi aut obligare. Quæ opinio an excusandæ curiositati sufficiat, apud me non est liquidum. Potuisset & Eua leuitatem & exiguitatem materiæ, pomi scilicet esum, obtendere; sed sciuit satis graue esse, quidquid à Deo præcipitur, atque mortis comminatione vetatur. Ita & vxor Lot audiuit ab Angelo non soli Lot marito, sed sibi quoq; & filiabus dici: *noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione: sed in monte saluum te fac, ne & tu simul pereas.* Satis ergo scire poterat, graue esse, quod tam grauis pœnæ intentatione prohibetur. Sed *incredibilis*, seu incredula fuit. Itaque si illam aliquid excusat, impetus excusat, qui in tali rerum statu potuit rationem præuenire. Plerumque enim affectus subitus caret libertate.

Gen. 19. 17.

§. X.

Quid discamus ex vxoris Lot exemplo?

Siue autem lethaliter, siue venialiter, peccârit, perspicuè inde cernitur, quàm sit *horrendum incidere in manus Dei viuentis! Iusta sunt iudicia eius*, quæ si ob eiuscemodi vel incredulitatem, vel inobedientiam, vel curiositatem, siue mortalem, siue venialē,

Hebr. 10. 31. Apoc. 19. 2.

tam seuerè punit; quid non metuendum erit ob scelera nefanda? Nam etsi Hebræi, teste Lyrano, aiant, vxorem Lot idcirco in statuam salis esse compactam, quòd vespere præcedente, cùm Lot Angelos excipiperet, in cœna non appositerit salem, quo cibi condiuntur, idque ex gentilitio hospitum & hospitalitatis odio, fabula tamen illa est Iudaica. Vera causa est, vt quemadmodum postea Deus, ob inobedientiam tantùm venialē, Prophetam à leone occidi iussit, alijs in exemplum; ita & vxor Lot in statuā salis verteretur, vt esset quasi marmor & monumentum perenne diuinæ castigationis. Hoc enim exemplo docemur. 1. Credere Angelis, diuinis suggestionibus, bene monentibus. Idcirco enim *Incredibilis animæ memoria stans fragmentum salis*, nos adhortatur. 2. Docemur obedire, & non tanquam leue contemnere, quod jubet Deus, suggerit Angelus, monet Concionator. 3. Docemur teste Philone Cyprio, oculos continere, atque à curiositate abstinere. Si nocuit videre supplicium, quid damni feret intuscandalum? *Vt vidi? vt perij?* potuit dicere vxor Lot. Quot, & quanti id iuuenes, si

3. Reg. 13. 24.

Sap. 10. 7.

Philo Cypr. in catena.

ri, senes, pueri & puellæ dicere possent? Posset id dicere Dauid; possent dicere duo senes, quorum ille à lauante Bethsabea, isti à lauante Susanna oculis venenum hausérunt: posset id dicere Puthipharis vxor, quæ mœcha facta non esset, nisi Iosephum petulantibus oculis respexisset. Punita est vxor Lot, quòd ad terribile illud supplicium, quo impuri Sodomitæ vstulabantur, oculos reflexisset; qua pœna digni erunt, qui, quod opere consequi non possunt, saltem oculis venantur; vt, dum vsus non conceditur, aspectu satientur? 4. Docemur, *quæ retro sunt, obliuisci, ad ea verò, quæ priora sunt, extendere nos ipsos, ad brauium supernæ vocationis Dei in Christo IESV.* Neque enim bene cœpisse sufficit. Quàm multi bene cœperunt, sed exciderunt? Non vanè Psalmus Cantici Asaph titulum præfigit: *In finem ne corrumpas.* Insistendum est bonis cœptis, non respiciendum. *Vxor Lot salis statua effecta, suo exemplo fatuos condiuit,* ait S. Prosper, *in proposito sancto, quo tendunt proficientes, noxia curiositate retro non debere respicere;* ac repetere Mundi & carnis voluptates. D. Augustinus hæc inculcat apostatis, qui calcato castitatis vo-

Phil. 3. 13.

Psal. 74.

S. Prosp. lib. 1. de Prædict. & promiss. c. 16.

S. Aug. in Psal. 75.

to, ad vomitum respiciunt. Christus vni-
uersim hoc exemplo monet eos, qui bene
Luc.17.31. cœperunt, vt perseuerent. *In illa hora, qui fuerit in tecto; & vasa eius in domo, ne descendat tollere illa; & qui in agro similiter non redeat retro. Memores estote vxoris Lot.* Et
Luc.9.62. alio loco: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* 5. Docemur, quàm nihil sine causa iubeat Deus. Posset videri nimis rigidus, dum tam seuerè vetuit, ne Lot cum suis retro respiceret, aspiceretúe Sodomam fumantem. Sed habuit eius rei multas graues-q; causas. Ita enim se Dominum ostendit, cùm mandatum dedit. Ita illi se seruos exhibuissent, si omnes obediuissent. Ita demonstrauit Deus detestandam contra sceleratæ gentis abominationem, vt quam à suis respici nollet; ne quis pereuntium miseratione tangeretur. Ita volebat omnium memoriam nefandorum hominum ex animis sanctorum & purorum deleri. Ita demonstrabat, adeò execrandos Sodomitas vt Lot, & familia eius, ne de supellectili quidem, aut domo, ceteris-que bonis suis vnà cum impia vrbe conflagrantibus cogitare, aut dolere deberet. Nam sic etiam
Matth. 10.14.

Christus

Chriſtus iuſſit Apoſtolos excutere puluerē de pedibus in eos, qui Euangelium auerſarentur, vt hoc ſigno manifeſtum facerent, ſe cum tam nefarijs hominibus nihil, ac ne puluiſculum quidem velle habere communem. Ita denique non ſolùm Deus Sodomam relinquentibus occaſionem dedit, vt nullum in illis pœnitentiæ ſignum, quale eſt reſpicere, videretur; ſed etiam, vt inſtante incendio quàm citiſſimè fugerent; ſicut è domo fugiunt homines incendio iam illam depopulante. Hoc vos ergo monſtroſa vxoris Lot ſtatua docet, ô iuuenes, deteſtari, fugere; &, ſi fugitis, non reſpicere mundum & vanitates eius Auernali incendio proximas. Hoc vos docet, ô peccatores, ſtatua ſalis, deſerere malos, horrere præterita, ac neque oculis, neque mente reſpicere ad priſtinas illecebras: deniq; iudiciorum Dei, cum timore ac tremore meminiſſe.

CAPVT X.

Quantum ex rege Nabuchodonosore, & ob qua peccata, monstrum factum sit?

§. I.

Ionis in taurum mutata fabula in rege Nabuchodonosore historia facta.

HActenus pœnam minùs atrocibus peccatis monstrositate repositam palam fecimus: nunc maioris monstri maiora delicta prodigiosè punita è diuinis litteris producemus. Apud Poëtas, monstrum ingens erat Inachi filia Io in iuuencam mutata; & grandius Iuppiter ipse, qui illam fingitur mutauisse. Nimirum

Ouid. l. 1. Met.

Idem. l. 2. Met.

Sceptri grauitate relicta
Ille pater rectorq; Deûm, cui dextra trisulcis
Ignibus armata est, qui nutu concutit orbem,
Induitur faciem tauri, mistusq; iuuencis
Mugit, & in teneris formosus obambulat herbis.

Formo-

Formosusné fuerit Deus, &, vt fingitur supremus Deorum, in taurum abiectus, nemo est, qui credat; immò nec rem ipsam credimus. Fabulæ, apinæ, tricæq; saperdarum. Vera audite, de magno rege, qui de se ipso, *omnibus populis, gentibus & linguis, qui habitant in vniuersa terra*, scribit: *Ego Nabuchodosor quietus eram in domo mea, & florens in palatio meo;* narratq; fatidicum calamitatis suæ somnium, in quo audiuit vocem Angeli fortiter clamantis: *Alligetur vinculo ferreo & æreo in herbis, quæ foris sunt, & rore cæli tingatur, & cum feris pars eius in herba terræ. Cor eius ab humano commutetur, & cor feræ detur ei: & septem tempora mutentur super eum.* Quæ hæc mutatio? quod somnium? *Hæc est interpretatio sententiæ Altissimi, quæ peruenit super Dominum meum regem*, ait Daniel. *Eijcient te ab hominibus, & cum bestijs ferisq; erit habitatio tua, & fœnum vt bos comedes, & rore cæli infunderis: septem quoque tempora mutabuntur super te, donec scias, quod dominetur Excelsus super regnum hominum, & cuicunque voluerit, det illud. Omnia hæc venerunt super Nabuchodonosor regem. &c. Et ex hominibus abiectus est, & fœnum vt bos comedit, & rore*

Dan. 3. 98. Idem c. 4. 11

& rore cœli corpus eius infectum est; donec capilli eius in similitudinem aquilarum crescerent, & vngues eius quasi auium.

§. II.

Quanta in Nabuchodonosore facta sit metamorphosis?

Hæc quanta regis fuit metamorphosis? *Cor eius ab humano in cor feræ commutatur*, & ex sapiente fit amens. Pro torquibus, armillis, & annulis, *vinculo ferreo & æreo alligatur*. Quando enim in amentiam versus cœpit delira fari, atque insanire, mox ne sibi & alijs noceret, compedibus astrictus fuit, manicisque vinctus & inclusus. Denique autem monitu Danielis solutus compedibus, ex regia domo, & palatio suo, in quo fluerat, aufugit in siluas, retentis manicis ferreis in manibus, ne illæ coniungi possent, neue ijs vteretur vt homo, sed vt illis disiunctis reperet ad herbas more bestiarum. Idcirco enim dicitur: *Alligetur vinculo ferreo & æreo in herbis.* Itaque, qui erectus antea incedebat, postea deiectus coactus est repere; qui priùs sub auratis tectis habitabat, postea debuit manere sub Ioue frigido; qui priùs tot satrapas & magnam aulicorum turbam co-

ronam-

ronamque habuit circumstantem, iam inter ceruos & lupos, inter apros & vrsos, inter leones & dracones versabatur; qui antehac fercula videbat in mensam inferri, quorum ne numerandi quidem, ne dum edundi copia erat, postea pro lautitijs regijs, *fœnum vt bos comedit*; qui antea comtus cæsariem calamistris crispabat, & vnguentis Arabicis imbuebat, postea illi crescebant *capilli in similitudinem aquilarum*; cuius digiti antea gemmis, velut cælum stellis lucebant, postea *vngues quasi auium*, aut falconis hamabantur. Et hæc omnia, per septem annos, est passus, vt tanto acerbiùs, quanto diutiùs deprimeretur; passusq; est, postquam iam triginta septem annis regnauit, vt tanto tempore assuetus delitijs, grauiùs sentiret calamitates inexpertus. Nonne hæc magna est metamorphosis? Dan. 4. 30.

§. III.

Non esse parabolam sed veram historiam regis Nabuchodonosoris.

Maior apparebit hæc mutatio, si quid non sit, & quid sit, in apricum deducamus. Etenim magnitudine prodigij adductus Origenes cum suis, ausus est affirmare, hæc de

de Nabuchodonosore non historicè, sed parabolicè duntaxat narrari, & sub regis huius nomine, casum Luciferi depingi. Verùm D. Hieronymus & alij plerique aiunt, hanc esse hæresin; cùm ex simplici narratione eius facti pateat, historiam esse; & scriptura clarè dicat, *omnia hæc venerunt super Nabuchodonosor regem*, quæ scilicet ipse priùs narrauerat, sibi in somno ostensa, ac postea re ipsa contigisse. Quo pacto autem contigerint, vel contingere potuerint, graphicè certatur. Nec eadem omnium est sententia.

Dan. 4. 25.

§. IV.

Quibus modis mutari potuerit, vel nõ potuerit Nabuchodonosor?

Quatuor sunt modi, quibus id contingere potuit; 1. vt Nabuchodonosor talis in oculis tantùm aliorum videretur; 2. vt talis sibi duntaxat esse putaretur. 3. vt fera talis reipsa esset. 4. vt partim talis esset, partim talis non esset, qualis ab authoribus perhibetur. Primus modus placuit Michaëli Medinæ, existimauit enim, regis in bestiam conuersionem nequaquam veram, sed phantasticam duntaxat fuisse; quo pacto etiã Apostoli, quando Christum

Michael Medin. lib. 2. de Ede, c. 7.

vide-

viderunt ambulantem supra mare, putauerunt phantasma esse. Eiusceмodi autem phantasma vel à dæmone potest fieri, vel à Deo. A dæmone, per præstigias. Quo sensu comicus ait: Marc. 6. 49.

Glaucomam ob oculos obijciemus, eumq; ita
Faciemus, vt quid viderit, non viderit. Plaut. in milite glor.

Hac arte sagi, & magi, dæmonis auxilio, ita perstringunt falluntq; oculos intuentium, vt præsentes vel non videantur, quemadmodum apud Homerum Vlysses, & apud Virgilium Æneas

Infert se septus nebula (mirabile dictu)
Per medios: miscetq; viris: neque cernitur vlli; Virgil. 1. Æneid.

vel videantur esse picæ, feles, canes, lupi; vnde & lycanthropi vocantur, qui sub figura lupi ouium gregem exagitant, inuadunt, occidunt, & mox in hominis formam reuertuntur. Habemus prô dolor exempla quotidiana in nostris sagis, etiam sub eiusmodi forma sauciatis. Et mentionem facit talis transformationis D. Augustinus; nos autem infra fusiùs. Cùm ergo Deus voluit Nabuchodonosorem humiliare, potuit permittere cæcodæmoni, S. August. l. 18. ciuit. cap. 18.

vt

vt aliquid simile circa eum operaretur. Immò potius potuit ipse Deus, circa corpus regis, quandam bestiæ figuram circumponere, sub qua, ab alijs aspicientibus bestia esse crederetur. Quemadmodum feminam, ad se adductam S. Hilarion curauit: alijs, per magicas artes, iumentum esse apparebat, quæ S. Hilarioni mulier, vti reuera erat, videbatur. Hoc modo potuit & Nabuchodonosor superue:liri, & feræ faciem præ se ferre; non tamen reipsa hoc modo feræ faciem præ se tulit. 1. Quia hoc non est mutari, sed tegi. 2. Quia non ab extrinseco, sed intrinsecus eum mutatũ esse significant illa verba: *Cor eius ab humano commutetur, & cor feræ detur ei.* 3. Quia *fœnum vt bos comedit*, quod non facturus fuisset, si in se ipso mutatus non esset, sed tantùm alijs mutatus apparuisset. 4. Quia commemorantur diserte *capilli eius in similitudinem aquilarum* creuisse, *& vngues eius quasi auium.* 5. Quia ipse de se testatur suo, non aliorum sensu, sanato: *sensus meus reuersus est ad me, & figura mea reuersa est ad me.* Quod non dixisset, si in eo tantùm deceptus esset sensus alienus.

S. Hiero. in vita S. Hilarionis.

Dan. 4. 13.

§. V.

§. V.

Cerebro corruptorum lepida exempla.

Est igitur secundus modus, vt mente cerita, non jam alijs, sed sibi ipse, per imaginationē vitiatam, in feram transformatus crederetur. Hæc sententia videtur S. Thomæ, sed in libro 2. de Regimine, quem Bellarminus alijq; non censent esse S. Thomæ. Habet tamen pro se multa exempla, neque caret ratione. Exempla accumulat Galenus, & post eum Leuinus Lemnius; & Iacobus Bidermannus in Vtopia; quorum nonnulla libet breuiter perstringere, in gratiam hypochondriacorum, id est, quorum præcordia humore melancholico ac flatibus turgent, è quibus morbus iste frequenter talia per imaginationem monstra efficit. *Quidam*, inquit Leuinus Lemnius, *putabat nasum sibi excreuisse in immensum, vt elephantis proboscidem circumferre videretur. Medicus hunc ei morbum & phantasiam hac arte exemit: longum farcimen naribus admouit, arreptaq; nouacula, illud sensim abscidit, ac tandem extimam nasi partem perstrinxit, vt sanguis defluereț; itaq; imaginarium ei nasum auulsit: atque præscripta ei soporifera potione, & salubri diata eum plenè curauit.*

Bellarm. lib de script. Eccles. Leuin. Lemn. lib. 2. de complex.

Quidam aiunt, eum antè comedere noluisse, quàm denasaretur, quòd putasset, viam cibi impeditam esse, naso supra os propendente. Alius existimabat, caput suum aluear esse, ideoque & volebat, fimo bubulo illud circumlini, vt apes tanto libentiùs tutiusque in eo habitarent. Fuit & qui se capite omnino carere arbitraretur, manuque supra verticem ducta illud in vacuo aëre quæritaret. Quidam intestina sua putabat ab inquilinis aquaticis habitari; eaq; saltantibus hinc inde & coaxantibus ranis infestari; donec medicus ei dedit potionē, ac subdito clystere, ranas in subiectam peluim coniecit, quibus visis opinionem illam peruersam posuit, credens, se eam sobolem peperisse. Fuit & qui diceret, se cum Hecuba in canem mutatum esse, eaq; propter identidem baubare solebat, ac prætereuntes allatrare. Quin & ossa, more canum, rodebat. Alius censebat se membra habere vitrea, idcirco rogabat homines, ne ad se accederent propiùs, nec se tangerent, metuebat enim ne frangeretur. Quin aiunt eum opinatum esse, se caligas quoq; habere ex vitro, vnde semper stabat, metuens, ne si sederet, eæ quasi vi-

si vitri fragmenta dissilirent. Fuit & qui imaginaretur, se Cardinalem esse; & rubri pilei epomidisque purpureæ loco, in publicum processurus, supparum capiti injiceret coccineum, vt bardocucullum vel subuculatus gestare videretur. Plura in hanc rem exempla videri possunt apud Bidermannū nostrum. Quæ perspicuè ostendunt, multos dementire, & verò etiam stultos fieri, ob solam vehementem rei alicuius amabilis, vel execrabilis apprehensionem. Enimuerò Seneca testatur Bibium Gallum Romanum, imitando gestus stulti, eos ita phantasiæ impressisse, vt inde reuera stultus euaserit, neque post eum diem indiguerit stultitiæ simulatione.

§. VI.

Mutationem Nabuchodonosoris, non fuisse merè imaginariam.

Itaque tali modo censet S. Thomas, vel quisquis illius libri est author, regem Nabuchodonosorē in feram mutatum. Eiusdem opinationis est etiam Franciscus Valesius, & Hieronymus Mercurialis, qui prorsus existimant, nihil aliud fuisse regis huius metamorphosin, quàm morbum, quem medici melancholiam appellant, quo

Francisc. Valesc. de sacr. Phil. cap. 80. Hieron. Mercur. lib. 6. var. lect. c. 20.

quo qui nimio laborant, insaniunt, & incredenda somniant vigilantes. Imaginantur, se captos, catenis ligatos, gladio subijciendos, strangulandos: jam hoc, jam illo morbo affligi, sæpe etiam mortuos se esse suspicantur. Quippe ni etiam se alia putant esse animalia? asinos aureos, vnde rudere conantur; leones Nemeæos, quare & rugitum tentant; molossos Anglicos; hinc identidem latrant; gallos gallinaceos, atque idcirco latera concutiunt, & diem cantu salutant; lupos famelicos, vnde & greges quærunt; quos sæpe pro hominibus aspiciunt, vt apud Poëtas Aiax, qui sæuijt in gregem porcorum hostes suos esse arbitratus. Eiuscemodi melancholia *canina, lupina, &c.* Latinis, Græcis λυκανθρωπία, Arabibus *cutabut* appellatur. Modus iste non sufficit, & meritò dicitur à Cornelio non adæquatus; quia nullus naturalis morbus figuram hominis mutat; neque temperamentum eius ita efferat, vt per septem annos cibo ferino, & quasi fera cum feris viuat. Neque sanè regi reliquæ in siluis feræ pepercissent, si mutatio ista fuisset in sola illius phantasia, quam non vidissent. Et, esto protegi à Deo, etiam sic

potuis-

potuisset, contra vim aliarum bestiarum, certè neque Daniel, neque ceteri satrapæ eum ex aula in siluas eliminassent, si vidissent nihil in eo, nisi phantasiam corruptã; sed eum domi catenis alligatum, aut conclaui cohibitum custodijssent, donec ad se rediret; sicut & alij insani custodiuntur.

§. VII.

Nabuchodonosorem nec bestiam, nec semibestiam fuisse.

Tertiò igitur quidam Iosepho ascribunt eam sententiam, quasi Nabuchodonosor reipsa ex homine bestia sit factus. Sed neque Iosephus id scribit, neque ratio patitur; si enim tam anima, quàm corpus subijssent eiuscemodi mutationem, non jam ipse *vinculo ferreo & æreo alligatus* fuisset, non ipse *fœnum vt bos comedisset*, non *rore cæli corpus eius infectum* esset; non *capilli eius in similitudinem aquilarum* creuissent, *& vngues eius quasi auium*; sed hæc omnia boui, aut bestiæ accidissent, quæ nihil peccauerat, anima regis annihilata, vel in exilium pulsa, atq; tantisper vagari iussa. Quamobrem Dorotheus & Epiphanius volunt Nabuchodonosorem non totum in feram fuisse commutatum, sed interiùs

Doroth. in synopsi. Epiphan. in vita Danielis.

formam hominis, hoc est, animam immortalem seruasse; exteriùs autem prorsus fuisse aliâ, & quidem bestiæ figurâ indutum; ita scilicet, vt anteriùs figuram bouis, posteriùs leonis referret. Itaque putant, eum taurino capite cornua ventilasse; & jubis ac cauda leonina terribilem extitisse. Fundamentum istorum est, quòd boui leonem addant, tum quia Septuaginta interpretes vertunt, *capillos eius* non *in similitudinem aquilarum*, sed *leonis* creuisse; tum quia dicitur, *cor* non bestiæ, sed *feræ detur ei*; bos verò, licet sit bestia, non tamen est *fera*, leo autem & bestia est, & fera. Quare hi idem de Nabuchodonosore fingunt, quod Poëtæ de Gyge & Minotauro, quos partim fuisse homines, partim boues, canunt. De Gyge

Dan. 4. 30.

Ouid. l. 4. Trist. eleg. 6.

Centimanumq́ Gygen, semibouemq́ virum.

De Minotauro:

Semibouemq́ virum, semiuirumq́ bouem.

Hæc quoque sententia nimium dicit. Nam ex homine, boue, leone triplex monstrum facit. Tametsi enim demus, aliquam veri hominis, immò plures partes posse esse mem-

membra aliarum bestiarum, non tamen concedimus, omnes partes ac membra (præsertim præcipua) posse esse sufficiens animæ rationalis instrumentum, vnde etiam supra docuimus, Satyros, centauros, & similia monstra, siqua sunt, potiora habere hominis. Immo neque Poëta dicit in Gyge, aut Minotauro animam hominis, corpus totum bouis fuisse, sed *Semibouemq; virum, semiuirumq; bouem* vocat; quòd corporis vna pars hominem, altera bouem retulisset. In explicatione porrò somnij Daniel nullam leonis, sed tantùm bouis mentionem facit. Ad *feram* quod attinet, cuius cor dandum regi ait scriptura, notum est, boues non tantùm cicures esse & domesticos, sed etiam agrestes & feros, vti sunt vri & bisontes.

Supra cap. 48.

Dan. 4. v. 29. & 30.

§. VIII.

Quam Nabuchodonosor in anima passus sit mutationem?

Restat igitur quartò media sententia, vt dicamus, Nabuchodonosorem & secundùm animam, & secundùm corpus, non tamen tantum, quantum citati volunt authores, mutatum fuisse. Secundùm animam verè manfit homo; licet humanus ei

sensus, quoad exercitium & sensationem humanam, & vsum rationis fuerit ademtus. Secundùm corpus autem & præcipuas eius partes, etsi manserit homo, tamen ita nonnullæ deformatæ sunt, vt bestia potiùs quàm homo videretur. Quæ singula à nobis declaranda sunt. 1. Nisi enim illi eadem anima mansisset, & idem corpus, non essent vera, quæ de illo narrantur; non fuisset idem, qui peccasset, sed bos pro eo, sicut olim cerua pro Iphigenia, substitutus pœnas dedisset. Nisi etiam idem corpus seruasset, tunc anima humana corpus bouis informasset, neque debita sibi organa habuisset, quod non magis fieri potest, quàm si anima bouis corpus hominis informaret. 2. Dici tamen potest anima mutata, secundùm vitiatam suam imaginationem, secundùm ligatum rationis vsum, secundùm tactus, gustus, & odoratus sensationem. Siquidem cordis & corporis eius temperamentum ita immutatum efferatumq; est, vt esset simile feræ bestiæ, quantum fieri potuit, citra humanitatis, siue naturæ humanæ amissionem. Certè si *fœnum vt bos comedit*, stomachus aliam habere vim concoquendi debuit; aliam vim palatus,

Dan. 4. 30. seq.

vt ei

vtei fœnum saperet; aliam odoratus, vt pro nidore culinæ graminis fragrantiam sequeretur; aliam etiam tactus; vt non sentiret frigora & æstus, rorem cæli super se cadentem, genibusque incedens non doleret. Denique emota mente, rationis vsum amisit; eiusque loco vtebatur phantasia, eaque & ipsa corrupta, & velut ferina, qualis est vri, vt fœnum, vt societatem ferarum, vt loca sola, & saltus reconditos appeteret; quemadmodum exoticè melancholici è domo se proijciunt, & sepulchra quærunt, & libenter versantur cum cadaueribus. Ita enim etiam, apud Homerum quispiam vt dolori mentis, & tristitiæ animi vacaret, lucos auios & solitudines captabat; **Homer. Iliad. l. 3.**

Nam miser in siluis mœrens errabat opacis,
Per campos solus latos, perque auia rura,
Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans.

Ita quondam fertur Atys in Phrygium nemus delatus, cuius vel fabulam, vel superstitionem exagitat Arnobius. Is enim & ipse in dementiam datus fuit, **Arnob. lib. 5.**

Adijtque opaca siluis redimita loca Deæ.

Catull. de Aty LXIV.

Stimulatus vbi furenti rabie, vagus animi;
Veluti iuuenca vitans indomita iugi,

aut *dominos, vt herifugæ*

Famuli solent, ad Idæ tetulit nemora pedem,
Vt apud niuem, & ferarum gelida stabula foret,
Et earum omnia adiret furibundus latibula.
Vbi viridis algida Idæ niue amicta loca coluit,
Vbi cerua siluicultrix, vbi aper nemori uagus.
Vbi cuncta mugienti fremitu loca retonant.

Sic & Nabuchodonosor *demens fugit in nemora fera.*

Atque hoc est, quod dicitur: *Cor fera detur ei;* nempe priuetur sensu humano, qui facit vt homo sit animal ciuile, & hominum amet societatem; fiat amens, insaniat, videatur sibi non esse ampliùs homo, sed bestia, sed fera, sed vrus, vt in saltus ac nemora exeat. Siquidem *cor*, in diuinis litteris idem est, quod mens & intellectus, item quod appetitus & voluntas. Quod enim

cor

cor est in corpore, hoc ratio & voluntas est in anima & toto homine. Cùm igitur bestiæ nec mentem habeant, nec voluntatem, vice mentis habent imaginationem, quæ eas earumque actus regit; & loco voluntatis, habent appetitū ferinum. Quando ergo dicitur, *cor feræ detur ei;* idem est, ac si diceretur phantasia feræ detur ei, & appetitus ferinus. Quo pacto etiam magni peccatores fiunt *sicut equus & mulus, quibus non est intellectus,* tantùm enim imaginantur sibi, appetuntque ea, quæ sub sensum cadunt. Ita pleraque Nabuchodonosoris cogitatio erat de fœno & pastu, hoc noctes & dies appetebat ferè vnum, quod sensui blandiebatur. Dixi, pleraque cogitatio, quia valde verosimiliter aliqui censent, eum quædam lucida mentis interualla habuisse, sicut multi insanorum. Ita enim pristinæ dignitatis amissio eum magis afflixit, si cognouit, quod amisit. Ita & potuit errorem suum agnoscere, ac retractare; iuxta illud, *donec scias, quòd dominetur excelsus,* hoc est, donec ex tua pœna Deum vindicem agnoscas, & ad eum atque ad teipsum redeas. Hæc in anima passus est, quæ tamen

Psal. 31. 9.

Dan. 4. 22.

tamen non animam in se, sed in vsu actuq; duntaxat potentiarum attigerunt.

§. IX.

Quam in corpore mutationem passus sit Nabuchodonosor?

In corpore autem sanè mutationes plures sustinuit. Nam 1. cùm dicitur, *cor ferę detur ei,* potest cor propriè sumi; quia cordis, & per cor totius corporis complexio fuit in Nabuchodonosore commutata; ita vt ex humano ferinum fieret temperamentum. Quod si sanguis alimenti naturam sequitur; ex fœno, quem chilū stomachus; ex chilo, quem sanguinem hepar, ex hoc tali sanguine, quos spiritus, vel vitales, vel animales cor potuit in reliquum corpus deriuare? Hinc pænè totus fuit efferatus. 2. Ob hanc caussam etiam externus corporis habitus magis fuit ferinus, quàm humanus; nullum igitur cultum admisit; vestes omnes, more insanorum, lacerauit & abiecit. 3. Quia semper nudus incessit, soli, æstibus, rori, frigori, niuibus, pluuijs, omnibusq; cæli iniurijs, vt fera, obnoxius mirificè fuit vstus, denigratus, & deturpatus. 4. Sed præcipua fuit faciei mutatio; cilia & supercilia non solliculis, sed corni-

cornibus paria. 5. Genæ nullæ apparebant, neque frons cernebatur, vix ipsi oculi, vix nasus eminuit è pilosо vultu. 6. Labia herbam carpentia in rostrum indurue-runt. 7. Vngues & barba & capilli (qui nisi etiam ijs, qui integris sunt sensibus, sæpe resecentur, solent turpiter, ac ferinum in modum crescere,) ita fuerant aucti, vt barba quidem ad terram dependens humum verreret, capilli autem totum ferè corpus tandem velut palla contegerent; vngues verò adeò longi densatiq; fuerant, vt vngues referrent vulturum, aut aquilarum. Apud Danielem, c. 4. v. 30. dicitur, *capillos eius in similitudinem aquilarum creuisse*, pro *aquilarum*, Septuaginta habent, *leonum*. Vnde S. Epiphanius & Dorotheus putauerunt, regem in leonẽ transformatũ. Sed Latina versio & Chaldaica habent, *aquilarum*, hoc est, vt in Chaldæo textu legitur, *donec pili eius multiplicarentur, instar aquilarum*. Quare, sicut Nabuchodonosor incessu & forma boui similis erat, ita pili eius aquilæ comparantur, ob copiam & densitatẽ; itemque ob colorem. Sicut enim pili aquilæ, plerumq; sunt admodũ nigri; ita & regis

nigri

nigri erant, ex copia melancholiæ, quæ crassissimã fuliginẽ exhalat ; ex qua pili hi generabantur. Poterant etiã pili eius aquilinis æquiparari, ob prolixitatẽ & formã; vt enim cristæ in capite aquilæ prolixiùs excrescunt, eriguntur, crispæq; & horridæ, & minaces existunt;ita, & regis huius pili,instar rapacis auis,vndiq; assurgebant, vt vel erinacius videri posset. 8. Quamquã etiam cutis ipsa vrsi aut elephanti corio similis dura erat, & ferina, crassissimisq; comis horripilabat; immò pili setas ipsas referebant, quia *à copiosissima fuligine crassissimæ melancholiæ oriebantur*, inquit etiam Valesius. 9. Ad hæc ipse incessus & figura, erat bestiæ, non hominis. Neque enim os sublime ferebat, aut cælũ tuebatur, vt erectos ad sidera vultus tolleret, quemadmodũ homo, & bipes ; sed curuatus, pronus & cernuus, manibus pedibusque reptabat, quemadmodũ bestia & quadrupes, & Anthapathitæ, qui instar quadrupedũ incedunt. 10. Idcirco manus, quibus repserat, & genua quibus nixus erat, ita induruerunt, adeoque incalluerunt, vt bouinis vngulis,aut calcibus equinis ambulare videretur. 11. *Addunt aliqui,*

qui, ait Cornelius à Lapide, *regis huius genuum vertebras inuersas fuisse, ita vt extrorsum quadrupedum more prominerent; idq; vt pari cum bobus celeritate curreret, & inæqualia loca transiliret: nam si genua eius introrsum humano modo plicata fuissent, fuisset ipse ad talem motum & saltum ineptus. Hæc opinio videtur congrua & probabilis. Nam hic situs ad incedendum, more quadrupedum, est naturalis, & pene necessarius ad hoc, vt talis incessus continuari, diuq; durare possit, vt patet experienti*, & docent populi singularis velocitatis, quos Gellius lib. 9. c. 4. refert vestigia pedũ habere retro porrecta, non vt ceterorum hominũ prospectantia. 12. Bouina Nabuchodonosori cornua, existimant nonnulli, pictorũ licentia & priuilegio appingi; sed, quamuis de his nihil certi dici queat; non est tamen incredibile, ei aliqualia cornua adnasci potuisse, temperamento humano in ferinũ commutato; cùm non solùm in fabulis legamus Actæones cornutos, sed id etiam factitatũ in historijs reperiamus; vt taceam, *faciem* Moysis *cornutam* apparuisse, quippe quia illa cornua alterius fuerunt rationis, radijs circũ caput honorifica luce emicantibus. Exod. 34. 29.

Illud

Illud tamē hinc dubiū existit, num & dentes superiores amiserit Nabuchodonosor, quorū materia in cornua missa sit, quæ subierunt. Factum & hoc esse credibile est; ita enim, more boum, fœnum potuit cōmodiùs carpere ac ruminare. 13. Quidā eidem dependulā retro caudam adijciunt, quod etsi necessariū non est, tamen naturæ vim non excedit, talē humano corpori addere appendicem. Cùm id supra docuerimus in alijs de facto contigisse; ac præsertim omnibus illis, qui per ludibrium S. Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi e. quo caudā demessuerunt, vti & vniuersis, qui ab illis postea nati sunt; nati sunt enim cum annato sibi ad imum tergum muscario; vt ipsi portarent, quod equo abstulerunt. Quod etsi Deus non sine miraculo fecerit, nihil obstat, cùm multa & hîc miracula interuenerint in ista metamorphosi. Potuit ergo & Nabuchodonosori etiam hunc Deus apponere colophonem, vt vndique more bestiæ ornatus antè iugo ferendo idoneus esset, retrò autem etiam hac dependentia insignis fieret; quam, vt & cornua, extemplo ad Dei nutum, iterum amittere potuit. Idcirco ait: *Figura mea,*

Polydor. Virgil. l. 33. hist. Angli.

Dan. 4. 33.

reuersa

reuersa est ad me. Debuit igitur abijsse vt reuerti posset, hoc est, ex humana ferina facta fuisse, vel similis ferinæ. 14. Etsi fortasse initio, quando cœpit insanire, sicut non statim hirsutus fuit, sed crines & vngues cum tempore creuerunt, ita neq; sermonē illico perdidit, sed paulatim amentia magis magisque dominante, absurdiùs locutus est; tamen videtur tandem cum mentis vsu etiam linguæ vsum adeò perdidisse, vt neque articulatas ampliùs humanasque voces ederet, sed inconditas, ac bestiales, instar bouis mugientis. Siquidem qualis est imaginatio, talis solet esse locutio, seu vox animalis, quod sibi aliquid imaginatur; cùm ergo in Nabuchodonosore imaginatio tandem ferina fuerit, necesse erat & ferinas voces, immo furiales ab eo effundi, tantoq; truculentiores, quia fauces crassiore pabulo rasæ vocem exasperant. 15. Quia enim non solùm cum feris, quasi fera in siluis, versabatur, sed etiam earum victu vtebatur, herbis scilicet ac radicibus vescens, lædebat vtique delicatum priùs guttur ac fauces; quæ cibi cruditate & assiduitate vocis viam laxauerunt. Neque debet hoc ex libris *Incredibi-*

Vide Ludou. Molinam 1. p. q. 111. & Delrium lib. 2. de Magia. q. 18.

lium Palæphati putari; cùm non solùm diuina scriptura dicat, *fœnum vt bos comedit*, sed etiam Aben Esra de homine quodam melancholico affirmet, eum in montes Sardiniæ secessisse, ibique cum ceruis diu herbis victitasse. Quod & sani homines plurimi fecerunt, qui deserto mundi tumultu in eremum secesserunt, & amore cæli solis herbulis, ac radiculis vitam sustentarunt. Immò vixerunt multi rebus, à quibus humana natura longè magis abhorret. Vt enim taceam Argæos pyris silue-stribus, Arcades glandibus, millio Sauromatas, Persas cardamo, nasturcioque in cibum vsos; certè Æthiopes, vti & Ioannes Baptista, locustis vescebantur; Ophiophagi autem serpentibus comedendis; & quædam femina Coloniæ araneis, oculato teste Alberto Magno, & multi hodie, quos ipse vidi, tam araneis, quàm alijs rebus venenatis glutiendis, non minùs quàm olim Mithridates, assueti nihil inde damni senserunt; idque non sicut peculiari Numinis protectione olim Apostoli, & ij qui Apostolis crediderunt, quibus dictum est: *serpentes tollent; & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit*, sed vel quia antidoto muni-

Matth. 3. 4. Marci. 1. 6

Marci. 18. 16.

ti, vel

ti, vel quia consuetudine in naturam transeunte tuti fuerunt. Potuit ergo, quamuis in delitijs antè enutritus rex Babylonis herbis & graminibus vitam conseruare, præsertim cùm talem cibum imaginatione atque appetitu ferino & bouino (hoc enim est *cor feræ*) sibi à Deo in pœnam indito, appeteret. Et talis fuit, per septennium, in corpore Nabuchodonosor.

§. X.

Dei erga Nabuchodonosorem iustitia, quàm clemens fuerit?

Vt autem *diligit misericordiam & judicium* Deus, ita neq; ista regis pœna sine misericordia & clementia fuit. 1. Vixit inter feras ac belluas, tanto tempore, nulla eum lædente, quia imaginatæ sunt, eum ferã esse nouam ac monstrosam, & omnibus alijs vel terribiliorem, vel minùs idoneam, vt deuoraretur; aut certè, quia Angelus illius bestias cohibuit, ne eum inuaderent, ac deartuarent. Quo pacto postea ipse Daniel de se dixit: *Deus meus misit Angelum suum, & concluſit ora leonum, & non nocuerunt mihi.* 2. Quæ maior fuit misericordia, non solùm per somnium præmonuit hunc regem Deus obscurè, quid futurum

Psal. 32. 5.

Daniel. 6. 22.

esset, sed etiam per claram somnij interpretationem à Daniele factam. Per quem etiam illi ostendit modum euadendi hanc calamitatem, dum ei dixit Daniel: *Quamobrem rex, consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum: forsitan ignoscet delictis tuis.* Delentur enim peccata, per pœnitentiam, & actus misericordiæ; & per eleemosynam redimuntur, quippe quia eleemosyna peccatorem disponit ad gratiam & peccati remissionem, quam instar orationis emeretur à Deo impetratque; itemque vbi remissa est culpa, ex condigno quoque meretur reliquæ pœnæ remissionem: denique licet non mereatur semper culpæ & pœnæ æternæ, tamen ferè meretur pœnæ temporalis remissionem, vt Deus plagas suas talibus in hac vita non immittat, vel differat. 3. Quanta clementia fuit? vt pœnitentiam ageret, dedit ei spatium pœnitentiæ; siquidem distulit ad duodecim menses sententiæ suæ in regem latæ executionem; & velut nouam captauit occasionem, impleta mensura peccatorum.

§. XI.

§. XI.

Babylonis magnitudo, superbiæ Nabuchodonosoris caussa, cum aliorum superbia collata.

Itaque *post finem mensium duodecim in aula Babylonis deambulabat: respondit q3 rex & ait: Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, in gloria decoris mei? Cumq3 sermo adhuc esset in ore regis, vox de cælo ruit: Tibi dicitur, Nabuchodonosor rex: Regnum tuum transibit à te, &c. Eadem hora sermo completus est super Nabuchodonosor, &c.* Deus sanctissime, quid audio? Turris Babel, & vrbs Babylon, quæ à Nemrod siue Belo Nini patre condita, à Semiramide aucta fuit, & postea euersa, iterum à Nabuchodonosore restituta & magnificentissimis operibus adornata est; tanta fuit, vt in ambitu murorum stadia 480. excurrerent; muri ipsi 50. cubitos crassi, 200. cubitos alti essent, vrbsque centum æreis portis clauderetur; &, vt Diodorus ait, muri Babylonis adeò lati fuerunt, vt per eos sex currus simul possent procedere. Vtque Aristoteles testatur, tanta fuit Babylon, vt vrbe ab hostibus capta, per triduum incolæ alterius

Dan. 4. 26

Herodot. l. 1.

Diodor. lib. 3.

Aristot. l. lib. 3. Polit. cap. 2.

partis vrbis eam captã esse non sensérint. Quin tanta fuit Babylon, vt inter septem mundi miracula numeraretur. Hanc ergo tantam à se vrbem denuò excitatã deambulans rex, tanquam opus suum aspexit, & admiratus, quod verum erat, dixit: *Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui? cumq; adhuc esset sermo in ore regis, eadem hora,* tam grauiter punitus est. *Super hoc expauit cor meum, & emotum est de loco suo.* Nam quot homines aspiciunt non ciuitatem tam amplam, sed vel vnicam duntaxat domum? quid dico domum? vnicum librum, vnicam imaginem, sæpe vnicum carmen à se concinnatum, & sibi non aliter placent, ac si orbem terrarum condidissent? Habent igitur hinc homines, vnde discant, sibi nõ ipsis plaudere, Quanquã Nabuchodonosor etiam ob monarchiá tumidus, illa: *Nonne hæc est Babylon,* ingenti fastu, & non sine insigni Numinis contemtu, videtur protulisse. Et meminisse debebat somnij sui, ac interpretationis eius, cuius vel oblitus est, vel paruam habuit rationem, eaque propter ad ingenium arrogantiamque pristinam rediuit. Ita nimirum pereunt, qui diuinas monitiones parui

Martial. ep. 1.

Iob. 37. 1.

parui faciunt, & *ad vomitum suum reuertuntur*. Multa præterea alia quoque perpetrauit, ob quæ puniendus erat. Vastauit Arabiam, depopulatus est Moabitas; intrauit Syriam, occupauit Iudæam; qua de caussa eum Ieremias *prædonem gentium*, itemque *latronem*, quin alibi scriptura, ob rapacitatem lupum, leonem ob ferociam, pardum ob celeritatem appellauit; aitque eum vasa domus Domini transtulisse in Babylonem. Quæ omnia vitia cùm jam etiam nostris bellis & multis bellatoribus sint communia, quid aliud merentur, nisi vt paribus supplicijs puniantur? Sed differt eos Deus, si enim in hac vita, ad hunc modum eos plectere vellet, omnes siluæ monstris implerentur. Nimis pulchra est hæc statio pro illis; aliud stabulum paratum est: sicut & pro heroicè pugnantibus aliud cælum. Hinc mirari non debent, si illis bene bellantibus malè est. Æquè magna præmia, ac magna supplicia, in futurum differuntur.

Ierem. 4. 6.
Ierem. 18. 12.
Ezech. 28. 3.

CAPVT XI.

Tertia moralis monſtrorum cauſſa, vt non tam pœna, quàm medicina; diuinorumq; Sacramentorum commendatio, & procuratio virtutis, conſeruatioq; caſtitatis ſint.

§. I.

Monſtroſitatem Nabuchodonoſori profuiſſe, eumq; pœnitentiam egiſſe; non item Pharaonem.

QVod regi Nabuchodonoſori profuit, profuit etiam alijs multis. Monſtroſi fuerunt corpore, vt animo fierent pulchri; aut vt pulchri permanerent. De rege Babylonis, qui ictus dicit ſapere, ipſe rex loquatur. *Nunc igitur ego Nabuchodonoſor laudo, & magnifico, & glorifico regem cæli; quia omnia opera eius vera, & viæ eius judicia, & gradientes in ſuperbia poteſt humiliare.* E qua confeſſione non pauci veroſimiliter colligunt, Nabuchodonoſorem ſeptennali ſua monſtroſitate caſtigatum ſeriò ad Deum verum fuiſſe conuerſum, totoq; corde contritum atque humiliatum; proindeq; etiam iuſtificatum; quin

Dan. 4.34

Ioſeph. Dorothei in Synopſi Epiph. in vita Danielis. Lyran.

quin etiam, cùm non diu superuixerit, saluatum. Dorothei hæc sunt verba: *Cùm* Nabuchodonosor *peccatorum suorum remissionem adeptus esset, dedit Prophetæ regnum suum; & nec panem, nec carnem comedit, nec vinum bibit, Domino confessus. Nam hoc illi Daniel præceperat, vt leguminibus & herba vescens Dominum placaret.* Eadem ferè habet Epiphanius, quæ ostendunt diuersos in diuersis esse flagellorum Dei effectus. Nam Pharao per flagella & prodigia Numinis magis induruit, ac in sua cæcitate mortuus æternùm damnatus est. Hæc sunt disparia judicia Dei, qui *cuius vult, miseretur, & quẽ vult, indurat.* Vterque fuit rex, vterque tumidus & superbus, vterque contemtor Numinis; *in eodem lecto* dormierunt; eodem morbo ægrotarunt; *vnus fuit assumtus, & vnus relictus.* Et, vt tantò magis timeas omnipotentem, cum alio illum rege compara. Salomon à teneris vnguiculis fuerat piè educatus, & religiose vixerat; quin tantæ fuit iustitiæ, quantæ sapientiæ; in senio tamen à mulieribus deprauatus, idola coluit; qua de caussa multi eum esse Orco addictum arbitrantur. Nimirum *qui stat, videat ne cadat.*

Carthus. & vt videtur etiam S Augustin. ep. 122.

Dorothe. in vita Danielis.

Rom. 9. 18.

Matth. 24 40.

1. Cor. 10. 12.

Nabuchodonoſor autem, qui in ſceleribus omnem vitam traduxit, in fine vitæ conuerſus eſt, æternum inter beatos futurus; vt nemo deſperet, aut dicat, actum de ſe eſſe. Ad hoc ex rege hoc monſtrum factum eſt, vt diſceremus, è monſtris homines, immò reges fieri poſſe. Lucroſa eſt metamorphoſis, vbi pœna pœnitentiam operatur.

§. II.

Monſtroſitas vultus occaſio eſt pœnitentiæ agendæ & commendandæ.

Et ſæpe pœna non tam pœna eſt, quàm medicina, & commendatio diuinorum Sacramentorum. *Noui aliquando nobilem & deuotum militem* (ait Ioan. Nider, quem alio loco Boarum nominat, & tanquam ſanctum militem, cui quinque annis ante obitum mors ſua fuit reuelata) *qui vxorem pulchram habuit deceptam occultè pauliſper à quodam adultero, cui ſatis conglutinato amore affecta, & infecta erat. Expertus illud miles maritus prudens, qui animam perditæ vxoris curare volebat, ſecretè vxorem accerſiuit, vultum eius (vt mihi miles retulit) horridum nimis vidit; ei ſanctis & pijs monitionibus contritionem ſuper ſcelere, & pœnitentiæ Sacramentum*

Io. Nider. l. 2. Form. c. 9. & lib. 4. c. 10.

mentum suasit; & per Dei gratiam ad hoc exequendum usque perduxit. Quo facto & sacramentali sumta pœnitentia à sacerdote recedens, casto marito militi visa est pristinam recuperasse faciei speciem totaliter, quam antea sensibiliter perdidisse videbatur. Hæc ille. Ac sanè conscientia sæpenumero per vultum emicat, vt si illa patiatur tempestatem, etiam rugæ in frontem, & nubila in oculos veniant, respondeantque teter vultus, & teter animus. Et vult Deus vel in corpore subinde ostendere animæ deformitatem. Quod si autem pœnitentiæ Sacramentum hanc in corpora vim habet, quantam habebit in animas, quam non in illas reducet venustatem? cùm ex illis tollat peccatum? cùm omnem maculam emaculet? cùm in eam gratiam reducat? cùm charitatem resuscitet? cùm justitiam, omnemque virtutem moralem ei restituat? qui virtutum chorus, est verus nitor, & vera mentium pulchritudo. Mirum est, hominem, vt hominibus placeat, nolle esse vultu monstrosum; &, ne Deo displiceat, non curare animæ suæ monstrositatem.

§. III.

§. III.

Monſtroſus regis Caſſani filius Baptiſmo curatus.

Sicut autem, dum medici morbos curant, morbi viciſſim medicos cõmendant; ita fit in diuinis Sacramentis; dum ſanant prodigia, fiunt prodigioſa. Neque ea vis ſoli eſt Sacramento pœnitentiæ. Baptiſmus quoque vt hôc genere inclareſceret,& morbos fœdos pepulit, & deformitatem,

Thom. Boz tom. 1. de Sign. Eccleſ. l. 1. c. 16. ex Io. Villano. lib. 8. cap. 35. An. 1298.

Anno 1298. Rex Tartarorum Caſſanus, quem Magnũ vocant, cum ducentis equitum millibus Syriam finitimasq́; regiones occupauit. Facta eſt tanti victoris potentia omnibus formidanda. Quare Rex Armeniæ, quamuis Chriſtianus, eius viribus exterritus, non auſus eſt filiam ſuam illi negare, quam in matrimonium popoſcerat, quia pulcherrima eſſe dicebatur. *Illa, poſt aliquod tempus, è viro ſuo Caſſano edidit in lucem partum tantæ deformitatis, vt rex maritus nullo modo illum veluti ſuum voluerit agnoſcere, quòd monſtrum videretur. Vocat ad conſilium primarios: de ipſorum ſententia vxorem veluti adulteram, partum veluti ex adulterio ſuſceptũ vltimo ſupplicio adiudicat.* Quo fugeret innocens mulier, niſi ad innocen-

tiæ defensorem Deum? Itaque deplorata sua infelicitate ad preces sacras se contulit, illi questa iniuriã, cui soli cognita erat iustitia causſæ. A precibus vbi surrexit, ignara consilij, quoúe regente duceretur, saltem rogauit, vt sibi priùs quàm moriendum esſet, liceret sacris vndis abluere eum, quem peperisſet. Annuit rex, deditq; id faciendi potestatẽ; ea tamen lege & conditione, vt adesſent baptismo aliqui fidei spectatæ viri, vnà cum rege, ne qua fraus intercederet. Mira res: quàm primùm baptismo tinctus est puer, adeò repentè venustus formosusq; apparuit, vt rex prodigij magnitudine permotus, cum plurimis satraparum, qui aderant, plebemq; sibi subiectam post se traxerant, manus nomenque Deo dederit, maximumque rei Christianæ factum sit incrementum. Quis neget hanc vim baptismo? cùm penetret vsque ad animæ labem abluendã, cur non & corporum menda posſet, Deo iubente, emendare?

§. IV.

Baptismus è porcis præstigiosis homines faciens magnæ conuersionis causſa fuit.

Quod si puer iste non fuit satis monstrosus,

ſtroſus, alia ſuper ſunt & maiora, & quæ, dum baptiſmi virtutem oſtenderunt, magnas Chriſto animas lucrata ſunt. Nam, etſi alij aliter hanc hiſtoriam referant, ſunt tamen etiam qui affirment, Tyridatem Armeniæ regem, imperante Conſtantino, Chriſtum hac occaſione ſecutum. Poſtquam enim variè Chriſtianos vexauit, tempore Diocletiani, viſus eſt ſibi cum multis ſuorum in porcum mutari. Agnoſcebantur præſtigiæ & ſpectra, ſed nulla erat ars, quæ ab eis regem cum ſuis liberaret. Solus Gregorius Thaumaturgus eum cum ſuis aſſeclis, aquis baptiſmi priſtinæ figuræ & moribus reſtituit. Quo ſigno moti Armeni longè lateq; Chriſti cultum amplexi ſunt. Nicephorus ſic rem narrat: *Cùm Gregorius ille, qui miraculis edendis clarus fuit, multa à Teritate propter Chriſtum paſſus, & poſt multas variasq; malorum ſpecies, ad quatuordecim annos, foueæ cœnoſæ & caliginoſæ incluſus eſſet, Teritates ipſe eius gentis princeps, cum domo ſua tota, & cum optimatibus diuinæ iræ vindictam eſt expertus. Ad vitam enim ſimul & formam porcorum redacti ſeipſos deuorabant. Ceterùm ex foueâ illa extractus D. Gregorius, uno ſigno omnibus*

Niceph. l. 8. hiſt. Eccl. c. 35. Sozom. l. 2. c. 7. Bozius t. 2. l. 1. c. 16.

bus Christum colere persuasit: & suilla forma atq; vita liberatos, institutum nostrum complecti coëgit, delubra eis construxit, sacra arcani & mystici sacrificij celebrauit, & nouis miraculis dæmones ex ea regione exturbauit. Sunt qui Gregorium vnà cum Teridate ad Imperatorem magnum Constantinum veniſſe tradunt, eumq; tam miranda & inopinata audientem magnopere lætatum esſe, & Gregorium ipsum totius eius regionis episcopum ordinatum eò misisse. Æthiopem lauare posse aquam illam, quæ è porcis homines fecit, quis dubitet? Hoc nimirum est inter Mundum & Deum discrimen; Circe ex hominibus porcos, Christus è porcis homines fecit, hoc est, è porcis, humanos & homine dignos mores esse iussit. Quare & ipse Teritates tum demum verè esse homo cœpit, cùm monstrum esse desijt.

§. V.

Baptismo leprosi curati.

Quoniam autem suprà leprosos quoque, inter monstra numerauimus, quibus nihil est immundius, dicendum nunc est, hoc etiam pacto multos fuisse monstrosos, vt Deus palam faceret, quanta sit baptismi vis ad animam mundandam, si potuit

à cor-

4. Reg. 5. à corpore lepram abſtergere. Nam quemadmodum olim Naaman ad Iordanem miſſus & gentiliſmi errorem ex animo, & lepræ fœditatem ex cute exterminauit; ita multi poſtquam ſacro ſe fonte tingi paſſi ſunt, etiam corpore eſſe luridi deſierunt. Sic S. Gaugericus Epiſcopus Cameracenſis obuium peccatorem lepra punitum, vbi meliora doctum ablegauit ad ſacerdotem baptiſmo imbuendum, duplici morbo curauit. Vnà enim & interioris, & exterioris hominis ſquallor ablutus eſt. Sic Arnulphus Metenſis epiſcopus mendicum victum & amictum petentē, cùm lepra eſſet coopertus, etiam ſanitate donauit, quando eum, ſacra vnda, qua nondum erat luſtratus, perfudit. Quæ illuſtria ſunt documenta, morbos aliquando immitti, vt medicus ametur, cuius tam ſalutaris eſt medicina.

Sur. 11. Auguſti. Io. Molan in Natalib. SS. Belgij.

Sur. 16. Auguſti.

§. VI.

Conſtantinus Imp. baptiſmo à lepra liberatus.

Zonaras. t. 3. Nicephor. l. 7. hiſt. Eccl. c. 33. Baron. An. 324. Verùm nihil illuſtrius poteſt eſſe, quàm quod de Conſtantino Magno fertur, eum vtique non alia de cauſſa fœdo lepræ morbo contaminatum, quàm vt à Chriſti medicina, etiam animæ pharmacum acciperet.

ret. Ad quod illi profuit innata pietas. Medicis enim balneũ crudelitatis præscribentibus, dicentibusq́; , sanguinem cæsorum infantium præsens huic malo esse remedium; auersatus hanc immanitatem, maluit ipse ægrotare, quã alios sui sanandi causſa occidi. Quare dignus fuit, vt de cælo manus medica illi porrigeretur. Operæ pretium est, historiam ab alijs quidem compluribus perstrictam, sicut à S. Hadriano Pont. in epist. ad Constantinum & Irenen Augustos missa, & secundo Concilio Nicæno intexta narratur, huc apponere. *Cùm aliquando Constantinus Imperator per noctem somnum caperet, ecce B. Apostoli Petrus & Paulus dormienti astiterunt dicentes: Quandoquidem sanguinis effusionem horruisti, missi sumus à Christo IESV Domino, dare tibi sanitatis recuperandæ consilium: audi ergo monita nostra, & fac omnia quæcunq; indicabimus tibi. Siluester Episcopus ciuitatis Romanæ, ad montem Soracte persecutiones tuas fugiens, in cauernis petrarum cum suis clericis latitat. Hunc cùm ad te adduxeris, ipse tibi piscinam ostendet, in quam dum tertiò merserit, omnis te valetudo deseret leprę. Quod dum factum fuerit, hanc*

Sur. in vita S. Siluestri. 30. Decemb.

viciſſitudinem Saluatori tuo compenſa, vt omnes, iuſſu tuo per orbem totum Romanum Eccleſiæ reſtaurentur: tu autem purifica te, vt relicta omni ſuperſtitione idolorũ, tu Deum vnum, qui verus & ſolus eſt, adores, & excolas, & ad eius voluntatem te dirigas. Exurgens itaq; à ſomno Imperator ſtatim conuocat eos, qui obſeruabant palatium & ſecundùm tenorem ſomnij ſui mittit ad montem Soracte, vbi Siluester erat. Profectus inde Siluester peruenit ad regem, ad quem ingreſſus, inquit: Pax tibi & victoria tibi de Cælo miniſtretur. Quem cùm rex alacri animo & vultu ſuſcepiſſet, omnia illi, quæ facta, quæq; ſibi reuelata fuerant, exponit. Inde percunctatus eſt quinam iſti eſſent dij, Petrus & Paulus, qui illum viſitaſſent ob cauſſam ſalutis ſuæ, & eius latebras detexiſſent? Siluester reſpondit: Hi quidem Dij non ſunt, ſed idonei ſerui Chriſti, & Apoſtoli electi ab eo, & miſſi ad inuitationem Gentium, vt credentes ſalutem conſequantur. Cumq; ille hæc diceret, interrogare cœpit Auguſtus, vtrumnam ipſos Apoſtolos haberet aliqua imago expreſſos, vt ex pictura diſceret, quos reuelatio docuerat. Tunc S. Siluester miſſo diacono imaginem Apoſtolorum ſibi exhiberi præcepit. Quam Imperator aſpiciens in-

genti

genti clamore cœpit dicere, ipsos esse, quos viderat: nec debere iam differre Spiritum sanctum ostensionem piscinæ, quam istos promisisse suæ saluti memorabat. Constructo itaq; lauacro, Constantinus, cùm sacro rore tinctus esset, confestim est sanitati pristinæ restitutus. Deinde non immemor accepti beneficij, ecclesias Dei exædificare cœpit, columnas earum passim saeris imaginibus in memoriam incarnationis Domini nostri IESV Christi, omniumq; Sanctorum reuerentiam exornauit: nec alia de causa, quàm vt Christianismum in lucem & veritatem, DEIq; cultum proueheret, & omnes gentes à cultu Idolorum & diabolica deceptione conuerteret. Constantinus inde, vt gratiam tanti beneficij Siluestro referret, edictum, quod nunc 6. Cal. Aprilis datum legitur, scripsit, in quo hac historia enarrata, adijcit, se ad referendam gratiam Siluestrum omnibus ad amplitudinem & dignitatem Apostolicæ sedis ornandam insignibus decorare, atque eundem & Successores eius ipso insuper occidente donare. Tantum per lepram effecit mundi Gubernator; qua si caruisset, nunquam balneum Constantinus popoſciſſet. Ita & corpori Imperatoris suum decus, & animæ nitor, & baptismo nomen, & Chri-

ſto gloria, Eccleſiæ denique ingens emolumentum, per imperatorij morbi ſqualorem, acceſſit. Nullus Chiron, nulla Podalirij manus tam fuit felix, vt non ſolùm morbos, ſed etiam morbis ſanaret.

§. VII.

Monſtrum à Baptiſmo abhorrens.

Nec Baptiſmum honorauit tantùm monſtroſitas in eo ſanata, ſed ipſa etiam monſtra à Baptiſmo abhorrentia atq; refugientia. Vt enim veſpertiliones lucem oderunt, ita ſacra iſta profani ſpiritus execrantur. Anno 1554. Stetini natus eſt infans, cuius vertici capitis inſedit maſſa carnis, imaginẽ teſtudinis rufæ præ ſe ferens. In ceruice, muris inſtar, caudam tulit carnoſam, ſed albeſcentem, ſine pilis. Capite erat Therſitico, extantibus terribiliter oculis. Hic tam notatus infans cùm portaretur ad Baptiſmum, mirabili corporis gyratione, horrendis vociferationibus, geſtibusq; in hac ætate inauditis, denique diriſſimis modis aduerſatus eſt baptizatoro, vt ingens omnibus aſtantibus terror incuteretur. Quid aliud voluit hoc monſtrum, quàm cælum & orcum inter ſe pugnare? *Quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniqui-*

Iac. Fincelius de mirac. noſtri temporis, & Schenck. obſeruat. 16.

2. Cor. 6. 14.

iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi ad Belial? Vos quoque, peccatores, monstra estis; si vultis sanari, ecce præsens est in Sacramentis diuinis medicina: sin pertinacia placet, nolite sacra profani contaminare.

§. VIII.

Etiam Confirmationis Sacramento monstra curata esse.

In hanc rem si velimus animum intendere, plurifariam talia contigerunt, vt etiam ceteris diuinis Sacramentis authoritas adderetur. Sicut enim, quando *præteriens IESVS vidit hominem cæcum à natiuitate: & interrogauerunt eum discipuli eius. Rabbi, quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus nasceretur? Respondit IESVS: Neq; hic peccauit, neque parentes eius: sed vt manifestentur opera Dei in illo:* ita & sæpe aliàs euenit. Notissimus ibat per Sueciam puer, quem itidem mater cæcum pepererat. Hunc S. Rembertus secundus Bremensis Ecclesiæ Archiepiscopus, in Sueciam profectus, pontificali ritu, sacro chrismate inunxerat; & quem cæcum tetigit, vngendo reddidit videntem. Quo prodigio vnà & puerum, & regnum illuminauit. Ad eundem

Ioan. 9. 1.

Surius 4. Feb.

Surſus 28. Octob.

modum etiam Faro Meldenſis Epiſcopus populum curata cæcitate ad fidem formauit. Cùm enim ſacro chriſmate promiſcuã plebem confirmaret, adductus eſt, inter confertam multitudinem, etiam cæcus puer, quàm primùm chriſmate vnctus eſt, lumen cæli, quod nunquam antea viderat, iucundiſſimè aſpexit. Itaque geminum ex hoc ſacramento fructum reportauit, in animo gratiam, in oculo ſanitatem. Quod ſignum cùm in noſtrum documentum factum ſit, mirum eſt, tam multos vſque in ſeram ætatem differre huius doni ſuſceptionem; immò aliquos tam infrequenter id conferre.

§. IX.

Euchariſtiæ deſiderio monſtroſa virgo ſanata.

Plura, ex huiuſmodi corporum deformitate, aut vitijs, commoda proueniſſe, etiam in SS. Euchariſtiæ laudes, oſtendunt qui peruigiles libros lucubrauerunt. Inter quos Ioannes Nider pius pariter & pererraditus ſcriptor refert, paulo priùs, quàm Coloniam miſſus eſſet, ad litteras addiſcendas, fuiſſe inibi, intra ciuitatem, duas inſignes virgines, eadem matre & mente na-

Ioan. Nider. lib. 2. Formicarij c. 7.

tas,

tas, vnanimes, in vna eademque domo degentes, & sponso Christo virginitatē consecrantes; contentas victum tenuem manuum labore quæritare. Ita ad incuriam vsq; corporis grassatur cura castitatis. Sed præ omnibus epulis illis erat suaue epulum Eucharistiæ. Harum vnam, cælestis sponsus primore aspectu, duriter, postea tamen amabili euentu probauit. Cùm enim diuini pabuli desiderio ingenti teneretur, atque ad id etiam magna animi pietate soleret accedere, tanquam indigna repulsa est, in hunc modum. In morbū cecidit, eumq; ita grauem, ac tantopere inualescentem, vt neruis, quibus labia & mandibulæ solent moueri, se contrahentibus, etiam adhibito totius corporis conatu, os diducere ad cibum sumendum non posset. Enimuerò ea erat contracti oris vis ac pertinacia, vt labia, etiam liquido iusculo sumendo vel vix, vel etiam penitus, cochleari, aut argenteo instrumento non possent aperiri. Adeò mandibula superior inferiori tenaciter cohærebat, vt concreuisse viderentur. Erat itaque non mirabilis duntaxat, sed etiam miserabilis virginis huius aspectus. Siquidem arctissima conducti oris com-

preſſio trucem, & dira minantem vultum efficiebat. In hunc modum affectam virginem non tam ſollicitabat cibi ſumendi cupiditas, quàm timor, ne ſacratiſſimum Chriſti viaticũ omittere cogeretur. Cuius ſumendi deſiderium tantò ampliùs creſcebat, quantò ſe videbat morti viciniorem, quantoque credebat, illud magis neceſſarium ingreſſuræ iter æternitatis. Negabant omnes, qui eam aſpexerant, fieri poſſe, vt ſacratum hunc panem ſumeret, quæ etiam coctæ gallinæ liquorem ſorbere nequibat. Vt tamen ſatis fieret tam ardenter cupienti cuicuimodi poſſet, vocatus eſt ſacerdos, qui ei de peccatis confeſſæ, venerabile ſacramentum ſub oculos exhiberet adorandum; vt, quod re ipſa atque ore ſumere non poterat, ſaltem fide, deſiderioque manducaret. Adfuit myſta, qui poſtquam eam à peccatis abſoluit, dominicum quoq; corpus, ab ea venerandum, manu dextera eleuauit. Mira vis, & eximia virtus Euchariſtiæ! ſtatim vt eã Sponſa Chriſti conſpexit, præter omnem ſpem & opinionem, animaduertit ſibi vires redijſſe in corpus, internoque animæ inſtinctu impulſa, os reſerauit, accepitque in omniũ oculis, quę

tantis

tantis votis desiderauit. Quod miraculũ omnes inflammauit præsentes ad illum laudibus extollendum, qui non solùm mutorum ora soluit in loquelam, sed etiam labia aperuit, ad cælestem cibum capiendum.

§. X.

Virgo castitatis amore deuenusta.

Matrimonij Sacramentum venerabile est, ideoque & ipsum paulo priùs ostendimus illustratum, per mœchæ monstrosam faciem, pœnitentiamque, formâ iterum in integrum restitutâ. Quia tamen voluntariæ virginitatis status perfectior, Deoque acceptior est, ideò Deus multos voluit potiùs esse non pulchros, quàm non castos; quin & ipsi nonnulli pij sanctique homines deformes fieri maluerunt, vt virgines permanerent. *Soror Angela de Trinitate, Carmelitana, filia Mareschalli de Brisach, cùm ob formã aliaq; naturæ dona a magnis proceribus in matrimonium expeteretur, faciem aqua imbutam soli exposuit, vt decus formæ deperiret, & procorum oculis minus arrideret. In conuictu etiam nobilium fatuam se tardamq; simulauit, proposito suo nulli, quã sibi, perspecto.* O quàm sapiens fuit hæc stul-

Paulus de Barrij in solitud. Hagiophilæ. 5. die medit. 2. differt. pomerid.

titia ſimulata! Olim Dauid, vt mortem euaderet, vitamque ſuam conſeruaret, *immutauit os ſuum coram* hoſtibus, *& collabebatur inter manus eorum, & impingebat in oſtia portæ, defluebantq; ſaliuæ eius in barbam:* hæc, quia erat vna de numero prudentum, maluit videri fatua, quàm placere alijs oculis, niſi Chriſti. Vnde mentis quæſiuit, non frontis venuſtatem, vt verè dicere poſſet, *nigra ſum, ſed formoſa.* Multæ aliæ, dum genas pingunt, dum fuco illitæ iuuenibus fucum faciunt, Deo nauſeam creant, vt eas ſinat labi in mille fœditates. Quemadmodum olim, quando *venit Iehu in Iezrael, Iezabel, introitu eius audito, depinxit oculos ſuos ſtibio, & ornauit caput ſuum, & reſpexit per feneſtram ingredientem per portam.* Quid hoc ſuo ornatu Circe iſta retulit? quid illi facies picta dedit? juſſa per feneſtram in plateas præcipitari, canibuſque obiecta, eſt deuorata; ita iſtæ pigmentis maculatæ, à Deo proijciuntur, & non rarò illis ipſis, quibus ſe ornant, reddunt faſtidiendas. Quis enim ceruſſatas amat? quis non odit fucum & fumum deſtructores oculorum? Sapienter igitur ſe ſe ſoli expoſuit colorandam An-

1. Reg. 21. 13.

Cant. 1. 5.

4. Reg. 9. 30.

gela

gela de Trinitate, quia sic effugit & principes, & opera tenebrarum. Non enim tantùm fugit matrimonium, sed multa alia, quæ solent eiuscemodi formis contingere. Pellem mutauit, ne mutaret virtutem. Æthiopissa facta est, vt animi seruaret candorem. Aliæ etiam plus impenderunt, cùm viderent periculosè simul stare venustatem corporis, & mentis integritatem. Vates fuit, qui dixit:

Sed te decor iste, quod optas,
Esse vetat, votoq; tuo tua forma repugnat.

Ouid. l. 1. Metam.

§. XI.

Virginitatem vt seruarent SS. puellæ oculos perdiderunt.

Quid oculis charius esse solet? castis virginitas. S. Brigida, inter totius Scotiæ puellas facilè omnium pulcherrima, & hoc ipso à multis ambita, à Christianis parentibus filio suo in matrimonium petebatur. Ast illa, quia virginitatem Deo consecrârat, sponsum Christum enixissimè precata est, vt aliquo corporis vitio illam deuenustaret, quo procantium cupiditas frangeretur. Nihil erat in tanta forma oculis elegantius. Itaque cùm oculorum decore maximè

Sur. tom. 1. Febr. 1.

ximè placuiſſet, alterum ſubito vlcere percuſſum diuinitus amiſit. Antiquis dictum eſt: *oculum pro oculo.* Hæc virgo, ne Chriſtum perderet, oculum perdidit. Quid dico perdidit? ingenti lucro mutauit. Siquidem ipſe Chriſtus oculus illius fuit: cui luſca tantò viſa eſt formoſior, quantò alij magis ab ea poſtea abhorruerunt. Viciſti, puella, ipſa deformitate felix:

Exod. 21. 24. Matth. 5. 38.

Non tua virginitas auibus libata ſiniſtris,
Nec tua ab humana eſt zona recincta manu.

Verè illud Seruatoris didiciſti: *ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & proijce abs te.* Quod conſilium etiam ſecuta eſt altera illa admiranda, non imitanda Virgo, de qua Ioannes Moſchus hæc habet: *Quidam vir fidelis narrauit nobis, cùm in Alexandria eſſemus, tale quiddam. Sanctimonialis (inquit) quædam ſedebat in domo ſuâ vitam ſolitariam ducens: ſalutiſq; ſuæ valde ſolicita, jeiunijs ac vigilijs vacabat iugiter, multasq; faciebat eleemoſynas. Sed bonorum omnium ſemper inuidus diabolus tantas in virgine virtutes non ferens contrà illam pulcherem excitauit. Immiſit enim cuidam adoleſcenti*

Matth. 5. 29.

Euiratus in prat. Spirit. cap. 60.

scenti turpem de illa, diabolicamq; cupidinem. Manebat autem extra limen eius adolescens. Cùm ergo Virgo illa domo sua vellet egredi, atq; ad ecclesiam orationis gratia accurrere, ingerebat se illius oculis improbus & impurus adolescens, nec illam egredi sinebat, amatoria quadam verba procacibus nutibus illi insusurrans, adeò vt jam præ nimiâ molestia cogeretur virgo domo sua nusquã progredi. Die igitur quadam misit ancillam suam virgo ad illum, vt ei diceret: Veni, vocat te Domina mea. Abijt ergo ad illam gaudens & stuprum committere gestiens. Sanctimonialis sedebat in cubili suo. Ingresso igitur adolescenti ait: Sede. Cumq; sedisset, dic oro te, frater, inquit illa, cur ita mihi molestus es, nec permittis me domo mea egredi? Respondit adolescens: verè, Domina, te multùm amo, & quando te inspicio, totus in tui concupiscentiam inflammor. Quæ ait ad illum: quidnam in me pulchrum vidisti, quia sic amas me? ait adolescens: oculos tuos: ipsi enim seduxerunt me. Virgo verò vt audiuit, quia oculi eius illum seduxissent, sumpto gladio mox oculos eruit. Hoc autem cùm vidisset adolescens, eruisse scilicet sibi Virginem oculos, compunctus corde abijt in Scitim, ibiq; sæculo renuncians effectus est probatissimus monachus.

chus. Quis non dicat hoc eſſe monſtrum? ſed monſtrum feliciſſimum. Nemo enim vnquam vel cæcum ducem ſapientiore consilio eſt ſecutus, quàm iſte iuuenis; vel ſe maiore lucro exoculauit, quàm hæc virgo. Duobus enim his oculis duæ animæ ſunt ſeruatæ, virginis & iuuenis. Sed monui iam ſuprà, quædam Sanctorum facta plus habere admirationis, quàm imitationis. Hinc ſaltem diſcere licet, quàm homini ſæpe forma inutilis ſit ad pudicitiam tutandam.

Iuuenal. Satyr. 10.

Formam optat modico pueris, maiore puellis
Murmure, cùm Veneris fanum videt anxia mater.
Sed vetat optari faciem Lucretia, qualem
Ipſa habuit: cuperet Rutilæ Virginia gibbum
Accipere, atque ſuam Rutilæ dare: filius autem
Corporis egregij miſeros trepidoſq; parentes
Semper habet. Rara eſt adeò concordia formæ
Atque pudicitiæ.

§. XII.

§. XII.

Virginitatis seruandæ causſa, ſpontaneo vulnere denaſatæ.

Scio, neminem eſſe ſuorum membrorũ dominum, neque conceſſum hominibus, vt ſeipſos mutilent, dominus eſt tamen membrorum noſtrorum Deus, qui condidit nos. Illius igitur authoritate atq; inſtinctu multa fecerunt ſancti miranda potiùs quàm imitanda. Inter quæ & iſtud eſt, ex quo perſpicuè cernimus, virtutis amantes pulchritudinem longè prætuliſſe corporis venuſtati. Quod Deum feciſſe clarum eſt in exemplo S. Brigidæ, cui ipſe oculum ademit, ne virginitatis decus adimeretur. Quamquam etiam plures ſint, quæ peculiari Numinis impulſu, vt animæ ſeruarent integritatem, corpus deformarunt. S. Ebba (cuius mentionem facit Venerabilis Beda, vbi miranda deſcribit eius, quæ illi ſucceſſit, Abbatiſſæ) Ethelfridi regis generoſa filia, Antiſtitam agebat in Collinghamenſi cœnobio, ſollicitaq; erat admodũm, ne vel ipſa, vel alia illi concredita ouicula contaminaretur. Probè enim ſciebat mores militum. Danis igitur ſe ſe in Angliam cum exercitu infundentibus, Beda l. 4. hiſt. Anglor. c. 19.

nec

nec procul inde omnia vaſtantibus, totum virginum ſuarum cœtum in vnum locum conuocauit. Ibi eas huiuſcemodi verbis eſt allocuta. Chariſſimæ ſorores, & in Chriſto filiæ, haud ignoratis, in hoc regnum noſtrum ſæuos & impios Gentiles, hoſtem crudelem irrupiſſe; qui omnia peruadit, neque mortalium vlli parcit; non immunes ſunt ab eius tyrannide mulieres, non tuti infantes; loca ſacra æque ac profana contemerat; neque templorum, neque hominum Deo dicatorum vllam habet rationē. Ædes pariter ac virgines ſanctas violat. Denique quidquid offendit, perdit. Periculum audiſtis, etiam præſidium accipite. Si enim meo conſilio vultis auſcultare, ſpero, penitusq; confido vos mecum, diuina adiuuante gratia, tyrannidem nobis imminentem euaſuras, virginitatemq;, quā Deo vouiſtis, æternùm conſeruaturas. Facilè conſenſerunt omnes, quod iam dudū ſtatuerant. Cùm itaque vna voce reſpondiſſent, ſe conſilium & exemplum illius ſecuturas, Abbatiſſa prima, in conſpectu omninium nouaculam arripuit, & quaſi de Mutij Scæuolæ gente eſſet, ipſa ſibi naſum à ſummo, vnà cum ſuperiore labro

abſci-

abscidit, dentesq; fœdum in modum retexit. Hoc exemplum ceteræ omnes imitatæ, se ipsas pariter denasauerunt. Erat tunc miserabilis & verè monstrosus earum aspectus; qui superuenientes hostes ita deterruit, vt nullam omnium cuperent attaminare. Quas igitur venerant violatas occisuri, intactas, in suaue Numinis holocaustum vnà cum monasterio concremârunt, ipsi naso suspensi, quia nimium nasuti prædam malè odorati fuerunt. Horrentur alioqui monstra, has sine naribus ac labris virgines monstrosas factas, Deus tanto magis amauit, tamquam ipsa monstrositate decoratas.

§. XIII.

Linguam potiùs quàm virginitatem amittens martyr.

Ad hanc classem pertinet Ascetes ille, qui *castitatem & virtutes alias pijs studijs sedulò meditans æquali decertauit agone. Is cùm expugnari omnino non potuisset, nullamq; aduersarijs vincendi spem reliquisset, post innumera tormenta, in lecto vinculis ligatus reponitur: & mulier impudica ad eum immittitur, quæ illum complectens, exosculans, manusq; petulanter ad membra secreta adhibens, pro-* Nicephl. l. 2. hist. Eccl. c. 13.

cacissimè ad rem illicitam, nihil prorsus lasciuiæ, & illecebrarum prætermittens, concitat. Iste aliud, quod faceret, non habens, linguam ipse suam morsu conciſam, dentibusq; comminutam in faciem meretricis expuit. Quare sibi ipsi quidem pro voluptate acres dolores, impudicæ autem illi probrum atq; stuporem, cum acerbitate, tam vehementibus illis illecebrarũ insultationibus superior, conciliauit. Et sicuti in certamine pudicitiæ aduersus eam victor fuit, ita paulo pòst vitam martyrij sigillo confirmauit. Nimirum qui didicit vulneratus vincere, meritò triumphauit moriendo; & mortuus est, vt triumpharet. Pergite, qui castitati cauetis, virtutem hanc adumbrare; si non fas est vobis linguam præmordere, licet tamen vobis cum Paulo corpus castigare, & flagellis sæuire in terga, & ibi quoque erubescere. Veneris faces, quæ vino accenduntur, sanguine extinguuntur. Nemo se hîc excuset, nemo inermem putet ad pugnandum pro castitate. Hic iuuenis vinctus, cùm alia omnia deessent, telum in ore reperit, quod impudicæ Thaidi in faciem iacularetur. Nimirum hæc oratio illius fuit;

Graues

Grauent catenæ corpus, & longa fame Senec. in
Mors protrahatur lenta, non vincet fi- Hercule
dem fur.
Vis vlla nostram: moriar, ô Numen,
tuus.

§. XIV.

Mulier muta, ne esset maledica.

Quid de lingua amissa sanctus queratur? si hæc taceat, omnibus membris potest Christum prædicare. Et scimus, multos elingues, ipso Cicerone disertiùs diuina vi fuisse locutos. Ita si tyrannus membro exempto monstrū voluit facere, Deus monstrum prodigio condecorauit. Quanquam omnino digni sunt hoc plectro, qui eo nôrunt in diuinas laudes vti. Illi autem, quibus hæc in ore caro mille parit infernos, dum lingua Deum blasphemant, dum homines impetunt, dum viperas agunt, *quorum os maledictione plenum est*, magni meritò beneficij loco habere debent, si linguam amittunt, aut velut capistro iniecto eam sentiunt impediri. Vincentius clarum inter Patres Dominicanos sidus, & ob tot tamque illustria prodigia meritò miraculosus Prædicator, aliquando Valentiæ, in solenni D. Ioannis Baptistæ Petr. Ranz. Panorm. in vita eius. l. 3. cap. 1.

feſto die, ad populum, in publica concione dicebat. Dum verba faceret, per confertam multitudinem, in medium adducta eſt mulier muta, quæ in omni vita ſua nunquam fari quiuerat. Animaduerſa fide eorum, qui fæminam adduxerant, cœpto orationis argumento pauſam interiecit Vincentius; oculiſque aliquamdiu in cælum eleuatis, poſtea ad mulierem conuerſus mutam interrogauit: *Quid vis filia?* Illa extemporali prodigio reſpondit: *Panem volo, & officium linguæ.* Attonitis omnibus, ait Vincentius: *Panem quidem quotidianum, quàm diu vixeris, habebis: officium verò linguæ non poteris impetrare: pro futura enim vtilitate tua Deus voluit te tali beneficio priuare. Si enim loquendi vſum habuiſſes, tanta fuiſſet linguæ tuæ mordacitas, vt vitam corporis & animæ perdidiſſes. Meritò ergò Deum magnificare non ceſſes; & caue ne ab eo vlteriùs petas, quod non immeritò denegabit.* Ad hæc mulier denuò clarè articulateque reſpondit: *Faciam, quod hortaris*; & cum dicto confeſtim rurſus obmutuit. Obmutuerunt ſtupore & alij qui aderant, & aliquantum ad ſilentium admiratione redacti tacuerunt, præſertim illi, qui eam adduxe-

duxerant; postea laude & gratijs Deo dictis, adductam domum reduxerunt; vbi postquam septem annis superuixit, mortẽ piè religioseque obijt, ipso vitæ exitu testata, meliùs sibi fuisse, loqui non potuisse, quàm malè esse locuturam. Quod etiam aliæ lingulacæ & blateratrices fæminæ optare deberent. Minùs enim deforme est, defectu corporis, quàm virtutis laborare. Quamuis & malus spiritus linguam subinde vinctam teneat, ne Deum laudet. Hinc *ejecto dæmonio locutus est mutus.* Itaque & tacere aliquando malum est, & loqui bonum; aliquando autem satius, non posse loqui, quàm nimis loqui; vt & silentium, & eloquium à Deo, vel diabolo possit prouenire. Matth. 9. 33.

§ XV.

S. Liberata obtenta à Deo barba virginitatem defendit.

Quemadmodum autem grande beneficium fuit huic mulieri, linguæ vsu fuisse, destitutam, ita & aliæ piæ feminæ, vt pudicitiam tuerentur, ipsam formæ suæ destructionem, tanquam beneficium, à Deo petierunt. Adeò quod monstrosum est Mundo, pulchrum est Deo. S. Liberata, Martyrolog. Roman. Mo-

Ian. ad Vſuard. & Abbas Anhuſan. in Stemmat. Chriſti. 20. Iulij poſt Bartholom. Riccium in triumphal. Chriſti crucifixi.

alioqui Wilgefortis, apud Belgas Ontkommera, Germanis Onkummernuß dicta, Regis Portugalliæ filia, clam Chriſtiana neſcio parente, omnium totius regni formoſiſſima habebatur, quam ſpeciem vnà cum virginitate Chriſto addixit. Sed non defuit generoſæ menti tentator, vt virtutem etiam pugna redderet illuſtriorem. Abierat è mortali vita mater eius. Pater qui ſine vxore nolebat viuere, cùm ſponſam circumſpiceret, nullam potuit hac filiâ ſuâ vel nobiliorem, vel venuſtiorem reperire, quæ videbatur ex omnibus gratijs compoſita. Ethnicus igitur homo nihili faciens reuerentiam ſanguinis, eam in coniugium expetijt. Liberata exhorruit petitionem inceſtam, potiuſque millies mori maluit, quàm conſentire in nuptias tam inauſpicatas. Quid, inquiebat, pater meus Oedipum aget? ego eadem & filia, & vxor illi ero; filij autem mei, ſi quos genuero, fratres mei vocabuntur? Abſint à me tales nuptiæ. Quæ nullas volo, etiam acceptabo inhoneſtas? Quàm infandus hic eſſet Hymenæus? An non

Pronuba Tiſiphone thalamis vlularet in iſtis?

Et

Et caneret mœstum denia carmen auis?

Primùm precibus agens,

Da mihi perpetua genitor charissime, dixit
Virginitate frui, dedit hoc pater antè Dianæ.

Postea etiam grauioribus verbis tedas iugales execrata est. Vidisses contrarios vtrinque motus. Quantum filia à tali connubio abhorrebat, tantum impurus parens ambiebat, cuius desiderium ipsa negatione incendebatur. Itaque in eo res erat, vt filiam quantumuis matrimonium detrectantem, regia potestate adigeret ad nuptias adornandas. Quò fugeret innocens virgo; iubente patre, cogente rege, nisi ad eum, qui est rex regum, & naturæ Dominus? Illum ergo contentissimis precibus orauit, vt id, quod patri maximè esset illecebrosum, & caussa tam infandæ petitionis, in se mutaret, formamq; illicem insigniter deuenustaret. Audijt hoc votum Deus, atque vna nocte ita eam vehementer deformauit, vt die altero viri, non feminæ ampliùs speciem præ se ferret. Barba enim hispida, & prolixa mentum illius genasq; contexit vndique, verum hoc omni-

bus & ſubitum monſtrum videbatur. Parens ita demutatam nec pro femina, nec pro filia agnouit, ſed, quòd comperiſſet, eſſe Chriſtianam, diris eam tormentis ſubiectam, tandem in crucem clauis affixam crudeliſſimè interemit; hoc ipſo poſtea, in toto terrarum orbe celebratam, quia barbata virgo mori maluit, quàm incæſto coniugio fœdari.

§. XVI.

Galla vidua amore caſtitatis barbata.

Tanta eſt Numinis prouidentia, tanta Conditoris cura, vt Chriſtus verè dixerit: *Veſtri capilli capitis omnes numerati ſunt*; & quidem ita numerati, vt alibi addiderit: *Et capillus de capite veſtro non peribit.* Quod ſi capillus de capite non cadit, ſine prouidentia Dei, multò minùs ſine eadem prouidentia illi accedet. Numinis igitur & ſapientia & bonitas eſt, etiam fœminæ barba, ſub qua tutò caſtitas poteſt latere, quæ vtique plus pulchritudinis habet, quàm vlla etiam in hoc ſexu barba monſtroſitatis. Quare etiam in hunc numerum apponenda eſt Romana illa vidua, de qua D. Gregorius ita ſcribit: *Gothorum temporibus Galla huius vrbis nobiliſſima puella Symmachi con-*

Matth. 10. 30. Luc. 21. 18.

S. Greg. lib. 4. dialog. c. 13.

chi Consulis ac Patricij filia, intra adolescentiæ tempora marito tradita, in vnius anni spatio, eius est morte viduata, quam dum feruente Mundi copia ad iterandum thalamũ & opes, & ætas vocaret, elegit magis spiritualibus nuptijs copulari Deo, in quibus à luctu incipitur, sed ad æterna gaudia peruenitur, quàm carnalibus nuptijs subijci, quæ à lætitia semper incipiunt, & ad finem cum luctu tendunt. Huic verò cùm valde ignea corporis consperſio ineſſet, cœperunt medici dicere: quia nisi ad amplexus viriles rediret, calore nimio contra naturã barbam esset habitura. Quod ita quoq; pòst factum est. Sed sancta mulier nihil exteriùs deformitatis timuit, quæ interiùs sponsi cælestis speciem amauit: nec verita est, si hoc in illa fœdaretur, quod à cœlesti sponso in ea non amaretur. Mox ergo vt eius maritus defunctus est, abiecto sæculari habitu, ad omnipotentis Dei seruitium se se apud B. Petri Apostoli Ecclesiam monasterio tradidit, ibiq; multis annis simplicitati cordis atque orationi dedita larga indigentibus eleemosynarum opera impendit. Cumq; omnipotens Deus perennem iam mercedem reddere eius laboribus decreuisset, cancri vlcere in mamilla percussa est. Nocturno autem tempore ante lectum eius

Vide de hac cad. Fulgentium in ep. ad Gallam.

duo candelabra lucere conſueuerant, quia videlicet amica lucis non ſolùm ſpirituales, ſed & corporales tenebras odio habebat. Quæ dum nocte quadam ex hac eadem iaceret infirmitate fatigata, vidit B. Petrum Apoſtolum inter vtraque candelabra ante ſuum lectum conſtitiſſe. Nec perterrita timuit, ſed ex amore ſumens audaciam exultauit, eiq; dixit: quid eſt domine mi, dimiſſa ſunt mihi peccata mea? cui ille benigniſsimi, vt eſt, vultus, inclinato capite annuit, dicens: dimiſſa, Veni. Ita igitur ad cæleſtia regna viam inuenit Galla, quæ maluit eſſe barbata, quàm maritata.

§. XVII.

Aliæ virgines morbis deformatæ, ne virginitatis iacturam paterentur.

Capitis hucuſque & mamillæ defectus vtiles extitiſſe oſtendimus, in alijs etiam totius corporis vitium morbuſque virtuti profuit. *Angadriſina virgo, in Gallia, Lothario regnante, fuit, quæ cùm à parentibus Ausberto Principi viro, qui poſtea Rothomagenſem Eccleſiam erexit, inuita deſponſaretur, multis cum lachrymis Dominum obſecrauit, ne ſuam pollui virginitatem pateretur. Moxq; lepræ morbo totum corpus occupante, ob fœditatem intacta dimittitur; &,*

Sur. to. 1. in vita eius.

ne in

ne in incerto esset, cur id mali ei accidisset, continuò sana euasit. Quæ vnquam femina opportuniùs ægrotauit? quæ pulchriùs monstrum mundo exhibuit? Nisi velis heroidem illam, illud patientiæ prodigium illi anteponere. *Virgo fuit Lydvvina, domo Hollanda, patriæ suæ decus immortale, quæ ne virginitatem perderet, formæ decus, quod in ea summum, petijt sibi auferri ab eo, qui facilis esse solet ad istiusmodi virginum votum. Sed & morbus addidit, ne proco alicui volupe esset, morborum conflugem in vnius corpusculi angustijs hospitantem cum sponsa domum ducere. Ideaq; mansit in domo paterna, vbi videre erat adolescentulã membrorum omnium officio orbatam, manibus, genibusq;, monstri instar, reptantem, & nunc trunco, nunc scabello per domus angulos se promouentẽ.* Sed alius sibi locus postulat morborum numerum & genera, quæ hanc virginem, sideris instar micantem, deuastauerunt. Hîc satis est, ostendisse, quibus monilibus Deus sponsas suas exornet, vt seruet. Quod etiam de S. Petronilla quidam memorauerunt, deformata corpore, ne animo deuenustaretur.

Maxim. Sandæus in schola affectuũ pior. dec. 8. n. 3. ex Surio.

§. XVIII.

Virgo in vrsæ speciem mutata, ne violaretur.

Si,

Si, quod Salomon in Canticis Canticorum fecit, vt nuptias amoremq; ſpiritualem, ac ſupernaturalem animæ noſtræ ſponſum, nuptijs, amoreq; & ſponſis naturalibus exprimeret, idem mihi fas eſſet, diceremChriſtum in hiſtoria ſanctiſſimè feciſſe, quod in fabulis Poëtæ finxerunt ab iniqua Iunone impiè factitatum, cùm Caliſto vitium paſſa, in vrſam eſt mutata. Chriſtus aliam non violatam mutauit; ſed ne violaretur, ſub vrſi forma ſeruauit illibatam. Res digna eſt ſtilo, quam pererueditus Theologus meritò in exemplum virgineæ conſtantiæ recenſuit, atque in veritatis teſtimonium ſibi notam eam virginem affirmauit, *Claram re, nomine, & opere.* Hæc ea forma atq; ætate fuit, quam in vrbe certatim adoleſcentes ambiuiſſent; vt ergo vitam caſtam Deo dedita ducere poſſet, rure maluit, atque in vili villula degerè, quàm in ciuitate, atque inter iuuenes quotidie periclitari. Inuidit Orcus hunc illi locum, quare de portu eam conatus eſt in procellas retrahere. Ad quod conſilium duo ſubſidia adhibuit, & quòd nubilis eſſet ſcilicet, & quòd paupercula. Terræ igitur illius dominus vi conatus eſt illam

Ioan. Nider. lib. 2. Form. cap. 10.

illam in matrimonium dare ſeruo ſuo, vt ex eo matrimonio mancipia adipiſceretur. Duo ſunt modi, quibus iſti tales vtuntur, blanditię & minæ. Blanditijs priùs vti placuit. Sed quia eas omnes forti pectore reiecit puella, ad minas animum conuertit dominus, qui, (cùm illa Spartana generoſitate reſpondiſſet: *Ingenua, ſcio, ſum corpore, ſicut omnis parentela mea teſtatur: idcirco libera caſtimoniam elegi, quam abſit vt Deo ſubtraham, & tradam homini,*) in iram exarſit. Vtq; ſuperbi ſolent, qui nihil ſibi ſine contemtu negari arbitrantur, vi agendum ratus; vt quod illecebris non poterat obtinere, minis terroribusq; impetraret, more tyrannorum. Verùm quia generoſas animas minæ minùs percellunt, quàm inſidioſæ blanditiæ, denuò illa dixit, ſe minas non morari, neque verò etiam cruciatus, ſi mille aſtarent carnifices cum omnibus ſuis tormentis, nunquam tamen ſe in nuptias conſenſuram. Extitit hinc magnũ certamen inter virginis conſtantiam, & pertinaciam domini. Seruilis vitæ & conditionis ruſticus ſeligitur, ei coniugium Claræ deſtinatur, ſi pati inuitam cogeret, quod facere voluntaria nolebat. In hanc

rem

rem turris aperitur, reis cuſtodiendis ac furibus aſſeruandis alioqui deſtinata. In eam ambo deducuntur, compinguntur, includuntur. Ibi fuit virtutis & flagitij palæſtra. Sed fortior fuit virtus. Illico enim inuicta virgo in angulum carceris ſe recepit, è quo tutiùs pugnatura, fronti, ori, pectori crucis figuram impreſſit, inuocataq; diuina ope, iuuenem allocuta

Antea, ait, moriar, quàm ſit tibi copia noſtri.

Video enim quouſque tu, & dominus tuus tendatis. Violentia vti ſi voles, violentè peribis. Elige de duobus vnum; aut mihi non appropinqua, meque intactam relinque; aut ſi me inuaſeris, quando aliter me defendere non poſſum, occidam te, manibuſque feminæ diceris interemtus. Erat enim Clara hæc robuſto corpore, & viribus valida, caſtitatisq; amore ardens. Vix hæc dixerat, cùm repentè alia fieri viſa eſt, figuramque amittere qua iuueni placebat. Siquidem

Ouid. l. 2. Metam.

Brachia cœperunt nigris horreſcere villis,
Curuariq; manus, & aduncos creſcere in vngues,
Officioq; pedum fungi, laudataq; quondã

Ora

Ora viris, *lato fieri deformia rictu.*
vox iracunda minaxq́,
Plenaq́, terroris rauco de gutture fertur.

Hoc prodigio perterrefactus rusticus horrendum in modum cœpit vociferari, magnisque clamoribus dicere, ad eos, qui pro foribus stabant: *Aperite, quaso, carceres, aperite, vrsam, non coniugem mihi dedistis.* Accurritur. referantur fores. exilit infelix nuptus. virgo pristino schemate, humanaq; facie astat, & gaudet se vrsam potiùs egisse, quàm lupam; quæ dimissa è turri, postea sine interpellatione Deo seruire permissa est. Fratrem itaque iuuenem, & multas alias virgines ad idem virginitatis consilium attraxit, docuitque in paupertate & castitate superis parem vitam agitare. Et quia audierat, gratius esse Deo, si virginitatem voto stabiliret, quinquagenaria demum votum castitatis, coronidis loco, anteactæ in tot meritis vitæ adiecit. I nunc, & dic monstra in mundo non esse debere, quæ diuinæ prouidentiæ sapientiam bonitatemque tantopere commendant. Quamuis enim ordinem naturæ mutare videantur, tamen Numinis ordinem non inuertunt. Rectè igitur D. Augustinus S. Augustin. lib.

Medit. cap. 29. stinus Deum ita laudat: *Qui omnem creaturam tuam absque indigentia aliqua possides, & sine labore gubernas, & absque tædio regis, & nihil est, quod perturbet ordinem imperij tui, vel in summis, vel in imis.*

CAPVT XII.

Quarta monstrorum caussa diabolus se transfiguraus, vt probet, terreat, puniat, & suam deformitatem detegat.

§. I.

Variæ Dei, variæ diaboli caussæ ob quas monstra inducunt.

CAussam dixi, ob quam Deus benignissimè voluerit virginem, instar vrsæ apparere: hac enim forma perterritus est lupus, qui oui insidiabatur. Quo pacto autem, in vrsæ specie virgo fuerit tecta, non puto esse disputandum. Sunt enim Deo multi modi, quibus id fieri potuit. Benefecit, quocunque demum fecit modo; dum texit, protexit. Malus dæmon, simia Dei, producit & ipse monstra, Deo vel jubente, vel permittente; sed longè alio fine. Id enim Deus facit, vt potentiam

tiam suam ostendat, vt prodigijs sua & sacramentorum vis innotescat; vt succurrat sanctis; vt virtutes defendat; vt moneat; vt emendet; vt clementer puniendo sanet; ad quas res etiam dæmones, tanquam iræ suæ instrumenta, adhibet; immò etiam ob vtilitatem proborum, quorum per dæmones virtutē exercet. Ab alio fine monstrificus est Orcus. Nam nefarius Spiritus idem cùm facit, vel terrere vult, vel torquere, vel prodere, vel fallere, vel, quod non inuitus facit, punire & perdere. Quas ob caussas plurima sanè Acherontica monstra legimus, iustissimo Numinis iudicio, nequissimo dæmonis consilio, hominibus sæpè apparuisse, vel certè alia prodigia Stygijs artibus procurata. Modi sunt varij, quibus hic se Proteus sistit contuendū; quibusque vera, vel ficta monstra oculis fascinatorum, aut non fascinatorum obijcit. Siquidem & ipse vt formidabile monstrum se repræsentat; & eos, quos in possessionem accepit, monstris similes reddit; & denique in veris vel apparentibus monstris variorum animalium fabricandis laborat. Quæ tria genera ordine percurremus, vt videas non jam Ianum geminum,

seu Quirinum, seu Consiuium, seu Iunonium, seu Curiatium dicere posse:

Nomina ridebis, modò namq; Patulcius idem,
Et modò pacifico Clusius ore vocor:

sed multò magis talem nominum & formarum varietatem Auernalibus polypis conuenire.

§. II.

Diaboli atra forma apparentes.

Pet. Binsfeld. in tract. de Confess. malefi. cor. prælud. 12. Vide Cęl. Rhodig. l. 16. Lect. antiq. c. 5. Matth. 4.

In primis, igitur quia ipse Spiritus, tanquam abortiuus, è cælo cecidit, atque ex Genio pulcherrimo, in deformem admodum draconem est mutatus; de iusto peccator, de capace beatitudinis damnatus, ex angelo diabolus; idcirco vt vel hinc homines vitia abominentur, cogitur plerumque talis apparere, qualis est, hoc est, monstrosus; tametsi subinde etiam se in Angelum lucis sinatur transfigurare. Hinc varios horribilesque prodigiosarum belluarum vultus induit, vt olim Iobum tentaret; vt alios vel in vrbe, vel in solitudine commorantes diuexaret. Et quanquam nescitur, quo schemate Christum sit allocutus, facilè tamen cogitatur fuisse tale, ex quo bestia illa noscceretur. Quin etiá, quando

quando formam humanam mentiuntur maligni Spiritus, plerumque alijs sunt proceriores, vel exiliores, vel etiam nani, gibbosi, naso longo, & digno Dunstani forcipe, pedibus caprinis, dentibus aprinis; capite cornuto, vngula fissa, Æthiopico vultu. Ita notus ille Chrysorius, *ad extremũ veniens, eadem hora, qua iam de corpore erat exiturus, apertis oculis vidit, teterrimos viros, & nigerimos Spiritus coram se assistere, & vehementer imminere, vt ad inferni claustra eum raperent.* Ille superbiæ, ille auaritiæ, ille luxuriæ finis erat, quem luculentè describit D. Gregorius, inducijs carentem. Ita quinquennis ille blasphemulus *malignos ad se veniisse Spiritus trementibus oculis puer aspiciens, cœpit clamare: obsta pater, obsta. Qui clamans declinauit faciem, vt se ab eis, in sinu patris absconderet. Quem cùm ille trementem requireret, quid videret? Puer adiunxit, dicens: Mauri homines venerunt, qui me tollere volunt.* Iustissimè. quamuis enim tu filius fueris albæ gallinæ, oratio tamen tua & virulenta lingua Genios non meruit candidiores. Atra quoque Æthiopis imagine visus est alastor Brunoni Episcopo Herbipolensi, sedens in saxo Danubij.

S. Greg. lib. 4. dial. cap. 38.

S. Greg. lib. 4. dial. c. 18.

Auentin. lib. 5. Annal. Boiorum.

bij, non procul à Greinone, ibi, vbi vorticosum barathrum aquam contorquet, naueſque hiatu maximo haurit atque absorbet, nisi remis pro viribus incumbatur. Quod contigit, cùm Episcopus Cæsarem comitaretur, secundo Danubio in Austriâ descendentem. Fugauit hoc monstrum, & insidias eius, signo crucis sacer Antistes, quod vtique Cæsari malum struebat inter vortices, quibus intorta nauis obliqua ageretur, & pessum iret. Sed vicit Æthiopem candor Episcopi ostendens quàm vtile sit pios habere in comitatu. Anno Christi 1578. celebris illa saga Ioanna Haruilleria confessa est magistratui, *se diabolo (qui specie hominis atri apparebat staturam humanam excedentis, atrisq; vestibus induti) inde à duodecimo suæ ætatis anno fuisse oblatam à matre.* Cur atro diabolo? vt vel inde cognosceret puella, se malo domino tradi, & idcirco resiliret. Nota est memorabilis illa Athenodori Philosophi historia, cui vigilanti consimile visum obuenit infesti idoli obambulantis humana macilenta specie, procera, squalida, catenis vincta, quod in ædibus propter allatas à maligno spiritu molestias, jam diu desertis, indicauit

Ioan. Bodin. Præf. in Dæmonomā.

Plin. l. 7. epist. 27.

uit locum, vbi inuenta sunt ossa inserta catenis & implicita, quæ corpus æuo terraque putrefactum nuda & exesa reliquerat vinculis. Sed de hac vmbra dubitari potest, animáne fuerit, an Genius malus. Valerium Maximum audiamus. *Apud Actium,* inquit, *M. Antonij fractis opibus, Cassius Parmensis, qui partes eius secutus fuerat, Athenas confugit: vbi concubia nocte, cùm solicitudinibus & curis mente sopita in lectulo iaceret, existimauit ad se venire hominem ingentis magnitudinis, coloris nigri, squalidum barba, & capillo demisso: interrogatumq;, quisnam esset, respondisse κακοδαίμονα. Perterritus deinde tam tetro visu, & nomine horrendo, seruos inclamauit, sciscitatusq; est, si quidē talis habitus, aut intrantem cubiculum, aut exeuntem vidissent? Quibus affirmantibus, neminem illuc accessisse, iterum quieti, & somno se dedit: atq; eadem animo eius obuersata est species. Itaq; fugato somno, lumen inferri iussit, puerosq; à se discedere vetuit. Inter hanc noctem & suppliciū capitis, quo eum Cæsar affecit, paululum admodum temporis intercessit.* Aduertit Thyræus terriculamenta eiuscemodi nocturna mortes hominum portendere. Hæc nigra orci monstra

Valerius Max. l. 1. c. 7. n. 7.

Pet. Thyræus de locis infestis. p. 1. c. 6.

pleraque sceleratis missa, terrorem iniecerunt, vt exitium suum vel cauerent, vel ad aliorum exemplum in hac vita inciperent; quod sanè Alastores isti subinde, ingratijs suis ac vel inuiti, facere coguntur.

§. III.

Diabolus Mauri specie Dei seruos ab oratione impediens.

Sed ad Christianos redeamus Tartareis monstris, patientiæ causa, vexatos. Refert Ioannes Diaconus, Spiritum quendam habitationem suam habuisse, post absidem oratorij, vbi S. Gregorius Deo laudes consueuerat celebrare; eundemque intempestiuo sæpius incursu S. virum orationi intentũ tumultuosissimè perturbasse: equos ex stabulo eduxisse: duos ex ipsis præcipites egisse: viros religiosos eiusdem cum B. Gregorio professionis; nunc in forma cati vnguibus tentasse lacerare, nunc sub specie Æthiopis lanceâ petiuisse. Adeò infestus est Deo per preces supplicantibus, vt varias artes excogitet, quibus orationes sacras interrumpat. Præsertim autem ijs, qui à turba secedunt, vt secum habitare & cum conscientia sua, aut cum Deo soli agere possint, Christum in solitudi-

Io. Diac. in vita S. Gregorij l. 4. c. 89.

nem

nem sequentes. E qua etiam eos extrahere amat, sicut extraxit illum, quem, D. Gregorio teste, D. Benedictus vidit extrahi. Nam *cùm vir Dei venisset ad monasterium, & constituta hora expleta Psalmodia se se fratres in orationem dedissent, aspexit, quòd monachũ qui in oratione manere non potuit, quidam niger puerulus per vestimenti fimbriam foras traheret, extra oratorium scilicet.* In S. Antonij vita legitur, post varias & atroces pugnas, tandem teterrimum draconẽ in atrum se vertisse Æthiopem. *Cùm* enim *videret se semper ab eius cogitationibus repelli, secundùm quod scriptum est, stridens dentibus & vlulans, qualis est merito, talis apparebat & vultu: puer horridus atque niger, ad eius se genua prouoluens, humana voce flebat dicens: Multos seduxi, plurimos decepi; nunc autem, vt àceteris sanctis, ita & à tuo sum labore superatus.* Fassus est autem se esse spirirum fornicationis. Hoc victo atrocissimè à Tartareis laruis verberatus, cùm stare pedibus non posset, humi prostratus dicebat: *Ecce ego hîc sum Antonius: non fugio vestra certamina, etiamsi maiora faciatis. nullus me separabit à charitate Christi. Psallebatq; dicens: Si consistant aduersus me castra, non timebit*

S. Greg. l. 2. dial. cap. 4.

Sur. 17. Ian.

mebit cor meum. Talia eo dicente, bonorum hostis diabolus admiratus, quòd post tot verbera fuisset ausus reuerti, congregatis canibus suis, & proprio furore se lanians: Videtis, ait, quòd nec spiritu fornicationis, nec corporis doloribus superatus, insuper audacter lacessit nos. Omnia arma corripite, acriùs nobis impugnandus est. Sentiat, sentiat: debet scire, quos prouocet, &c. Sonitus igitur repentinus increpuit, ita vt loco funditus agitato, & parietibus patefactis, multifaria dæmonum exinde turba se effunderet. Nam & bestiarum, & serpentium formas induentes omnem protinus locum repleuêre phantasijs leonum, taurorum, luporum, aspidum, serpentium, scorpionum, nec non & pardorum atq; vrsorum. Et hæc singula secundùm suam fremebant naturam. Rugiebat leo occidere volens: taurus mugitu & cornibus minabatur: serpens sibilo personabat: luporum impetus inhiabat; pardus discolor à tergo, authoris sui calliditates varias indicabat. Truces omnium vultus, & vocis horridæ dirus auditus. Antonius flagellatus atque confossus sentiebat quidem asperiores corporis dolores, sed imperterritus durabat mente perui gili. Et licet gemitum vulnera carnis exprimerent, sensu tamen idem permanens, quasi de

si de inimicis luderet, loquebatur. Si virium aliquid haberetis, sufficeret vnus ad prælium; sed quoniam Domino vos eneruante, frangimini, multitudine tentatis inferre terrores: cùm hoc ipsum infirmitatis indicium sit, quòd irrationabilium induitis formas bestiarum. Rursumq; confidens aiebat: Si quid valetis, si vobis mei potestatem Dominus dedit, ecce præsto sum; deuorate concessum: Si verò non potestis, cur frustra nitimini? Signum enim crucis, & fides ad Dominum, inexpugnabilis nobis murus est. Certant pictores de his monstris inferni penecillo exprimendis. Videtur enim Stygius archipirata omnes copias totamque classem suam, contra vnum hunc Christi heroem conuocasse. Sed nihil effecit, sciuit enim Antonius, se contra laruas pugnare, tantoque fuit clarior eius victoria, quantò plures diuersioresque hostes superauit.

§. IV.

Variarum bestiarum figuræ, in quas se Stygius Vertumnus transfigurat.

Has autem laruas, fumum, fucum, pigmentum, hanc caliginem & fuliginem, quam Acherons omnem, velut in confluge collectam, opposuit Antonio, aliàs

etiam sæpe seorsim induxit in theatrum. Meminit infestæ à Tartaro domus in vita Theodori Sicæorum Archimandritæ, Georgius presbyter, Theodori discipulus, in qua & hominibus, & iumentis plurimum molestiarum afferebant cacodæmones. In illa cùm domestici pranderent, aut cœnarent, lapides in mensas à Spiritibus iaciebantur, & telæ mulierum rumpebantur. Tanta quoque murium & serpentum multitudo domum occupabat; vt præ formidine nemo ingredi auderet. Antiquum hoc est, nam & cum Eua in serpentis exuuijs, rem suam magnam voluit confabulari. Quin & Gertrudi vt præstigias offuciasque faceret, in murem se contraxit; ille vtique Angelus, qui olim vertice cælum
Isa. 14. 14. tangebat, qui dicebat in corde suo: *Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo*; ecce ille Angelus, cuius operimentum fuerat omnis lapis pretiosus, nunc pugnaturus procedit, qua galea, qua lorica indutus? musculi corio. Nonnè hoc est grande monstrum, quod à pulchritudine Angeli, in formam musculi degenerauit? Tanti est tentare, oppugnare, vexare hominem Numini seruientem. Ostensum est

autem

autem huc vsq;, malum Angelum vel in mure, vel in Æthiope atrum apparere, vt memores illius: *Hic niger est, hunc tu, Romane, caueto*, eum fugiamus. Aliquando tamē assurgit, seq; ostentat grandiorem. Fundum Barbilianū, ob flagitiosam incolarum vitam, assiduè vehementerq; infestans, in forma ferocientis tauri, nunc oues insectabatur & fatigabat; nunc gregum atq; armentorum custodibus graues molestias afferebat, adeò, vt etiam quidam ipsorum, ob eas intemperies Furiasq; solum mutare coacti sint. Huic tauro alio lanione opus non fuit, quàm qui sacris armis vteretur. Adfuit igitur S. Gregorius, qui *Litaniarum & aquæ lustralis* præsidio eū profligauit. Misera bestia, sis magna licet, magnum tamen inuenisti antagonistam, cùm Gregorium inuenisti. Meruerant quidem fundi incolæ, non iam æripides Martis boues, quibus ararent, sed igniuomum talem Plutonis taurum; at prævaluit sanctissimi Pontificis virtus sacris armis contra profanissimum spiritum vtentis; vt & nos disceremus modum Auerni monstra fugandi. Piè ergo & sapienter agunt, qui non solùm Litanijs Diuos inuocant, in-

Io. Diac. in vita S. Greg. lib. 4. c. 93.

in fundorum & domorum suarum custodiam, sed etiam aquam lustralem & hominum cubiculis, & iumentorum stabulis vbique appendunt; asperguntque, cuius affusionem non potest pati spiritus ille, qui ad ignes est damnatus, authoratusque. Quid ni autem Vertumnus iste de tauro in equum, aut centaurum; & rursum de gigante in pygmæum mutetur? Ingrediamur in fodinas metallicas. An non ibi Spiritus Annebergicus operarios duodecim viros vno flatu interfecit? Contigit id in specu, qui *Corona Rosaica* appellatur, estq; argenti diues. Apparuit autem tunc specie equi habentis procerum collum, & truces oculos, ac velut adhinniens, ex immani rictu flatum emisit infernali sulphure venenatum. Nimirum vt non sine cupiditate, ita neque sine discrimine effodiuntur opes, quas natura in viscera terræ abstrusit. Hinc alter Schnebergicus spiritus, nigro cucullo vestitus, qui in fodina Georgiana, operarium è solo sublatum, in superiore loco maximæ illius concauitatis, quondam feracis argenti, non sine inclementi corporis attritu collocauit. In multis alijs fodinis auri, visuntur tripalmares masculi

Munsterus lib. II. Cosmographi. cap. 15. ex Georgio Agricola.

masculi versicoloribus tunicis vestiti, qui velut Gryphes id metallum custodiunt; neque rarò de vicinia audiuntur tanquam malleatores rupem extundentes. Ita neque vllarum pecudum, neque vllorum homulorum forma tam est vilis, in quam gigantes isti non intrent; in muscas, in formicas; in omnes figuras.

§. V.

Acherontici Protei, versipelles ludi.

Quia enim admodum rarum est damnatorum animas, vel ad breue tempus, ex Orco emitti, dæmones earum vice funguntur, in hominibus diuexandis, eamq; in rem varios vultus mentiuntur. Quod credibile est Athenis Athenodoro contigisse de quo memoraui. Clariùs tamen euenit Corinthi in domo Eubatidæ, vt memorat ipse Pythagoricus Arignotus. *Inhabitabilis illa erat* domus, *propter terricula. Quod si quis inhabitasset, expauefactus subitò fugiebat. Deciderat ergo iam, tectumq; rumpebatur. Nullus erat, qui ingredi auderet. Arignotus hæc audiens, incantationibus & carminibus armatus, domum ingreditur, Umbram, si appareat, domo exacturus. Dum tacitus in vastissimo atrio sedens,* Apud Lucian. in Philopseude.

ad

ad lumen legit, adest dæmon squalidus, hirsutus, & tenebris nigrior: tentatq; si qua ratione terreat, & expugnet: & nunc in canem, nunc in taurum, nunc in leonem se vertit. Nihil his omnibus commouetur Arignotus; sed assumto carmine, in quendam domicilij tenebrosum angulum, Spiritum compulit, vbi mox ille disparuit. Manè sumtis ligonibus iussit effodi locum, vbi Spiritum se condentem noctu obseruarat. Inuenitur cadauer hominis defuncti, quod exhumatum, vbi sepulturæ fuit traditum, omnis infestatio domum reliquit. Vides varias figuras dæmonis potestatem habentis ibi, vbi cadauera sunt suorum? Quanquam etiam in pœnam eorum, id permittere diuina Nemesis potuit, qui fortasse inibi locorum innocentē occiderunt; ac ne facinus erumperet, in eadē domo clam sepeliuerunt. Vides dæmonem canem? vides taurum? vides eum, qui *circuit tanquam leo rugiens quærens quem deuoret?*

§. VI.

Diabolus draconis forma descriptus.

Vis etiam videre draconem? Audijt eum saltem allegoricè describi Iob, quem expertus est verberantem. *Ecce Behemoth,* Iob. 40. 41.

quem

quem feci tecum, fœnum quasi bos comedet: fortitudo eius in lumbis eius, & virtus illius in vmbilico ventris eius. Stringit caudam suam, quasi cedrum, nerui testiculorum eius perplexi sunt. Ossa eius velut fistulæ aris, cartilago illius, quasi lamina ferreæ. Quis reuelabit faciem indumenti eius? & in medium oris eius quis intrabit? Portas vultus eius quis aperiet? per gyrum dentium eius formido. Corpus illius quasi scuta fusilia, compactum squamis se prementibus. Vna vni coniungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas. Vna alteri adhærebit, & tenentes se nequaquã separabuntur. Sternutatio eius splendor ignis, & oculi eius vt palpebræ diluculi. De ore eius lampades procedunt, sicut tædæ ignis accensæ. De naribus eius procedit fumus, sicut ollæ succensæ atque feruentis. Halitus eius prunas ardere facit, & flamma de ore eius egreditur &c. Eundem alius delineans ait: *Ecce draco magnus, rufus, habens capita septem, & cornua decem: & in capitibus eius diademata septem: & cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cæli.* Vnde meritò dictum est, apud Iob: *Stringit caudam suam, quasi cedrum.* Quippeni? cùm ille dæmon, quem S. Antonij imperio expulit ab adolescente S. Paulus Simplex,

Iob. 41. 4.

Apoc. 12. 3.

Pallad. in hist. Lausiac. sect. 35.

Simplex, mutatus sit *in maximum draconẽ circiter septuaginta cubitorum, recedens in mare rubrum.* Alius *Theodorus nomine puer fuit*, ait D. Gregorius, *qui in monasterium meum, fratrem suum necessitate magis; quàm voluntate secutus est. Cui nimirum graue erat, si quis de salute sua aliquid loqueretur. Bona enim non solùm facere, sed etiam audire non poterat; nunquam se ad Sanctæ conuersationis habitum venire iurando, irascendo, desidendo testabatur. In hâc autem pestilentia, quæ nuper huius vrbis populum magna ex parte consumpsit, percussus in inguine est perductus ad mortem. Cumq; extremum spiritum ageret, conuenerunt fratres, vt egressum illius orando protegerent. Iam corpus eius ab extremâ parte fuerat præmortuum; in solo tantùm pectore vitalis adhuc calor anhelabat. Cuncti autem fratres cœperunt tantò pro eo enixiùs orare, quantò eum iam videbant sub celeritate discedere. Tunc repentè cœpit eisdem fratribus assistentibus clamare, atq; cum magnis vocibus orationes eorum interrumpere, dicens: recedite, recedite. Ecce Draconi ad deuorandum datus sum, qui propter vestrã præsentiã deuorare me non potest. Caput meum iam suo ore absorbuit, date locum, vt non me amplius*

S. Greg. l. 4. dial. c. 37.

amplius cruciet, sed faciat, quod facturus est. Si ei ad deuorandum datus sum, quare propter vo- moras patior? Tunc fratres cœperunt ei dicere: quid est, quod loqueris frater? Signum tibi S. Crucis imprime. Respondet ille dicens: Volo me signare, sed non possum: quia squamis huius draconis premor. Cumq; hoc fratres audirent, prostrati in terram cum lachrymis cœperunt pro ereptione illius vehementius orare. Et ecce subitò cœpit ager clamare dicens: Gratias DEO. Draco qui me deuorandum acceperat, fugit, orationibus vestris expulsus stare non potuit. Pro peccatis meis modò intercedite, quia conuerti paratus sum, & sæcularem vitam funditus relinquere. Homo ergo, qui, sicut iam dictum est, ab extrema corporis parte fuerat præmortuus, reseruatus ad vitam toto corde ad Deum conuersus est. Hæc D. Gregorius, qui mox sequenti capite aliud terribilius exemplum subiungit his veris: *Est etiam nunc apud nos Athanasius ex Isauria presbyter, qui in diebus suis Iconij, rem terribilem narrat euenisse. Ibi namque, vt ait, quoddam monasteriũ Thongolatom dicitur, in quo quidam monachus magnæ æstimationis habebatur. Bonis quippe eernebatur moribus, atque in omni actione sua*

Idem c. 38. eiusd. lib.

compositus, sed sicut ex fine res patuit, longè aliter, quàm apparebat, fuit. Nam cùm ieiunare se cum fratribus demonstraret, occultè manducare consueuerat. Quod eius vitium fratres omnino nesciebant. Sed corporis superueniente molestia, ad vitæ extrema perductus est. Qui cùm esset in fine, fratres ad se omnes, qui monasterio inerant, congregari fecit. At illi tali, vt putabant, viro moriente, magnum quid ac delectabile se ab eo audire crediderant. Quibus ipse afflictus & tremens compulsus est prodere, cui hosti traditus cogebatur exire. Nam dixit: Quando me vobiscum credebatis ieiunare, occultè comedebam, & ecce nunc ad deuorandum draconi traditus sum, qui cauda sua mea genua pedesq; colligauit: caput verò suum intra os meum mittens, spiritum meum ebibens extrahit. Quibus dictis statim defunctus est, atq; vt pœnitendo se liberare potuisset, à dracone quem viderat, expectatus non est.

Parænes. de ruina Lucif. à cap. xi. xii. &c.

Plura de cacodæmonum forma & deformitate qui legere vult, librum meum de ruina Luciferi adeat, vbi hoc argumentum fusè tractaui.

§. VII.

Quibus modis dæmon apparere soleat?

Ex historijs huc vsque recensitis satis constat

constat, diabolum ipsum specie monstrosa & corporali apparere, sicut Euæ apparuit, in figura serpentis; quamuis non constat, qua figura fuerit, quando cum lapidibus ad Christum, in deserto, accessit tentator. Gen. 3. Matth. 4.

Teste etiam S. Damasceno, *Mali angeli potestate à Deo concessa, & viribus pollent, & immutantur, & in quamlibet formam (vt quidem apparent) migrant.* Scire igitur aliquis volet: Quo pacto ita possint apparere? Aio duobus modis id fieri posse, primò per ludificationem sensuum, ita vt nonnulla, quæ de illis narrantur, in visione phantastica duntaxat atque imaginariâ contingant; adeoq; solâ apparentiâ, præstigijs & illusione. Eiuscemodi illusiones facilè fieri possunt per motum localem. Negari certè nequit, ipsos quoque bonos Angelos sæpe solùm secundùm internam imaginationem hominibus loqui & apparere. Quemadmodum & multæ Angelorũ visiones, in Apocalysi narratæ, solùm interiùs in phantasia factæ videntur; neque rarò sagæ à dæmonibus illuduntur, cùm ad varia se se loca vehi existimant domi dormientes. Secundò tamen non omnes eiuscemodi apparitiones dæmonum sunt ima-

S. Damascen. l. 2. de fide cap. 4.

S. Thom. 2. 2. q. 171. a. 5. ad 2. & q. 173. a. 2. 3. & q. 174. a. 2. ex S. Aug. lib. 9. Genes. ad lit. c. 19.

imaginariæ duntaxat, sed sæpe assumunt vera, atque exteriùs sensibilia corpora, ita vt ab omnibus videri queant, aut audiri, aut tangi. Quæ corpora non sunt illis spiritibus naturaliter, ac substantialiter vnita. Neque enim Angeli sunt corporei, aut formæ ex natura sua ad corpora substantialiter informanda idoneæ. Assumunt tamen corpora non per solum motum locale, alioqui omnia corpora quæ loco mouent, vt cælum, & homines, v. g. Habacuc per aërem portatum, dicerentur assumpsisse. Vt ergo in assumtis corporibus possint verè apparere, necesse est illa corpora esse visibilia, & tangibilia, & adeò vt habeant colorem, duritiem, frigus, calorem, aliasque qualitates, per quas possint tangi, videri, vel alio modo sentiri. Quod fit, dum agentia & passiua artificioso modo applicantur, figuram formantia, in qua se volunt præsentare. Vbi eadem est bonorum & malorum Angelorum ratio. Quis dicat, Euam à serpente illusione tantùm phantasiæ aut oculorùm ita deceptam esse, quemadmodum in somnijs, aut præstigijs fieri solet? Quis neget, dæmonem ad Christum visibiliter accessisse? Quis credat

S. Thom. 1, p. q. 51. a. 2.

Gabri-

Gabrielem ad Dei matrem, alios Angelos ad Magdalenam in die Resurrectionis, vel ad Apostolos in Ascensione Christi, per phantasiam tantùm locutos? Fuit ergo id, per quod dæmon Euæ, aut Christo, & boni Angeli Mariæ vtrique, ac Apostolis apparuerunt, aliquid externũ, & aptum ad sensus eorum externos naturaliter immutandos. In hanc sententiam scribit S. Augustinus: *apparuisse hominibus Angelos in talibus corporibus, vt non solùm videri, verùm etiam tangi possent, verissima scriptura testatur.* S. Isidorus etiam modum explicans ait: *Angeli corpora, in quibus hominibus apparent, de supremo aëre sumunt, solidamq; speciem ex cælesti elemento induunt, per quam humanis obtutibus manifestiùs deteguntur.*

S. Augustin. lib 15. de ciuit. cap. 23.

S. Isidor. lib. 5. de summo bono cap. 10.

§. VIII.

Veræ, vel phantasticæ apparitionis discrimen, & modus.

Indicium autem valde probabile, ad imaginariam & externam apparitionem discernendam à S. Thoma illud est traditum, quòd ea, quæ solùm per imaginariã apparitionem, aut per illusionem sensuum fiunt, tantùm quoque appareant illi homini, qui specialiter illuditur, non tamen

communiter ab omnibus videantur: externam autem apparitionē alij etiam indifferenter intueantur. Quod indicium ita verum est, vt tamen non sit necessarium. Potest enim interdum Spiritus exteriùs alicui visibiliter se obijcere, vt oculis conspiciatur ab ipso solo, alijs circumstantibus nihil videntibus. Quo pacto *viri illi, qui comitabantur* Paulum, *stabant stupefacti audientes quidem vocem* Christi, *neminem autem videntes.* Et Daniel, *Leuaui,* inquit, *oculos meos & vidi,* vbi subiungit, *vidi autem ego Daniel solus visionem, porrò viri, qui erant mecum, non viderunt.* In quæ verba Pererius monet, in potestate Angelorum esse, cùm in assumtis corporibus apparent, sui aspectum, quibus volunt, vel exhibere, vel denegare. Qua autem id virtute, faciunt? SS. Angelos ait Suarez, id facere posse virtute diuina, *quia fortè in assumtis corporibus participant hanc proprietatem corporis glorioſi: nam istud per voluntatem animæ potest se manifestare, cernendumq; præbere vni, & non alijs, etiamsi sint æquè propinqui, & nullum obstaculum interponatur, sicut in exemplo de vocatione Pauli Christus Dominus fecit, præsentiam suam Paulo concedendo, & eius*

Act. 9. 7.

Dan. 10.

Franc. Suar. lib. 4. cap. 33. de Angelis.

eius socijs eandem subtrahendo. Atqui hoc facere constat & malos Spiritus, qui in acie astant vni à quo videntur, & non ab alijs etiam præsentibus militibus. Quin ipsas quoque sagas ac magos inuisibiles reddunt, cùm volunt. Quod vtique non faciunt virtute diuina. Qua ratione igitur? Nimirum immutando medium, & ponendo obstaculum impressioni specierum visibilium, quod potest Spiritus tanta celeritate facere; vt non impediat transitum specierũ ad oculos eius, cui apparere vult; impediat verò transitum ad alionum oculos, vt post Richardum docet modò laudatus Pater.

Richard. in 2. dist. 8. 2. 2. q. 3.

§. IX.

Diabolus apparens, cogitur se signo aliquo prodere.

Quin quoque ipse dæmon etsi videatur ab eo, quo cum agit, potest tamen, quædam latentis monstri indicia ad tempus subducere, quæ postea cogitur detegere, diuina prouidentia, in cautelam hominis, ita disponente. *Author est Thomas Monachus, homo minimè malus, cuius ego fidem probitatemq; pluribus in rebus expertus didici,* inquit Alexander ab Alexandro, *qui seriò mi-*

Alexand. ab Alexand. l. 4. Genial. dier. c. 19.

hi retulit, quòd cùm in monasterio & sacris ædibus, quæ in Lucanis montibus sunt, cum pluribus iurgatus foret, & post immodica conuicia & rixas, animo perturbato, inde se proriperet: cùm per nemora iter solus intenderet, speciem hominis vultu tetro, nigra barba, promissis tunicis, vultu adspectuq; deformi & seuo, obuiam habuisse: quem cùm compellaret, quid ille solus per deuia errabundus incederet, dixit equum, quo vectabatur, amisisse, atq; in proximos campos illum euasisse credere: cumq; per sinus inuios equum vnà quæsitum pergeret, ad profluentem, in cuius alueo gurgites magni & formidabiles redundabant, deuenisse. Et cùm Monachus, vt aquam traijceret, calceos sibi eximere appararet, illum magnopere coëgisse, & peruicisse tandem, vt super spatulas suas ascenderet, potiusq; à se, qui corpore maior erat, vectaretur: qui acquiescens cùm super illius spatulas, vt succollaretur monachus ascenderet, illeq; in aquam ingredi appararet, dum vada exquirit, illius pedes non humana, sed tetra & deformi specie conspexit. Quo animaduerso, terribili horrore percitus Deum, vt sibi præsto esset, acclamauit. Mox Dæmonem & diram illam speciem, diuino audito verbo, stridore querulo, & vi maxima, quanta dici

potest,

potest, ita è conspectu abijsse dicit, vt imminentem quercum ingenti impetu colliserit, ac perfractis ramis funditus euerterit, ipseq; consternatus atque exanimis diu iacuerit. Credebat enim, quòd à vero non abhorret, nisi præuidisset, illum in rapidissimos vortices, & voragines fluminis prealtas se fuisse necaturum. Quis neget hunc dæmonem corpus assumsisse? Sed pedes occuluit longioribus tunicis; quas aquam ingressurus attollere est coactus, vt bestia infernalis è vestigio suo cognosceretur. Vtinam & alij eundem spiritum omnis mali machinatorem agnoscerent, cui sese in stagnum ignis ardentis deportandos tradiderunt. Quàm illi altè exclamarent, quàm citò ab eius humeris resilirent, neque se deferri ad Stygios vortices permitterent? Ad hoc Deus hos malos genios plerunque non sinit corpora assumere, nisi monstrositate notata, vt, sicut Iudæi ex assuta plagula, noscantur, & horreantur.

§. X.

Spiritus aliquando vera, aliquando ex aëre aliaúe materia facta corpora assumere.

Si igitur vera quoque corpora assumunt Spiritus, qualianam sunt corpora illa? ve-

rorumné Æthiopum, draconum, leonũ? Aug. lib. 3. de Trinit, c. 10, Respondet D. Augustinus, spiritum posse assumere corpus verum animalis præexistentis, vel etiam de nouo formare corpus, vt illud assumat. Potuit igitur seductor in specie serpentis cum Eua confabulatus vel esse spectrum serpentis, vel verum animal; vti & quando in larua incedit aliarum bestiarum. Et deprehensus est Spiritus sæpe assumere corpus animalis præexistentis, quin etiã cadauer hominis defuncti. Quod cùm fit, monent authores, non permitti dæmoni, circa corpora eorum, qui iusti & in diuina amicitia ex hac vita decesserunt. Est enim hoc diuinæ amicitiæ non consentaneum. Maiorem habet potestatẽ in corpora eorum, quorum & animas habet subiectas. Potest igitur ea mouere, portare, & in ijs se præbere tangendum, palpandũ, videndum. Quod fecit in illo, quem curiosum & magica imperitè tractantem in musæo Cornelij Agrippæ occisum, postea à Cornelio domum redeunte, ac adiurante coactus est, tanquam viuum in forum producere, vt in rixa percussus, videretur inibi etiam interemtus. Frequentiùs tamẽ spiritus assumit corpus, quod ipse ex spis-

S. Bonauent. in 2. p. dist.

sato

fato aëre, aut alio elemento, concurrente aliqua mixtione subtilium corporum, per artem Angelicam applicatorum, & se invicem transmutantium, vt ex eis vna substantia resultet apta ad talis corporis repræsentationem. Aiunt Angelos sanctos sumere hanc materiam ex purioribus corporibus, quæ in superiore parte aëris inueniuntur; à dæmonibus autem ex locis terrestribus humidioribus, & fortasse immundis ac cœnosis, eò quòd, in pœnam suæ malitiæ, aliud eis non permittatur.

art. 2. q. 2. & alij cum S. Thom.

§. XI.

Ob quas causas tam turpis appareat superbus alioqui Spiritus?

Animaduertite igitur, mortales, qualem aduersarium; attendite, peccatores, qualem dominum; videte magæ & sagæ, qualem sponsum habeatis; ex qua materia corpus gerat compactum, aut qualia de patibulis, vel rotis, vel bustis cadauera mutuet, vt se vestiat, & vobis ornet. Animaduertite, qua forma se vobis sistat; quã ater, quàm teter, quàm squallidus, quàm monstrosus appareat? Putatis, hoc superbum illum spiritum libenter facere; qui vtique mallet in specie pulchra, regia, cæ-

lesti

lesti videri, vt admirationi esset eius pulchritudo, & ad decipiendum aptior frons blandiens; sed cogitur diuina voluntate, vt in sordida & humano generi inuisa forma, vel etiam metuendo vultu plerumque se præbeat intuendū. Sic tumor illius premitur; sic fastus humiliatur; sic innotescit quantum à sua origine degenerarit; quantumque peccato sit deformatus; sic homines docentur, quantis monstris seruiant, si se sinunt seduci; sic peccatores monentur, qualium prodigiorum, in inferno sint habituri societatem. Apud Athenienses, si semimares, aut insoliti animalium partus, & alia monstra informia edita essent, fœtus exportari, & in mare, vel flumen deijci iubebatur. Quid aliud vult Deus, cùm talia dæmonum monstra sinit videri, quàm vt ea detestemur, amoliamur, & in mare Creticum, procul à nobis, immò in barathrum illis debitum ablegemus? Pudor est, amentia est, insania est, nos illum qui pro nobis passus est tam dira, qui pro nobis sanguinem & vitam fudit, qui *speciosus est præ filijs hominum*, spernere, ipsumq; Saluatorem nostrum, amabilissimumque IESVM nostrum fugere, repudiare, auersari;

Alex. ab Alexand. lib. 5 Genialium dierum cap. 27.

sari; & audire, sequi, ah sæpenumero etiam colere ac venerari, tam vile, tam turpe, tam execrandum monstrum, perditorem nostrum, & animæ nostræ latronem, draconem sæuissimum, qui aliquando non solùm nobis insultans hoc ipsum exprobrabit; sed etiam aduersus Redemtorem nostrum de tam insipiente perfidia nostra gloriabitur. Quam rem etiam atque etiam considerans D. Basilius, in hunc modum proponit. *Terribilis me quidem cum mentis consternatione horror inuadit metuentem videlicet, ne si aliud agendo in rebus futilibus ac vanis animum occupauero, à Dei charitate dejectus Christo dedecori sim. Qui enim assiduè nunc suis nos artificijs circumuenire, & mundialis istius vitæ illecebris inescans omni conatu efficere studet, vt datorum nobis à Deo beneficiorum, Deiq; ipsius memoriam ex animis nostris reuellat, is, vbi hinc migrauerimus, cum animarum nostrarum exitio nobis insultans, vehementissimeq; insectans, contemtionem Domino nostram contumeliosè exprobrabit, contumaciaq; ac defectione ab ipso nostra, gloriandi materia aduersus illum vtetur, quòd videlicet, cùm nos ipse neque crearit, neque pro nobis mortem subierit, sibi tamen, spretis contemtisq;*

S. Basil. in Reg. fus. disp. 2. iur.

temtisq; Dei præceptis obsequentes habuerit. Equidem istam ego futuram aduersus Dominum contumelioſam opprobrationem, ac dedecus, & insolentem hostis gloriationem, grauiora longè esse statuo, quàm ea, quæ sunt in gehenna supplicia, materiam videlicet nos aduersario Christi, glorioſiùs se se aduersus illum efferendi extitisse, qui conciliandæ nobis causſa salutis & mortuus sit, & resurrexerit: cui etiam vel hac gratia maiorem in modum debitores sumus, sicut scriptum est.

§. XII.

Monstrorum Acheronticorum fœditas horrorem parit.

Supereſt ergo, vt hæc monſtra horreamus, fugiamus, deteſtemur. Quod ſancti ſanè tantò ardentiùs faciunt, quantò cenſent clariùs, ſibi bonum eſſe adhærere Deo. Nam & Sanctis apparet, vt in Iob, in D. Ioanne, in Antonio, in Dunſtano, in Brunone Epiſcopo Herbipolenſi, in ipſo Chriſto eſt demonſtratum. Cum his velut miles congreſſus eſt, vt ex certamine victores prodirent, tantoq; fierent illuſtriores, poſtquam viciſſent. Alijs apparet Dei beneficio, vt territi deſinant peccare, & reſipiſcant. Alios omnino deuorat, quibus

non in illorum, sed, vt D. Gregorius ait, *ad solam vtilitatem audientium* eiuscemodi historias, adest morituris. Ita à quinquenni puero, ita Chrysorio, ita Monacho hypocritæ visus est. De Chrysorio hæc habet. *Pauore tetræ eorum* spirituum *imaginis huc illucq; vertebatur in lectulo, iacebat in sinistro latere, aspectum eorum ferre non poterat; vertebatur ad parietem, ibiq; aderant. Cumq; constrictus nimis relaxari se iam posse desperaret, cœpit magnis vocibus clamare: Inducias vel vsq; manè, Inducias vel vsq; manè. Sed cùm hæc clamaret, in ipsis vocibus de habitaculo suæ carnis euulsus est. De quo nimirum constat: quia pro nobis ista, non pro se viderit, vt eius visio nobis proficiat, quos adhuc diuina patientia longanimiter expectat. Nam illi tetros spiritus ante mortem vidisse, & inducias petijsse, quid profuit, qui easdem inducias quas petijt, non accepit?* Quanquam igitur talia monstra videntibus nullum fructum afferant, afferunt tamen audientibus, & legentibus, in quem solum finem à Deo non minùs benignè, quàm iustè contingere permitterentur; & tamen non in hunc solùm finem permittuntur; quia sæpe talia aspicientes agnoscunt, quid meruerint, & auxilia

S. Greg. l. 4. dial. cap. 38.

auxilia petunt, quæ priùs respuerunt. In quam rem sit vel vnicum hoc exemplum, quod Alexander ab Alexandro recenset. Ita enim loquitur.

§. XIII.

Vtile esse, vt subinde talia monstra terreant peccatores.

Alexand. ab Alexandro lib. 4. Genial. dier. c. 19.

Non est profectò fabulosum, quod apud sanctos viros autores memorant, vt cum tetris spiritibus, quos dæmones vocant, congressum habuerint, illosq; diuersis imaginibus, ac specie multiplici prope deluserint: Siquidem nostra memoria id euenisse compertũ est. Nuper amicus meus summus ingenio, & fide singulari, rem dictu admirabilem, hæc prodentibus nobis, sibi euenisse narrauit: quod cùm credi vix posset, multorum testimonio comprobauit: se, cùm apud coniunctissimum & sibi familiarem Neapoli diuerteret, & noctis silentio clamantis de via, & vocem hominis auxilium implorantis audiuisset, cùm accenso lumine accurrisset, vt quid rei esset inquireret, ibi Dæmonem, & dirum quoddam numen tetra & horribili specie conspexisse, qui iuuenem quemdam clamantem & reluctantem, in via infestis manibus inuadere quærebat, quo conspecto, cùm miser ille ad ipsum, quem propè vide-

bat

bat accurrisset, & ne apprehenderetur, quanto poterat nixu, ipsius vestem & manum apprehendisset, se, diuino sæpius aduocato nomine, cùm multum diuq; frustra fuisset reluctatus, vix tandem Dæmonem abegisse. Quo demum abacto, cùm iuuenem animo consternatum in domum recepisset, nunquam quòd se dimitteret, aut pallium relaxaret, quiuisse efficere. tantáque eum torpedo inuasit, vt mente euicta sui compos non esset, cùm sibi prorsus repræsentari, & ante oculos obuersari illa species videretur. Tandem ad se redditus, rem quo pacto se habuerit enarrauit. Constabat enim prauis eum moribus, & inciuilibus, cum DEI contemptu diu vixisse, in parentésq; tunc iurgatũ contumelias & intoleranda probra dixsse, denotionibus execrationibusq; diris ab eis agitatum abijsse. Hæc Alexander. Et adhuc miramur talia patientes? miremur potiùs talia facientes. Æquum est, vt turpes laruæ inuadant turpia facientes. Habet magistratus lictores, quos mittit ad rebelles. Dei lictores sunt dæmones, ex merito igitur illis plectit impios, ac præsertim parentum contemtores. Felix, qui, ne plectatur, territus exclamat auxiliumque vocat. Solent & parentes, vt terreant liberos suos,

illis nescio quas vmbras, & hirsuta monstra, extra hypocaustum vagantia, minitari. Memini & ego non ita pridem insignem ingenio & nobilitate adolescentem eiuscemodi intemperijs agitatum, non ausum dormire solum, non egredi sine comite extra limen hypocausti, nocturno tempore: denique metuentem vehementer, ne à cacodæmone abriperetur; caussâ ipse probè nouerat. Quàm ille tum ad me cupidè cucurrit? quàm opem meam solicitè implorauit? ac propè hanc ipsam mihi tunicam à corpore abstulit, cupiens, vt ad Exercitia spiritualia eum promouerem. Sed non erat tum tempus eum admittendi: satis illum diabolus exercebat, cuius terriculamenta illi vtile erat experiri, donec disceret causssam potiùs molestiarum, quàm molestias ipsas exhorrere. Sic & Apostolus olim fecit, ita scribens ad Corinthios: *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicaui vt præsens, eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri IESV Christi, congregatis vobis, & meo spiritu, cum virtute Domini nostri IESV tradere huiusmodi satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat, in die Domini nostri IESV Christi.*

1. Cor. 5. 3.

CAPVT

CAPVT XIII.

Cur, & quàm monstrosos diaboli faciant eos, quos insident?

§. I.

Homines quosdam à malis spiritibus verè insideri.

VEnio ad alterum modum, aut speciem monstrorum diabolicorũ. Neque enim ipsi duntaxat horrificè monstrosos se se mortalibus aspiciendos exhibent, sed etiam admodũ monstrosos faciunt energumenos, in quos ingrediuntur. Hoc antè, quàm demonstrem, priùs ostendendum est, an Spiritus isti, & quomodo in homines intrent? Sunt enim, qui cum Leuino Lemnio putent, energumenos, qui à dæmonibus possideri dicuntur, naturalibus tantùm morbis laborare, non verò à dæmonibus possideri. Sunt qui animas quasdam jam olim defunctorũ arreptitios inuadere arbitrentur. Priores erroris arguit, quòd nulla morbi vis docere homines possit, vt omniũ gentium linguis loquantur. Audimus enim simplices, rusticos, illiteratos à spiritibus his infessos

Leuin. Lemn. l. 2. de occult. naturæ cap. 2.

nunc Latinè, nunc Græcè, nuncHebraicè, nunc alijs idiomatis conuicia iacientes. Quis morbus est, qui futura, aut absentia mortalibus patefaciat? Ex energumenis autem talia intelliguntur, vti & occulta astantium peccata non rarò propalam reuelantur. Denique quis morbus tantas ægroto dat vires, vt eum catenis astrictum vix quatuor validis lacertis viri possint cohibere; aut etiam vt è templi pauimento, per aërem, vsque ad fornicem summum tholúmue se se queat extollere? Ægrotat profectò mente, quisquis hos effectus morbis naturalibus ascribit. Posteriores autem, qui animabus defunctorum hæc attribuunt; eodem argumento confutantur, quis enim illis hanc futura cognoscendi vim tribuit? quis linguas docet? Et verò vel animas separatas fateri, est concedere spiritus, qui si ad corpora pertinentes, sine corpore existere possunt, quanto magis existere poterunt, sine corpore, Spiritus ad corpora non pertinentes? Plura contra hos cumulat Toftatus argumenta.

Toftatus Abulens. q. 124. in cap. 8. Matthæi.

§. II.

Idem è sacris litteris docetur.

Sed contra vtrosq; experientia quoque, &

& scriptura perorat. Experientia quidem, quia non solùm tot antiquæ & recentes extant historiæ, sed etiam oculi mille testantur, se talia vidisse, qualia neq; morbus vllus, neq; vlla defuncti anima posset facere, dum adiurantur, exorcizantur & datis manifestissimis signis eijciuntur nigri isti hospites. Clarissima etiam de hac re est scriptura, immò ipsius Christi sententia, & facta. Quot enim ipse dæmones, diuersis locis & modis, exturbauit? Eiusdem sententiæ fuerunt illi, qui *obtulerunt ei multos dæmonia habentes, & eijciebat spiritus verbo.* Omnia in Euangelistis sunt plena. Frustra etiam Dominus Apostolis dedisset potestatem in dæmones exterminandos ab hominibus, si nulli dæmones eos possiderent. Frustra Euangelium fidemq; hoc signo confirmasset. Frustra etiam regulam expellendorum quorundam dæmonũ illis tradidisset. Atqui dedit eis eam potestatẽ: *Et dedit illis potestatem curandi infirmitates, & eijciendi dæmonia.* Item voluit fidem hoc signo confirmari: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: in nomine meo dæmonia eijcient.* Sed & regulam hanc dictauit: *Hoc genus dæmoniorum non eijcitur, nisi per*

Matth. 8. 16. 28. Matth. 4. 24. Matth. 9. 32. Matth. 12. 22. Marc. 3. 15. Marc. 16. 17. Matth. 17. 20.

orationem & ieiunium. Vsurparunt hanc potestatem & regulam Apostoli, & omnes ferè Sancti prodigiorum patratores. Quin & blasphemi illi Iudæorum principes, dum per summam contumeliam Christo dixerunt: *dæmonium habes*; itemque: *Quid ipsum auditis? dæmonium habet*; ac rursus: *In principe dæmoniorum eijcit dæmonia*; opinati sunt vtique, aliquos à dæmonijs inhabitari. Facessant igitur illi atheizantes, qui, ne cogantur fateri, esse aliquos Spiritus, quod arreptitij perspicuè commonstrant, negant energumenos esse dæmonũ domicilia, & incredibilia opera atque effecta morbis naturalibus ascribunt, nempe quales medici, tales Christiani, helleboro curandi. Itaque non frustra in Sacerdotali Romano posuit Ecclesia formulam exorcismi, qui non est aliud, quàm oratio & adiuratio ab Ecclesia approbata, qua nomine Christi imperamus dæmoni, vt ab homine recedat. De quo S. Cyprianus agens Demetrianum Christianorum hostẽ sic compellat: *O si audire eos* (dæmones) *velles & videre, quando â nobis adiurantur, & torquentur spiritualibus flagris, & verborum tormentis de obsessis corporibus eijciuntur,*

Ioan. 8. 48.

Luc. 11. 15.

S. Cypr. ad Demetrianum.

tur, quando eiulantes, & gementes voce humana & potestate diuina flagella & verbera sentientes venturum iudicium confitentur.

§. III.

Quid sit, à dæmone insessum esse?

Vt autem homo à dæmone insessus dicatur, necesse est quidem, sed non sufficit, vt in eo insit tanquam motor illius, sed insuper requiritur, vt in eum habeat quandã potestatem. Neutrum sine altero sufficit. Accepit in Iob potestatem satan, vti in S. Antonium, in S. Franciscum Xauerium verberandũ, non tamen isti obsessi dicuntur, quia in illis non fuit Satan. In multis rebus est Satan, qui & *post* acceptam *buccellam* in Iudam *introiuit*, non tamen tunc obsessus est Iudas, quia non habuit in eum agendi potestatem. Dicitur igitur in eum intrasse, quia Christi vendendi suggessit consilium; teste Didymo. Quod ex Ioanne constat sic accipiendum, ait enim: *Cùm diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas.* vbi insinuatur, aliquando, idem esse *introire & mittere in cor.* Pertinet ergo ad insessionem etiam potestas mouendi ac sæuiendi in possessum; quam sanè potestatem, dum exerit, non rarò monstra ex

Iob. 1.

Ioan. 13. 27.

Didymus l. 3. de spirit. S. Ioan. 13. 2.

hominibus quodammodo facit, & sæpe numerò mirificè eos deformat; sæpe sen. suum vsu priuat, mutos, surdos, insanos, phreneticos reddit. Hac de caussa *mulier Chananæa clamauit: Miserere mei, Domine, fili Dauid: filia mea malè à dæmonio vexatur.* Quo verbo passim vtuntur Euangelistæ. Estque atrox vexatio belluæ istius. Quosdam cæcos, quosdam mutos, quosdam surdos efficit. Hinc legimus: *Oblatus est ei dæmonium habens, cæcus, & mutus, & curauit eum ita, vt loqueretur, & videret.* Alio loco surdum & mutum sanauit, cui spiritus iste vtrumque sensum ligauerat. Quod si quis vult audire vexationem grauiorē, audiat patrem genibus prouolutum ante Christum & orantem: *Domine, miserere filio meo, quia lunaticus est, & malè patitur: nam sæpe cadit in ignem, & crebrò in aquam.* Ac ne quis morbum, non spiritum id feciſſe putaret; sequitur: *Et increpauit illum IESVS, & exiit ab eo dæmonium, & curatus est puer ex illa hora.* An non prodigium fuit, in ignem & aquam præcipitari, nec occidi? Adhuc sæuiorem describit Lucas. *Et cùm egressus esset* Christus, *ad terrā, occurrit illi vir quidam, qui habebat dæmonia*

Matth. 15. 22. Marc. 1. 34. & 5. 15 18. Luc. 6. 18. Math. 12. 22. Marc. 9. 25. Math. 17. 14. S. Chrys. hom. 28. Luc. 8. 27.

iam

iam temporibus multis, & vestimento non induebatur, neq; in domo manebat, sed in monumentis, &c. Multis enim temporibus, arripiebat illum, & vinciebatur catenis, & compedibus custoditus, & ruptis vinculis agebatur à dæmonio in deserta. Matthæus eandem historiam perstringens ait: *occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, sæui nimis, ita vt nemo posset transire per viam illam.* Lucas vnum tantùm describit, nobiliorem, vt D. Augustinus putat, aut certè sæuiorem, vt vult D. Chrysostomus & alij. Extendit sese autem frequenter hæc diaboli potestas vsque ad morbos, vsq; ad cruciatus maximos, vsque ad mortē. Prius illud itidem scriptura indicat: *Et ecce mulier, quæ habebat spiritum infirmitatis, annis decem & octo, & erat inclinata, nec omnino poterat sursum aspicere.* Hanc autem infirmitatem à Christo expulsam, à dæmone procuratam fuisse, ipse Christus archisynagogo respondens docuit his verbis: *Hypocrytæ, vnusquisque vestrûm sabbato, non soluit bouem suum, aut asinum à præsepio, & ducit adaquare? Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligauit satanas, ecce decem & octo annis non oportuit solui a vinculo isto, die sab-*

Matth. 8. 28.

S. August. lib. 2. de consensu Euangelistar. c. 24.

Luc. 13. 11.

bati? Eo vsque hominem malus hic hospes denormat, vt ex eo testudinem faciat, aut etiam serpentem, qui per terram repat, morbisque & doloribus impleat.

§. IV.

Exempla eorum, quos insidens diabolus in monstra deformauit.

Testantur id etiam diuersorum Sanctorum historiæ, è quibus legimus, quosdam spumasse, quosdam ignito vultu, virentibus oculis, rictu terribili, iam luporum instar vlulasse, jam more leonū astantes rugitu terruisse, & nullam non vocem edidisse bestiarum. De S. Bernardo testatur Wilhelmus Abbas, eum à tyrannica diaboli vexatione, liberasse mulierem quandam, cuius faciem Proteus iste vsq; adeò fœdā, deformem, horribilemq; intuentium oculis obiecerit, vt non pro homine, sed pro deterrimo monstro haberetur. Qualem vultum, quales oculos, quàm luridum colorem putemus fuisse filiæ illius principe parente oriundæ, quam viginti sex annorum grauissimo morbo à dæmone afflictam tortore suo liberauit Theodorus Archimandrita? Qualem laruam exhibuit cacodæmon, in filia Gordiani Imperato-

Wilhelm. Abbas lib. 2. c. 3.

Georg. Presbyt. in eius vita apud Sur. to. 2.

Metaphr. 8. Febr.

ris,

ris, quem S. Tryphon ex illa eliminauit? Quàm terrificum fuit videre mulierem, Cerberi instar aconita vomentis, ore contorto spumantem, dentibusque, in morem irritatæ tigridis frendentem, quam proscripto malæ fidei possessore pristinæ incolumitati restituit Laurentius Iustinianus sanctus Venetorum Patriarcha? Nullus bufo ita fœdè tumet, vti tumuit guttur à Spiritu superbiæ inflatum illius, qui ad preces S. Catharinæ est persanatus. Refert Palladius, puerum ex quo S. Macarius humani generis hostem pepulit, supra quàm credi potest, toto corpore intumuisse; tympanum putasses, aut vtrem inflatum; deinde, qua parte potuit, maximã aquarum copiam, cum ingenti vocis elatione, effudisse. Quid dico, aquam effudisse? consuetum est hoc etiam hydrope laborantibus. Audierat D. Dominicum concionantem femina à dæmone infessa, quæ, cùm in frequentissima turba sederet, repentè agitata cœpit magnis editis clamoribus verba facientem interturbare. Id consilium erat maligni hostis, sed sua machina captus est. Nam vir sanctus & silentium imperauit spiritibus (quorum septem erant)

Bernard. Iustinian. in vita S. Laurentij Iust. c. 8.

Raimun. in vita S. Catharinæ. Pallad. in vita S. Macarij.

In vita S. Dominici lib. 2. cap. 9.

erant) & facto Crucis signo, jussit eos facessere. Ad imperium viri, fugatus hostis hoc prodigium reliquit, vt mulier magna carbonum & sanguinis vi per os eructata, vnà cum spiritu animam expirasse crederetur. In alijs aciculæ, crines, claui, vitrorum & ouorum fragmenta, & nescio quæ non quisquiliæ reperiuntur, quæ vti non constat, quo modo intrarint, ita etiam prodigiosè euomuntur.

§. V.

Quot mala corporibus & animabus eorum, quos insidet, inferat diabolus?

Atque vt manifestius fiat, quanta vastatione hominem destruat malus iste inhabitator, annumerabo, quid in alijs, atque alijs vel corrumpat, vel efficiat, vt monstrosi sint. Siquidem 1. sensus inuadit eorumq; organa hebetat, aut opprimit. Hinc in Euangelio legimus, alios excæcatos, alios exsurdatos, alios elinguatos, aut certè mutos factos; quemadmodum & grandæuam illam mulierem, quæ neque oculis, neque auribus quidquam ampliùs haurire quiuit, dæmone organa horum sensuum obstruente; de qua Wilhelmus S. Theodorici Abbas memorat. 2. Vires depopulatur,

Wilhelm. S. Theodorici. in

populatur, vt se loco mouere nequeant, sicut puella, cuius meminit Fortunatus, quam Stygius ergastularius ita debilitate vinctam tenuit, vt templum ingredi non posset. 3. Contrahit obsessos in globum, distrahit in lineam, torquet in omnes partes, vt experientia quotidiana sub oculos ponit, & mulier Euangelica suo exemplo testatur, de qua supra recensuimus; nec non Eutychius miserrimè distortus ac volutatus, de quo Georgius Presbyter. 4. Vi impellendi quosdam sursum attollit, vt mulierem à S. Bernardo Mediolani curatam: alios humi applaudit, ita enim filiam principis vehementissimè in terram allisit, quam supra scripsimus, à Theodoro Archimandrita liberatam. Quosdam etiam in ignem, quosdam in aquam præcipites agit, vt Euangelium testatur. 5. Plurimos morbis & cruciatibus ita dissoluit, vt non solùm membra ad officia sua præstanda reddantur inidonea; verùm etiam vt color è vultu, gratia è genis, nitor ex oculis fugiat, formaque omnis extinguatur. Vt enim, si vires integræ sint, & singula membra suis locis consistant, officijsq; suis fungantur, venustas quædam proportioq;

vita S. Bernardi l. 2. c. 3.

Fortunat. in vita S. Germani Episc. Parisiensis cap. 27.

Luc. 13. 11.

Georg. Presbyt. in vita Theod. Archim.

In l. 2. Vitæ S. Bernardi. c. 4.

Marc. 9.

allu-

allubescit; ita si hæc tollantur, necesse est, ipsam quoq; pulcherrimam hominis constitutionem dissolui atque destrui. Hinc quidam ex hac hominum classe, luridi, buxantesque, & instar Auernalium vmbrarum incedunt, viris timendi, pueris fugiendi; præsertim si oculi igniti, velut draconum fulgurantes, accedant. 6. Imaginationem & phantasiam ita occupant, turbant, euertunt isti Spiritus, vt obsessus se ipsum pro monstro habeat, vtque non solùm sibi persuadeat, se in hostes suos incidisse, belluas cruentas videre, laruas cernere, mortem præsentem habere; sed etiam vt seipsum in belluam conuersum arbitretur, eaque propter in obuios inuolet, sæuiat, eos laceret, & occidat. Talis fuit, quem gladio infesto per vrbis plateas ruentem, & quoscunque obuios petentem, teste Sozomeno, Arsacius integritati restituit. 7. Membris obsessi vtitur diabolus tanquam suis instrumentis. Neque enim tantùm manibus inuadit, & vnguibus ad se accedentes; vt eos vulneret, laniet, discerpat. Neque calcibus solùm impetit & percutit. Lingua illi ipsa est pro gladio; vox pro ferro est. Quàm impias

Sozom. lib. 4. c. 5.

vomit

vomit blasphemias ? quanta iactat in astantes conuicia ? quàm atroces calumnias spargit ? quot falsis detractonibus nomen aliorum infamat ? Ita quidem lingua energumeni abutitur. Abutitur & gutture, per quod voces trudit inconditas & belluinas : sibilat vt serpens, rugit vt leo, mugit vt taurus. Sic ex latratu, Alexandriæ, multi vtriusque sexus sunt deprehensi, à Cerbero in potestatem redacti, vt tradit Sigebertus. Abutitur & stomacho, quem subinde monstrosæ voracitatis ingluuie contaminat. Fuit Theodoreto teste, à vulpe Tartarea obsessus, qui tametsi, vno die, triginta gallinas degularet, *appetitionem tamen non poterat extinguere satietate.* Tanta fames cum dæmone expulsa est à S. Macedonio, aquâ benedictâ. Hic talis priùs helluo, postea parua gallinæ particula fuit contentus. Alium fuisse refert Palladius, qui trium modiorum panes, vna vice deuorare solebat, & eosdem mox eructans resoluebat in vaporem. Quin supra omnem Erisichthonem adeò rabiosè famelicus fuit, vt, si panes deessent (quis enim ei pistor poterat satis pinsere ?) sua ipse excrementa comederet, &, vt ferculo po-

Sigebert. ad Anno Domini 517. in Chronic. Theodoret. in hist. SS. PP. sect. 13

Palladius in vita Abbatis Macarij sect. 17.

lo potus responderet, suum ipse lotium potitaret. Quis, in hoc misero homine, dubitaret spiritum immundum habitasse? Qualis hospes, tale epulum. Abutitur denique & vultu. Neque enim minaces sunt tantùm obsessorum & tragici oculi, sed etiam ipse reliquus vultus horribilis est ac truculentus, quando se se vult exerere cacodæmon; & qualem aspectũ ne in ipso Atreo finxerunt Poëtæ. Quid ita? Nimirum quales ipsi sunt maligni spiritus in oculis Dei, & in sua perturbata depravataque voluntate, tales formas plerumque coguntur etiam in arreptitijs exprimere; vt hospes vel de hospitio possit agnosci. Quin etiam non coacti, sponte sua, truces volunt videri & crudeles, vt terreant, & timeantur. Non rarò certè ita pinguntgenas, rugant frontem, pandunt rictum, stringunt dentes, vibrant oculos, distrahunt capillos, vt supra horrorem omnium Furiarum intuentibus horribiles ac metuendi videantur. Talia monstra ex hominibus facit Orcus, vt taceam eum etiam sæpe in ipsam animam grassari, si permittatur; siquidem dum corpora affligit, etiam in animas quædam detrimenta manant.

Sicut

Sicut enim, quando corpora bene affecta sunt, non exigua emolumenta in animas redundant; ita vice versa, eorundem molestiæ animas impediunt ab exercitio virtutum, quarũ nonnulla opera vel membrorum ministerio indigent, vel certè eorum doloribus retrahuntur. Et quamuis dæmon hominum voluntatem per se impellere non possit, potest tamen inclinare, dum in corporibus illecebras excitat, & ea sensibus externis internisq; proponit, quæ magnum pondus addunt voluntati. Siquidem *corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena habitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Sap. 9. 15. Quanquam etiam habitus virtutum, quos importunus iste habitator inuenit, non extinguat, ita tamen sæpe hebetat, vt nullam possint vel modicam habere functionem; præcipuè eos, qui intellectum fulciunt, & proinde phantasmatum auxilio indigent. Dum enim validus est in phantasmata, per ea etiam obfuscat intellectum. Sic non tantùm corpus fit ab hoc incola miserum & monstrosum, sed anima quoque ipsa destruitur, vt homo talis hominem non agat, sed sit quodammodo incarnatus dæmon. Quas ob causas,

sas, inter maxima beneficia diuina, est vnum, à dæmone insidente liberari; &, quod pauci agnoscunt, multò maius; dæmonem ita arceri, vt nos semper volens, nunquam tamen audeat inuadere. Multos sanauit IESVS, multa varijs beneficia contulit, quæ iussit taceri, & nemini dici: at quando, apud Gerasenos, eiuscemodi hominem liberauit, dixit illi: *Redi in domũ tuã, & narra, quanta tibi fecit Deus.* Quod & ipse, qui sanatus fuerat, agnouit. Nam *abijt per vniuersam ciuitatem, prædicans, quanta illi fecisset IESVS,* quem proinde, tanquam Deum, quem iussus est prædicare, agnouit.

Luc. 8. 39.

§. VII.

Sine potestate à Deo data, in neminem posse intrare diabolos.

Hæc talia igitur tantaque hominibus damna ab hoste humani generis cur inferri sinit Deus? Nam sine eius nutu non inferuntur. Si enim Iobum non potuit vel in fortunæ, vel in corporis bonis attingere, nisi potestate à Mundi Authore & Gubernatore accepta; quantò minùs poterit in ipsum hominem intrare, & vires eius inibi vastare, sine concessa sibi à Numine,

Iob. 1. 12. & c. 2. 6.

ne, permissaque facultate? Enimuerò si neque in porcos potuit ingredi, sine eius permissu, quis credat, id illi in homines licere, nisi diuina prouidentia ita ordinante? Quanta enim dæmones damna corporibus & animabus obsessorum inferant, vidimus. Si non refrænarentur, omnia pessum irent. Est in illis vis maxima, voluntas nocendi summa: &, vt scriptura ait; *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei.* Etenim, si permittantur, omnia nunc possunt operari, quæ in natura pura facere potuissent; cùm post peccatum naturalia in eis integra manserint, vt cum S. Dionysio, & S. Thoma scholastici Doctores tradunt. Ad has vires accedit in illis voluntas & libido extrema mortalibus damna inferendi. Cur igitur id non faciunt? manus illorum ligantur. Quod etiam ex illis Christi verbis discimus: *Simon, Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Impeditur igitur sæpe, ne noceat; &, vt noceat, Dei debet sententiam voluntatemque expectare. Tantum potest, quantum ille permittit, qui in vnum hominẽ plus huic

Luc. 8. 32.

Iob. 41. 24.

S. Dionys. de diuin. nomin. cap 4. S. Thom. 1. p. q 64. a. 4.

Luc. 22. 31.

carnifici permittit, in alium minus. Cur igitur diabolo, hosti suo & hominum, permittit Deus ista? Hosti, aio? immò hosti ferociſſimo, crudeliſſimo, immaniſſimo, hosti corporum tortori, & animarum inſidiatori.

Claud. lib. 1. in Ruffin.

Quid talo immanes vnquam geßiſſe feruntur
Vel Scinis Iſthmiaca pinu, vel rupe profunda
Scyron, vel Phalaris tauro, vel carcere Sylla?
O mites Diomedis equi, Buſiridis aræ
Clementes. Iam Cinna pius: iam Spartace lenis
Plutoni *collatus eris.*

§. VII.

Variæ cauſſæ, ob quas diuina bonitas hominu ſinit ab inſidente humani generis hoſte vexari.

Cur ſpiritus nequam in homines ingredi geſtiat, cauſſa in propatulo eſt; adeò voluntas illius auerſa eſt à Deo, vt quia Deo nocere nequit, ſaltem creaturam illius diuexet: quam etiam idcirco odit, quia Deum odit; & cui inuidet, quod Diuina maieſtas, relictâ Angelicâ naturâ, in vnitatem

tatem diuinæ hypostasis assumserit humanam. Sicut ergo homines vindicta ardentes voluptatem capiunt ex occasione vltionis, ita ille delectatur, si quibus infensus est cruciantur. Hæ diabolo causſæ sunt homines arripiendi. Atqui Deus humanum genus amat, eiqúe bene vult, bene facere cupit, cur ergo dæmones vel immittit illis, vel permittit, vt cum tanta clade in eos intrent? Quomodo hoc cum illius amore, cum bonitate, immò cum justitia congruit? Congruit omnino, vt etiam hîc exclamare libeat: *Domine, in cælo misericordia tua: & veritas tua vsq; ad nubes. Iustitia tua sicut montes Dei,* hoc est, sicut montes maximi maxima: *judicia tua abyssus multa.* Etsi igitur illam infinitæ sapientiæ & prouidentiæ abyssum non possimus penetrare, sunt tamen nihilominus multæ claræque, etiam in hac Stygia tyrannide immittenda, vel permittenda, causſæ, vt cogamur dicere: *Domine, in cælo misericordia tua,* circa Sanctos tuos ab omni eiuscemodi vexatione immunes; in terris autem, vbi ista permittis, *veritas tua vsq; ad nubes; & iustitia tua sicut montes Dei.* Causſæ enim sunt hominibus ex ipsa misericor- Psal. 35. 5.

dia, veritate, iustitia patefactæ. 1. Ita discimus, præter corpora, spiritus aliquos esse, quod athei negant, vt Deum negent. Fit ergo ipse hostis Dei, testis Dei,. Cum atheis prosternuntur & Sadducæi. *Sadducæi enim dicunt, non esse resurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum.* 2. Ab his spiritibus colligimus, absonum non esse, etiam animam nostram à corpore liberam, corporis expertem posse subsistere, ac proinde, instar Angelorum, immortalem esse atque æternam; eamque post hanc vitam, aliam viuendi rationem ingressuram. 3. Obsessorum tam tyrannicè tractatorum calamitas ostendit, quantum sit huius nequam spiritus erga homines odiū, quanta crudelitas; vnde meritò ab omni eius consortio, auxilio, familiaritate abhorremus. Est enim eius consortium fallax, auxilium inutile, familiaritas perniciosa. 4. Contra tam potentem & dirum hostem, necessariò ad diuinam opem, ad Sanctorum suffragia, ad Ecclesiæ sacros ritus, & Sacramenta currimus. Malus ergo persecutor boni remedij quærendi caussa est. 5. Discimus ex hac dæmonum vexatione, quàm miserè accipiat animas peccantium,

Act. 23. 8.

Vide Tostat. Abulens. in cap. 8. Matthæi. q. 12.

cantium, quas tanquam fortis armatus possidet. Ea enim quæ in corporibus cruciatis facit, indicia sunt eorum, quæ in anima molitur. Longè enim ille ex animabus monstra efficit detestabiliora. Facit eas cæcas, vt non videant veritatem; facit surdas, vt non audiant monentem; facit mutas, vt peccata sua non confiteantur; deniq; nihil in corpore destruit, quod non suo modo etiam in anima corrumpit. 6. Ex cruciatu, quo à se possessos affligit, coniecturam haud obscurè facere possumus de tormentis, quæ patientur in inferno damnati; illi, inquam, qui in æternum sub omnimoda illius erunt potestate. 7. Discimus & hinc, quàm longè meliorem hospitem possimus recipere, nempe ipsum Christum, per SS. Eucharistiam in pectus nostrum intrare cupientem, qui identidem stat ad illud ostium & pulsat; ipsum Spiritum sanctum, qui meritò *dulcis hospes animæ* ab Ecclesia appellatur; ipsam SS. Trinitatem iuxta illud: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Quàm isti longè alij meliores(q); sunt hospites? quàm longè ali-

Ioann. 14. 23.

ter domum, in quam intrant solent ornare? Vt ergo Deo ianua, & fenestræ, & totum pectus aperiatur, excludaturq; vastator Angelus, sinit diuina prouidentia à dæmone malo infessos adeò malè tractari.

§. VIII.

Omnis peccator meretur à diabolo, cui se subijcit, possideri.

Hi omnes, alijq; plures sunt optimi fines, ob quos diuina prouidentia adamantinas Inferorum portas referat, damnatisq; spiritibus inde exeundi, hominesque inuadendi facit potestatem. Sed longè aliæ sunt ex parte ipsorum hominum caussæ, quæ Deum cogunt, vt, tanquã iustus criminum vindex, dæmones, haud secus ac tortores carnificesq; suos, iubeat in homines insilire, sæuire, furere. Imperat rex militibus suis, vt ciuitatem rebellem armata manu inuadant, spolient, diripiant, incendant; & Deus de cælo aspiciat tot homines sibi indignissimè rebellantes, nec mittat suos hos stygios executores, vt eos lacerent? Audijt D. Paulus, incestum, apud Corinthios, commissum, & zelo Domini exardescens iudicauit, *tradere huiusmodi satanæ in interitum carnis*; audit & videt

1. Cor 5.5.

det mundi Rector longè magis nefanda, & ſatanam nullum habeat, cui nefarios tradat? Septem dæmonia fuerunt in Maria Magdalena. cur? quia *erat in ciuitate peccatrix.* Tot ergo dæmonia meruit, quot hydræ fuerunt capita. Luxuria enim ratò eſt ſola; ornat ſe ſuperbè, vt placeat; auarè emulget à iuuenibus opes, quibus ſe ornet; iraſcitur, ſi contemnitur; odit, ſi non amatur; & quia ſine Baccho & Cerere friget Venus, carnem gulosè ſaginat. Caro autem opprimit ſpiritum; nec ſapiunt terrenis deſiderijs cæleſtia. Hinc acedia. Hæc ſunt ſeptem hydræ capita, quorum ſingulis ſuus Satan debebatur. Illi enim ſe ſubijcit, quiſquis illius ſuggeſtioni obedit. Malè igitur Deus accuſatur, quòd homines diaboli ſubijciat poteſtati; ipſi homines dum peccant, ſe ſe imperio illius ſubijciunt; ſe ipſos igitur accuſent. Immo Dei clementiã obſtupeſcant, tam paucos peccatores tyranni huius libidini permittentis. Non milleſimus, nec millies milleſimus patitur, quod omnes peccatores merentur. Qui autem patiuntur, quod meruerunt, ſciant illud S. Auguſtini dictum: *Dæmones, niſi quos fallendo, deceperunt, poſſide-*

Marc. 16. 9. Luc. 7. 37.

S. Auguſt. de ciu. l. 4 cap. 34.

possidere non possunt: iure per peccatum acquisito scilicet. Nam Dei potestate accepta, possunt, ob alios quoq; bonos fines, etiam sæuire in innocentes, vt infrà docebo. Interim & nocentes diuinus iudex, vt iustè, ita & vtiliter plectit.

§. IX.

In energumenis pœna diuina consideranda.

Si aliquos permittit palam ita vexari, gosq; monstrosos fieri, ceteris mortalibus monstrat, quid vitare debeant, ne & illi in huiusmodi monstra abeant. Sententia D. Hieronymi & D. Epiphanii est, Assyriorum regem Nabuchodonosor, præterquá quòd ita monstrosus effectus sit, quemadmodū eum nos suprà descripsimus, etiam adeò monstrosum fuisse, quòd à dæmonibus obsessus esset. Quæ opinio inde suam accipit probabilitatē, quia certe plurima obsessi in eo fuerunt argumenta. Quod si ita est, reuocemus in memoriā flagitia illius, & fatebimur eum totas legiones diabolorum commeruisse. Saul quoq; rex à multis grauissimisq; authoribus existimatur à cacodæmone insessus & exagitatus. At quis eum innocentem passum existimauit,

S. Hier. in Dan S. Epiphan. in vita Danielis.

uit, qui tam inuidus, tam ſuperbus, tam Deo & Prophetæ inobediens, & tantus Dauidis perſecutor fuit? Quas ob cauſſas dicitur: *Spiritus autem Domini receßit à Saul, & exagitabat eum Spiritus nequam, à Domino.* Recedente ergo ſpiritu Domini, animaq; virtutibus euacuata, ſuccedit ſpiritus nequam; ſicut in domum ab hominibus deſertam, immigrant vlulæ, & veſpertiliones, & ſtriges. Huic nocturnæ & malè ominatæ aui nidus vitijs paratur & ornatur; & ibi vbi vſque ad puluiſculum, vt aiunt, virtutes ſunt eliminatæ, libenter habitat ſpiritus immundus, cui locus immunditijs mundatur, & ſpurcitijs ornatur. Hunc ergo hoſpitem inuitat, qui animam ſuam ad hunc modum ornat; iuxta illud: *Cùm immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquoſa, quærens requiem: & non inueniens dicit: Reuertar in domum meam, vnde exiui. Et cùm venerit, inuenit eam ſcopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe, & ingreßi habitant ibi.* Hoc ipſum declarat Caſſianus his verbis. *Conſtat, immundos ſpiritus,* (ordinariè) *non aliter poſſe in illos, quorum*

1. Reg. 16. 14.

Luc. 11. 24.

Caſſian. collat. 7. c. 24.

quorum corpora obtenturi sunt, penetrare; nisi priùs eorum mentes cogitationesq; possederint. Quos cùm timore ac memoria Dei, vel spirituali meditatione nudauerint, velut exarmatos omni præsidio, ac munitione diuina nudatos, facilè vincendos audenter inuadunt: domicilium deinceps in ijs, velut in possessione sibi tradita præsumentes.

§. X.

Exempla eorum, qui in pœnam à dæmone sunt infesti.

Potest hoc innumeris exemplis illustrari, atque in primis eo, quod in vita S. Tryphonis legimus. Adducta erat, ad hunc sanctum Gordiani Imperatoris filia, à malo dæmone infesta. Eum dæmonem adiurans Tryphon interrogauit, cur ausus esset in puellam hanc intrare? Coactus igitur pater mendacij dicere veritatem, respondit: *Dæmones in illos habere potestatem, qui opera ijsdem grata exercent: qualia sunt, cultus simulachrorum, blasphemiæ, adulteria, veneficia, inuidiæ, cædes &c.* Verum hoc esse, docet historia S. Kiliani à nobis alibi recitata. Summa est. Persuaserat Kilianus Franconiæ Duci, vt Geilanam fratris eius coniugem dimitteret, ne alter Herodes fieret.

Metaphr. 1. Febr.

Sigebert. circa An. 697.

ret. Id mœchæ fuit peracerbum. In vltionem igitur Kilianum interfici iussit. Sed & Geilana experta est diuinam Nemesin, à dæmone enim correpta truculentas pœnas dedit. Scribit in Arnolphi vita Lisiardus, D. Arnolphum cùm pacem etiam atq; etiam suaderet, à Folcardo homine potente præ sanè arroganter contemptum fuisse: ob quem fastum spiritus superbiæ in eum accepit potestatem, illumq; possidens miserandum in modum lacerauit. Gundericus Wandalorum rex templum statuerat compilare; in ipso adhuc limine erat, cùm eum vindex Genius malus anteuertit, & priùs in illum, quàm ille in templum intrauit. Nihil hoc noui. Iam olim *Deus misit in* impios *iram indignationis suæ, indignationem, & iram, & tribulationem, immissiones per angelos malos.* Cur non per angelos malos? qui contra Pharaonem aliosque peccatores ipsas bestias armauit? Sunt angeli isti bestijs etiam sæuiores.

Lisiard. in vita S. Arnolphi cap. 41.

Psal. 77. 49.

§. XI.

Ob leuiores quoque culpas dæmoni in homines dari potestatem.

Sed bestiæ istæ catenis vinctæ, custodijsque clausæ tenentur; irrumpere non possunt,

S Augus. l 4. de ciuit. c. 34.

possunt, nisi in eos, quibus vel culpa talẽ pœnam parat, vel Dei prouidentia. Quo sensu S. Augustinus ait: *Potestas inimica vincit, aut subiugat neminem; nisi societate peccati.* Quamobrem quæstionem mouet, & soluit in hunc modum. *Dicit aliquis, si ligatus est diabolus, vt est, quare adhuc tantum prævalet? Verum est, fratres charissimi, quia multum prævalet: sed tepidis & negligentibus, & Deum in veritate non timentibus dominatur. Alligatus est enim, tanquam canis catenis innexus, & neminem potest mordere; nisi eum, qui se illi mortifera securitate coniunxerit.* In adultis igitur ordinariè & plerumque flagitium aliquod præcedit, quod diabolo ianuam aperit, per quam in hominem ingrediatur. Testem do D. Hieronymum, cuius hæc verba sunt: *In Gazensis emporij oppido, virginem Dei, vicinus iuuenis deperibat. Qui tùm frequenter tactu, iocis, nutibus, sibilis, & cæteris huiusmodi, quæ solent morituræ virginitatis esse principia, nihil profecisset, perrexit Memphim; vt confesso vulnere suo magicis artibus rediret armatus ad virginem. Igitur post annum doctus ab Æsculapij vatibus subter limen domus puellæ tormenta quædam verborum, & portentosas figuras.*

S. Hieronym. in vita Hilarij.

guras, sculptas in æris Cyprij lamina defodit. Illico insanire virgo, & abiecto capitis amictu rotare crinem, stridere dentibus, inclamare nomen adolescentis. Magnitudo quippe amorus eam in furorem verterat. Perducta à Parentibus ad Monasterium seni (Hilarioni) traditur, vlulante, statim, & confitente dæmone: Vim sustinui, inuitus sum adductus. Quam bene Memphi somnijs homines deludebam? O cruces! ô tormenta! quæ patior? Exire me cogis, & ligatus subter limen teneor. Non exeo, nisi adolescens, qui ligauit, dimiserit. Tum senex, Grandis, ait, fortitudo tua, qui lino & lamina strictus teneris. Dic quare ausus es ingredi puellã Dei? vt seruarẽ, inquit, eam virginem Tu seruares proditor castitatis? cur non potiùs in eum, qui mittebat es ingressus? vt quid, respondit intrarem in eum, qui habebat collegam meum amoris dæmonem? Noluit autem sanctus iubere signa perquiri, ne aut solutus Dæmon incantationibus videretur recessisse, aut ipse sermoni eius accommodasse fidem, asserens fallaces esse dæmones, & ad simulandum callidos. Seuerè autem, reddita serenitate, increpuit virginem, cur fecisset talia, per quæ dæmon intrare potuisset? Qualia autem ea fuerint non expressit,

pressit, vel ne virginem infamaret; vel, vt minoris culpæ tam graui pœna, alios à maioribus quoq; peccatis absterreret.

§. XII.

Clariora exempla eorum, qui ob leues culpas, traditi sunt diabolo cruciandi.

Si enim in virgine inuenit, ob quod in eam immigrare potuit immundus Spiritus, quot causſas habebit in Helena aliqua, aut Thaide? Atque vt, quæ leuiora videntur, sufficere intelligas ad hospitij istius apparatum, Romæ, *quadam die Dei famula ex monasterio virginum hortum ingressa est, quæ lactucam conspiciens concupiuit, eamq; signo crucis benedicere oblita, auidè momordit: sed arrepta à diabolo protinus cecidit. Cumq; vexaretur, Patri Equitio sub celeritate nunciatum est, vt veniret concitus, & orando succurreret. Moxq; hortum idem pater vt ingressus est, cœpit ex eius ore quasi satisfaciens ipse qui hanc arripuerat diabolus clamare, dicens: Ego quid feci? ego quid feci? Sedebam ibi super lactucam, venit illa, & momordit me. Cui cum graui indignatione vir Dei præcepit vt discederet, & locum in omnipotentis Dei famula non haberet. Qui protinus abscessit, nec eam vltrà contingere præualuit.* Itaque non

S. Greg. lib. 1 dial. cap. 4.

cogita-

cogitatio tantùm impura, locum dat diabolo, sed etiam leuis indulgentia gulæ, aut crucis faciendæ neglectus; &, vt Petrus Thyræus (qui in hoc argumento est valde locuples, magnamque disputandi materiã suppeditauit) docet, *certum est, veniales culpas dæmonibus homines ingrediendi occasionem præbuisse.* Confirmat hanc doctrinam Cassianus hoc exemplo. *Cùm esset Moyses singularis, & incomparabilis vir, ob reprehensionem vnius sermonis, quem contra Abbatem Macharium disputans paulò duriùs protulit, quadam scilicet opinione præuentus, tam diro confestim est traditus spiritui, vt humanas egestiones ori suo ab eo suppletus ingereret. Quod flagellum purgationis gloria se Dominus intulisse (ne scilicet in eo vel momentanei delicti macula resideret) velocitate curationis eius atq; aucto remedio dæmonstrauit. Nam continuò Abbate Macharío in oratione submisso, dicto citiùs nequam spiritus ab eo fugatus abscesſit.* En quid vnum impatiens verbum; quid leuis gula, quid fortè incauta cogitatio puellæ superioris, in diuino conspectu, pœnæ meruerit? Quibus pœnis digni erunt in omne scelus fatuati?

Pet. Thyræus p. 2. de dęmoniacis c. 30.

Cassian. collat. 3. c. 27.

§. XIII.

Multò magis, ob grauiora peccata, alij puniri recensentur.

Quid alij merebuntur, qui se se in illicitas voluptates totos immergunt? qui vino & ingluuie ventris non rationis tantùm, verùm etiam sanitatis vigorem opprimunt? qui in peccata conantur etiam esse ingenioſi? Sueſſionenſis Eccleſiæ Epiſcopus Arnolphus poſtquam ab adoleſcente totam dæmonum legionem exturbauit, quæſiuit ex eo priſtinæ ſanitati reſtituto, quanam de cauſſa tam atroci malorum ſpirituũ tyrannidi traditus fuerit? Cui adoleſcens: *vindicta*, inquit, *quam in alio probaui, præcipua mali, quod paſſus ſum, cauſſa fuit. Porrò fugientem me dæmones primùm inſecuti: poſt aſſecuti circumſteterunt; & vbi vehementer terruiſſent, ingreſſi fuerunt infelicem.* Itaque cur non vindictæ appetentes talem vindicem mereantur, ſi merentur vindictæ approbatores? Cur ſuperbos nõ hoc pacto humiliaret, qui eſt *rex ſuper omnes filios ſuperbiæ?* Sic ingreſſus eſt mox illum religioſum, vbi Popponis Stabulenſis Abbatis ſui mandatum implere neglexit, & non ſine contemtu præteriuit. Superbos

Liſiard. Epiſcop. Sueſſion. in vita S. Arnolph.

Iob. 41.

Euerhelmus Abb. Altimõtenſis in

bos pariter, & inobedientes, ac suis parentibus impiè ingratos eandem pœnam sæpe sæpius irrogatã legimus, vt quod peccatum est frequentissimum, etiam frequenti exemplo puniretur. Venerunt aliquando ad S. Parthenium parentes duo, cum adducto filio, qui grauibus tormentis à dæmone quatiebatur. Eum Sanctum enixè rogauerunt, vti filium suum pristinæ restitueret sanitati. His S. Parthenius ita respondit: *Sinite, torqueatur. parricida est: parentibus vobis sæpe molestus fuit: & quam eidem optastis, iustam sustinet castigationem.* Quo exemplo non filij tantùm discunt esse morigeri erga parentes, sed etiam parentes monentur, ne filijs irati diabolum imprecentur. Audit enim Deus, & vtramque partem subinde vno plectit ictu, peccantes, & imprecantes. Habent ergo postea, & quod meruerunt illi, & quod petierunt isti; nec possunt iure conqueri contra Deum, à quo impetrauerunt, quod optauerunt. Sic ille pater filiæ quinquenni, quam deprehenderat lac comedentem, ira efferuescens imprecatus est, *vt vna cum lacte diabolum voraret.* Vix verbum hoc illi ex ore euolauit, cùm diabolus inuolauit

vita Popponis cap. 18.

Metaphr. 7. Febr.

Cæsarius l. 5. c. 26.

Idem lib. eod. c. 11. & 12,

in puellam; quam vsque ad maturam ætatem miserè cruciauit. Alia duo recenset idem author, vnum de vxore, alterum de filio, quibus maritus & pater diabolum imprecatus est cum effectu. Nihil habent ergo isti, quod accusent Mundi gubernatorem. Digni sunt hac pœna, in qua Deum ludunt. Ludunt autem, si petunt, quod nolunt impetrare.

§. XIV.

Sancti dæmonem in alios sæuientem impetrantes.

Quanquam etiam bono zelo Sancti leguntur hunc Spiritum præuaricantibus imprecati, vel pro potestate sua etiam immisisse, in iustam peccati pœnam, ac emendationem. S. Eligius Nouiomensis Episcopus, viderat à suis subditis, in natali die S. Petri, impios quosdam ac superstitiosos chorearum ritus celebrari. Eos, pro officio suo, volebat esse abrogatos. Vsus argumentis; surdi fuerunt. Vsus est imperijs; quasi saxum fuêre immobiles. Vtq; plerumq; est inemendabilis pertinax consuetudo, cùm corrigi deberent, facti sunt longè insolentiores. Vltimum remedium petijt à Deo Eligius, vt in eos animaduerteret.

Audoen. Rhotomagensis præsul in vita S. Eligij lib. 2. c. 20.

ret. Petijt, impetrauit. Mox enim amplius triginta (alij quinquaginta numerant) obsessi sunt à spiritibusi mmundis. Tremuerunt hoc tam diro spectaculo reliqui, & sociorum miserti Sanctum virum rogauerunt, vt eos hoc supplicio liberaret: quibus respondit: *Experiantur priùs, cui seruire elegerint.* Perdurauit ea vexatio, per solidum annum. Vertente anno, ac natali S. Petri demum redeunte, intolerabili illa tortura sunt liberati. Ita plebeia petulantia minimè plebeo modo, & chorea choreis ipsis punita est. Castigata quoque ad eundem modum militaris licentia legitur, apud Magnum Gregorium. Siquidem *Valeriæ prouinciam Longobardis intrantibus, ex monasterio reuerendißimi viri Equitij in prædicto oratorio ad sepulchrum eius monachi fugerunt. Cumq; Longobardi sæuientes oratorium intrassent, cœperunt eosdem monachos foras trahere, vt eos aut per tormenta discuterent, aut gladijs necarent; quorum vnus ingemuit, atque acri dolore commotus clamauit: Heu, heu, Sancte Equiti, placet tibi, quòd trahimur, & non nos defendis? Ad cuius vocem protinus sæuientes Longobardos immundus spiritus inuasit. Qui corruentes in terram*

S. Greg. lib. 1. dial. c. 4.

tam diu vexati sunt, quousque hoc cuncti, etiam qui foris erant, Longobardi cognoscerent, quatenus locum sacrum temerare vlteriùs non auderent. Vtinam, hoc tempore, Equitij hæc potestas etiam alijs Diuis concederetur, quorum templa quotidie violantur! Sed ea, prô dolor, est militaris disciplina, vt milites ipsi diabolorum vice fungi videantur. Ceterùm non est nouum, si sanctis aliquando hæc potestas datur, cùm, vt su-

1. Cor. 5. 5. prà vidimus, etiam Corinthiũ Paulus tradiderit Satanæ *in interitum carnis, vt Spiritus saluus fieret*; vt alibi Hymenæum quo-

1. Tim. 1. 20. que & Alexandrum, ob blasphemias. Accusatis enim ijs, qui *circa fidem naufragauerunt*, addit: *ex quibus est Hymenæus, & Alexander: quos tradidi Satanæ, vt discant non blasphemare.* Quæritur, quid sit tradere Satanæ? Respondetur, eos qui excom-

Theodor. in 1. Timoth. 1. v. 20. & S. Ambros. ibid. municantur tradi Satanæ, qui extra Ecclesiam regnat, eoque ipso excommunicatos, tempore Apostolorum, solebat in anima, & in corpore affligere. Dum enim orationibus, suffragijs, sacrificijs, sacramentis, societate Christi atque Ecclesiæ, diuinaq; protectione, & pastorali cura alijsque bonis priuabantur, ita tyrannidi & incursi-

bus

bus dæmoniorum exponebantur, vt in eos magis quàm antè grassarentur, ægritudine corporis, vulneribus aut plagis, quasi possessos, hoc est enim *in interitum carnis* tradere. Quemadmodum postea, cùm S. Ambrosius quendam Satanæ tradidisset, dæmon eodem momento eum abripiens discerpere cœpit.

Paulin. in vita S. Ambrosij

§ XV.

Quàm iustè Diui subinde, immisso malo spiritu, impios puniant?

Quòd si mortales hoc rectè fecerunt, cur non & Diui cælites, eodem vindice vterentur, ad honorem suum defendendum? Enimuerò vsi sunt. Luculentus testis est Gregorius Turonensis, apud Tricassinorum Campaniæ vrbem templum fuisse, in quo S. Lupi ossa condita fuerunt. Ad illud templum Mauri cuiusdam seruus confugit, quem assecutus herus in S. Lupum verba blasphema euomuit, qui extemplo diuinam vltionem sensit. Quippe lingua, qua dira verba effudit, obriguit; & Tartareo enthusiasmo agitatus horrendum mugire, totamq; clamoribus inconditis ædem replere cœpit, tertiaque die, cum grauissimo cruciatu, vitam finiuit. Vt Ma-

S. Gregorius Turonens. cap. 67. de Gloria Confess.

tris quoque suæ honorem defenderet Christus, ad eundem modum in illam blasphemos puniuit. Nam, vt post Cedrenum Baronius memorat, aliquando Græci in domo cuiusdam prandentes, eò prolapsi sunt, vt in Virginem Deiparam conuitia & execrationes iacerent. Horum aliqui illico à malis spiritibus correpti pœnas dederunt. Diabolicum crimen est, blasphemare; jure igitur meretur diabolum punientem, vt impij isti jam eum tortorem incipiant pati, quem in inferno æternum sustinebunt punitorem. Denique quid homines queruntur, se permitti à Deo diaboli potestati, vel sanctis se vindicantibus, vel parentibus imprecantibus; cùm toties ipsi sibi diabolum imprecentur? Nonnè digni sunt, vt exaudiantur, & monstrosè optantes monstra fiant? ô si homines agnoscerent, quantum sit malum à diabolo possideri, & multò magis, ab illo in infernum abripi; vtiq; sibi ipsis non imprecarentur, ab hoc tam crudeli hospite possideri; neq; iurando tam temerè dicerent: *Diabolus me rapiat: Mille diaboli me lacerent; Mille diaboli me auferant, si hoc, vel illud feci.* Fecerunt, & audent iurare? Veniret prorsus in exi-

Baron. to. 7 An. Christi 630.

in exitium humanum tam auidus hostis, nisi diuinæ bonitatis immensitas cupientem toties prohiberet. Quæ proinde potiùs admiranda est, quòd non sæpius faciat potestatem diabolis in homines insiliendi; quàm quòd tam rarò in sceleratissimos, & omni supplicio dignissimos eos immittat.

§. XVI.

An, & cur innocentes Deus sinat à malis spiritibus insideri?

Illa itaque maior potest esse quæstio, cur aliqui absque vlla sua culpa sinantur à cacodæmone vexari? Nam & tales à malo spiritu subinde inuadi, cum experientia docet D. Augustinus his verbis: *Graue iugum filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, vsq; in diem sepulturæ & matrem omnium, vsque adeò impleri est necesse; vt ipsi paruuli per lauacrum regenerationis ab originali peccato, quo solùm tenebantur vinculo, iam soluti, multa patientes nonnulli incursiones Spirituum malignorum patiantur?* Habentur huius generis quàm plurima exempla. Sufficit illud, quod Marcus recenset, de eo qui dixit: *Magister attuli filium meum ad te habentem spiritum mutum: qui, vbicunque eum apprehenderit, allidit illum, & spumat,* S. Aug. lib. 21. de ciu. c. 18. Marc. 9. 16.

& stridet dentibus, & arescit: & dixi discipulis tuis, vt eijcerent illum, & non potuerunt &c. Et interrogauit Christus: *Quantum temporis ex quo ei accidit? At ille ait. Abinfantia.* Itaq; ab infantia nonnullis hoc accidit, & contra scripturam negari non potest. Cur igitur innocentes, & qui peccare nondum possunt, permittit torqueri Deus? Vt variæ sunt causſæ, ita quoque variæ possunt dari responsiones. 1. Quærit, & respondet D. Hieronymus in hunc modum: *Quæ causſa est, vt sæpe bimuli, trimuliúe & vbera materna lactentes, à dæmonio corripiantur? Inuisibilia hæc, inscrutabili Altissimi iudicio sunt relinquenda.* 2. Etsi de eo, quod plerumque fit, loquens, S. Augustinus dicat: *Potestas inimica vincit aut subiugat neminem, nisi societate peccati*; potest tamen ea potestas etiam ob alienam culpam concedi. Cùm enim in bonis, quæ quis possidet, queat puniri, possunt etiam ipsi homines nonnulli aliorum bona censeri, vt sunt serui dominorum, filij parentum. *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me.* Quanta sunt sæpe parentum scelera,

S. Hiero. epip. ad Paulam de dorm. Blesillæ.

S. Aug. lib. 10. de ciu. c. 22.

Exod. 20. 5

scelera, quorum castigatio in filijs, quid mirum est, si cernatur? 3. Num Deus iniustus fuit, quando permisit à dæmone Iobum cædi? At Iob vir rectus & innocens fuit? Sic magnę immo maioris præbuit patientiæ exemplum. Ob eandem causſam potest diuina prouidentia permittere, vt alij penitus à dæmone insideantur. 4 Potest etiam hæc plaga scutum esse contra peccatum: quamobrem refert Sulpitius, Eremitam quendam à Deo postulasse, & impetrasse, vt per menses aliquot eius corpus ab inhabitante dæmonio affligeretur, ob periculum peccati superbiæ. *Cognouit profectò vir pius*, addit Thyræus, *non semper præteritis & commissis peccatis tribui dæmonum torturam, sed quandoque admitti; ne in peccata homines incidant, Deumq; offendant.* 5. Faciunt huc etiam reliquæ diuinæ prouidentię causſæ, de agnitione spirituum, & infernalium tormentorum; de peccati detestatione, quæ inde hauriri potest. Quibus adde, hinc multos sanctos innotuisse, qui potestate diuinitus accepta dæmones eiecerunt; hinc Euangeliū fuisse confirmatū; hinc crucis formandæ vim intellectam; hinc vsum aquæ benedictæ appro

Sulpit. in vita S. Martini dial. 1.

Petrus Thyræ. p. 2. de dæmon. c. 34.

approbatum ; hinc sacramentorum baptismi, confessionis, & Eucharistiæ virtutem illustratã; quibus omnibus prædictus author, alijque scriptores, dæmonem cessisse docuerunt. Esto igitur faciat ex obsessis monstra monstrosus ille habitator, non facit id, sine iusti Dei permissu, non sine prouidentia, non sine caussa, non sine mille emolumentis.

§. XVIII.

Exemplum innocentis à diabolo infestæ feminæ.

Hoc pacto consolatus est S. Cuthbertus præfectum Egfridi regis Hildmer nomine, *cuius vxor cùm eleemosynis & ceteris virtutum fructibus esset intenta, subitò correpta à dæmone acerrimè cœpit vexari, ita vt stridendo dentibus, voces miserabiles emittendo, brachia vel cetera corporis sui in diuersa raptando, non minimum cunctis intuentibus vel audientibus incuteret horrorem.* Ea ita iacente, maritus concitato equo Cuthbertum adijt, req; ipsa cælata, ab eo petijt sacerdotẽ. At Cuthbertus ad orandum secedens diuinitus didicit rei veritatem. *Reuersusq; ad eum, Non inquit, alium mittere, sed ipse ad visitandam eam tecum pergere debet.*

Ven. Beda in vita S. Cuthberti c. 15.

beo. Cumq; agerent iter, cœpit flere homo, & dolorem cordis profluentibus in maxillam prodere lachrymis. Timebat enim, ne cùm eam damoniosam inueniret, arbitrari inciperet, quia non integra Domino, sed ficta fide seruisset. Quem vir Domini blandè consolatus, Noli, inquit, plorare, quasi inuenturus sim coniugem tuam, qualem non velim. Scio enim ipse, quamuis te dicere pudeat, quia dæmonio vexatur: scio etiam quia priusquam eò peruenerimus, fugato dæmonio liberabitur, ac nobis aduenientibus cum gaudio occurrens, has ipsa habenas sanißima mente excipiet, nosq; intrare citiùs obsecrans, ministerium quod consueuerat, nobis sedula impendet. Neque enim tali tormento soli subijciuntur mali, sed occulto Dei iudicio aliquoties etiam innocentes in hoc sæculo, non tantùm corpore, sed & mente captiuantur à diabolo. Hæc ille, quæ clarè ostendunt, energumenos, de quorum scelere nihil constat, non esse temerè, tanquam sceleratos, iudicandos; sed sæpe ad Sanctorum gloriam, à quibusliberantur, alijsq; occultis Dei iudicijs, cruciari. Neq; enim vnica tantùm Deo est rerum permittendarum caussa. Noui hominem in suis oculis magnum, qui ausus est alium nõ solùm

lùm apud ceteros differre, verùm etiam manifestè persequi, quòd audisset, eum à dæmone vexatum. Idem, credo, fecisset Iobo, si cum illo vixisset. O quàm iusta sunt iudicia Dei! Nam hic ipse, eodem vexationis genere, per eiusdem spiritus ministrum, paria passus est: sed non paria de se judicauit. Quia enim *non videmus manticæ, quod in tergo est,* sibi ipse ignouit, immò laudi duxit, quod in altero censuit esse indicium improbitatis.

CAPVT XIV.

An, & quomodo diabolus possit creaturas in monstra conuertere?

§. I.

Sensus quæstionis, & aduersariorum fundamenta.

SVperest tertius modus, quo diabolus non jam se ipsum, neq; eos, quos possidet monstrificos facit, sed homines & ceteras creaturas videtur reipsa ac verè in monstra mutare. Satis enim monstrosum est, si animal aliquod de vna specie in aliā transformatur: quod num fiat, & quo modo fiat, aut non fiat, tamen

ametſi ſuprà, cùm de rege Nabuchodonoſore ac ſtatua ſalis ex coniuge Lot facta diſſereremus, obiter perſtrinximus, hîc tamen tanquam ſuo loco, pluribus meritò diſcutiendum eſt. Atque in primis non quærimus, an ſubſtantiam aliquam cacodæmon creare poſſit, ſed de mutatione, quæ ad ſubiectum ordinem dicit. Creatio non fit ex ſubiecto, ſed ex nihilo; quare, cùm in agente infinitam potentiam exigat, nulli ſpiritui creato tribui poteſt. Quærimus ergo an Stygia arte, ſubſtantia ex ſubiecta materia produci, & homo in beſtiam, vel beſtia in hominem mutari poſſit, aut vna beſtia in aliam? Nec ratio deeſt pro hac ſententia, nec experientia. Ratio eſt illa, quòd cælum poſſit producere viuentia, quæ dicitur eminenter continere; cur igitur & ſpiritibus ea poteſtas negetur, qui ſunt longè cæleſtibus corporibus eminentiores? Experientiæ autem præter Nabuchodonoſorem, & vxorẽ Lot, agminatim poſſunt recenſeri taliũ tranſmutationum, vel à magis factarum. Sed his aliæ ſunt experientiæ præmittendæ, quæ cùm ſint opera naturæ, ſtupendis metamorphoſibus, hominis quoque in brutum,

Vide S. Thomam 1. p. q. 44. a. 1. & q. 45. a. 1. & 5.

tum, aut bruti in hominem metamorphosin videntur probare.

§. II.

Mirae plantarum, & animalium metamorphoses.

Quòd si enim concessa mortalibus facultas est, efficiendi vt rosas proferat cerasus, vel brassica poma, cur non idem contingere possit in sentientibus?

Virgil. lib. 2. Georg.

Quin & caudicibus sectis (mirabile dictu)
Truditur è sicco radix oleagina ligno.
Et sæpe alterius ramos impunè videmus
Vertere in alterius, mutatamq; insita mala
Ferre pyrum, & prunis lapidosa rubescere corna.

Si humana virtute ferrum in chalybem, argentum in aurum vertitur, inquit Bodinus acerrimus huius sententiæ propugnator, *quis damonem viribus tam imbecillum esse sibi persuadeat, vt hominem in bestiam commutare nequeat?* Narrat Scaliger, folia arborum iuxta Iuuernam fluuium sitarum, si in flumen decidant, pisces fieri; si humum petant, ex ijs terrestria quædam animalia gigni. Apes ex cadauere bubulo, ex equi crabrones, ex cancro scorpione generari vel Poëta canit. *Non-*

Nonne vides quacunq; mora, fluidoq; calore Ouid. l. 15 Metam.
Corpora tabuerint, in parua animalia verti?
I, quoq; delectos mactatos obrue tauros
(Cognita res vsu est) de putri vistere passim
Florilegæ nascuntur apes,

Et paulò pòst. *Pressus humo bellator equus crabronis origo est.*

Concaua littoreo si demas brachia cancro,
Cetera supponas terræ, de parte sepulta
Scorpius exibit, caudaq; minabitur vnca.

Aristoteles Peripateticæ Philosophiæ author, papiliones ex erucis, has ex virentibus folijs, maximeque ex brassica nasci, cum experientia docet. *Primum*, ait, *minus quid milio consistit in folio, mox vermiculi inde contrahuntur & accrescunt, tum intra triduum eruculæ efformantur, quæ auctæ motu cessant, suaq; forma immutantur, appellanturq; tantisper chrysalides, quasi aurelias dixeris. Duro sunt intectæ putamine, ad tactũ mobiles, meatibus araneosis obductæ, non os, non aliud ex membris, quod conspicuum sit, possi-*

dent. Longo post tempore putamine abrupto euolant, inde animalia pennigera, quos papiliones vocamus. Et paulò infrà. *Fit ex quodam verme grandiore, qui velut cornua gemina protendit, primùm toto immutato, eruca, deinde, qui bombyx appellatur, ex quo necydalus, inualidam dixerim. Qua varia formarũ successio in semestri temporis spacio completur.* Mira de animali quodam terrestri, apud Iaponas, Pererius refert. Est illud corporis magnitudine figuraque non dissimile cani, mollissimo pilo, & suauissimis ad edendum carnibus. Hoc certo anni tempore vehementer appetit, & frequentat mare; in quo identidem natans, & se se mersans, membratim fit piscis. Tandem exuta prorsus terrestris animalis figura in piscis similitudinem & naturam commutatur. Cùm igitur res interitui obnoxiæ tantis polleant viribus, vt vna res in aliam vertatur, non videtur ea vis dæmonibus neganda, qui potentiâ cuncta, quæ terræ ambitu comprehenduntur, longo post se interuallo, relinquunt.

Benedict. Perer. in Daniel. 5. cõment.

§. III.

Sexuum inter se naturalis transmutatio.

His naturalibus rerum commutationibus

bus accedunt maris in feminam, & feminæ in marem transformationes, quas nullus, nisi omnem historijs fidem abnegare velit, inficias iuerit. Cænis femina, apud Ouidium, in Cæneum virum, in puerum Iphis puella mutata est.

Ouid. lib. 12. 9. & 15. Metam.

Tiresias angues baculi violauerat ictu,
Deq; viro factus (mirabile) femina septem
Egerat autumnos,

octauo autem rursus, visis & percussis anguibus ijsdem,

Forma prior rediit, genitiuaq; venit imago.

Ac ne hæc vt fabulosa explodantur, puerum ex virgine factum Paulo Licinio Crasso, & C. Cassio Longino Coss. in publicis Romanorum annalibus annotatum esse, & à Mutiano Consule pro vero sibiq; explorato accepisse, & à seipso in Africa manifesto exemplo compertum, memoriæ prodidit Plinius. Ex recentioribus quoque historiographis narrat Fulgosus, sua ætate, regnante Neapoli Ferdinando primo, duas Ludouici Guarnæ Filias Franciscam & Carolam post decimum quintum ætatis annum sexum mutasse, mutatoque

habitu pro maribus habitas Franciſcum & Carolum deinceps nuncupatas fuiſſe, cuius exempli Petrus Fonſeca meminit, & alterius ſimilis Sotus de quodam qui ex femina factus ſit vir. Vnde argumentum ducunt, putantq; non minùs arduum eſſe, virum in feminam, quàm hominem in beſtiam mutare; quaſi ſcilicet femina à viro non plus; quàm beſtia ab homine diſcreparet.

Petrus Fonſec. in 5. Metaphyſ. Sotus in 4. d. 1. q. 5. art. 8.

§. IV.

Qui authores, & quæ exempla doceant, homines in lupos, aliasq; beſtias mutari?

Rurſum ait Bodinus, *tranſmutationem hominum in beſtias agnouerunt Pomponatius, Theophraſtus, Paracelſus, principes ſuæ ætate Philoſophi, Herodotus author antiquiſſimus, Homerus poëtarum quaſi Deus; M. Varro Græcorum Latinorumq; (Tullio teſte) doctiſſimus, Pomponius Mela, Dionyſius Afer, Strabo, Virgilius, Ouidius, & ſexcenti alij viri eruditionis laude clariſſimi, pro indubitato confirmant. Hoc exemplorum innumerabilium experientia, iudicia, & ſupplicia imagos conſtituta, & diuinæ atq; humanæ omnium gentium hiſtoriæ certiſſimæ probant, quibus ſe opponere, ſeq; ſolum ſapere velle hominis frontis*

frontis perfricta est, & qui iam impudentiæ callum obduxerit. An non apud S. Prophetam Danielem legimus, Nabuchodonosorem fortunæ fauoribus elatum in bouem mutatum esse, septemq; annorum spatio fœnum & gramen duntaxat comedisse? Vxorem quoque Lot in salis statuam conuersam sacræ tradunt litteræ. Quidam adferunt magorum Pharaonis exemplũ, qui non minùs, quàm Moyses baculos in serpentes commutarunt. Narrat M. Varro, Arcades transnatasse stagnum quoddam, atque in lupos commutatos, inter feras, per illius regionis deserta, vixisse; etsi carne humana abstinuerint, decurso nouem annorum spatio, eodemq; rursus tranato stagno, in homines reformatos esse. D. Augustinus, seipsum, dum in Italia versaretur, audiuisse asserit, de regione quadam, vbi stabulariæ mulieres magicis imbutæ artibus, caseũ dare solebant viatoribus, vnde in iumenta illico mutarentur, & necessaria quæque clittellis portarent, postq; perfuncta opera ad se se redirent. Mira huius rei testimonia refert Olaus Magnus Archiepiscopus Vpsalensis. Scribit, in Prussia, Liuonia, & Lithuania, sacrosancta illa nocte,

qua Christus in hasce terras humana carne vestitus venit, feris immaniores homines se se in lupos conuertere, tantaq; ferocia in homines sæuire, vt pluribus maioribusq; se ab illis, quàm à veris lupis, quorum tamen magna inibi est copia, incommodis vexari illius regionis incolæ testentur. Ædificia in siluis mira atrocitate oppugnant; fores effringunt, & obuia quæq; prosternunt, dilacerant, deuorant, cellaria ingrediuntur, & vino cereuisiaque se ingurgitant. Vbi vasa euacuarunt, omnia in medio cellarij vnum super aliud eleuando collocant, in quo à genuinis lupis, ait Olaus, degenerant. Intra Lithuaniam verò, Samogethiam, Curoniam, parietem ex castello diruto reliquum esse idem asserit, ad quem certo anni tempore aliquot millia huiusmodi luporum, quos inter magnates, & ex prima nobilitate viri, conueniunt, ibiq; eximiam vnuscuiusq; agilitatem explorant; & si qui parietem transilire nequiuerint, flagris digni à Præfectis judicati, acerrimè cæduntur. Immò priore sæculo, Anno supra sesquimillesimum quadragesimo secundo, Sultane Solymano imperij gubernacula tenente, tanta huiusmodi

iusmodi luporum vis, Constantinopoli fuisse narratur, vt armatus Imperator prætoriano stipatus milite ad centum & quinquaginta, vniuerso prospectante populo, ex vrbe eiecerit. Putantur autem omnes fuisse homines, in lupos transformati. Quales sæpè, nostra quoque hac ætate, auditi, visíque sunt in pagos intrasse, & rusticos miris modis vexasse, aut eos in via inuasisse. Vnum in vicinia nostra ex his lupis, cùm educto gladio quidam vellet ferire, astitit repentè seniculus, exuuijs lupinis in auram resolutis, & sibi parci rogauit: cui, etsi is, quem inuaserat, vulnus non imposuit, tamen magistratus parcere non debuisset. Audiui adhuc puer de pica viatorem ad passus multos secuta, ac identidem importuniùs garriente, eumque velut ludente: quæ, cùm ille eam fistulæ æneæ explosione petijsset, ac tetigisset, penna vna alteráue cum fasciculo clauium ex arbore decidente, auolârit. Postea & ille domum reuersus, hospitam reperit brachio læso decumbentem, intellexitque, & claues illius fuisse, & illam in pica sibi circa caput obuolasse. Hanc historiam puto esse eandem cum illa, quam refert Martinus Del- Martin. Delrio

lib. 5. Disquis. Magic. sect. 3.

rio sibi, in Belgio, à Wanderburchtio Ecclesiæ Melchinienſis Decano hoc modo recenſitam. *Municeps bombardam gerens deambulabat extra municipium: cui ecce obſtrepunt multæ aues ex obſcœnis, corui & picæ in arbore prope viam. Sclopum collimat, & diſplodit. Viſus ſibi vnam certo ictu peculiſſe, & decidiſſe de ramo, reperit ſolam ferream clauem de cingulo muliebri delapſam. Capit, & domum rediens narrat amico, & num norit clauem? quærit. Reſpondet alter, ſe noſſe clauem vicinæ domus N. Itur ad domũ, reperiunt ianuam clauſam; inſerunt in ſeram clauem. recludunt. ingrediuntur, pro familiaritate, quæ illis cum patrefamilias. Ingreſſi matrem familias inueniunt, glande latum ictam.* En vt nec ouum ouo ſimilius eſt, quàm hæc hiſtoria priori: vt meritò eadem videri poſſit. Quanquã illa in Sueuia, hæc in Belgio contigiſſe dicatur. Sed nihil obſtat, idem bis, & in pluribus locis contigiſſe: potuit enim talis pica & in Sueuia, & in Belgio fuiſſe, vt jam verè de ea dici poſſet, illud Poëtæ:

Ouid. l. 1. Am. eleg. 8.

Eſt quædam (quicunq; volet cognoſcere lenam,
Audiat) eſt quædam nomine Dipſas anus.

Ea

Ex re nomen habet: nigri non illa parentem.
Memnonis in roseis sobria vidit equis:
Illa magas artes Æaaq3 carmina nouit.
Inq3 caput liquidas arte recurvat aquas.
Scit bene quid gramen, quid torto concita rhombo
Licia, quid valeat virus amantis equa.
Cùm voluit, toto glomerantur nubila cælo:
Cùm voluit, puro fulget in orbe dies.
Sanguine (siqua fides) stillantia sidera vidi,
Purpureus lunæ sanguine vultus erat.
Hanc ego nocturnas versam volitare per umbras
Suspicor, & pluma corpus anile tegi.
Suspicor, & fama est: oculis quoq3 pupula duplex,
Fulminat, & geminum lumen ab orbe venit.
Euocat antiquis proauos atauosq3 sepulchris,
Et solidam longo carmine findit humum.

§. V.

Magarum, & magorum, in Thessalia, transmutatio.

Apul. l. 2, Asini aurei.

Quem morem, & quam artem iam olim in Thessalia fuisse communē Madaurensis Philosophus tradit. *Quippe cùm deterrimæ versipelles in quoduis animal ore conuerso latenter obrepant; vt ipsos etiam oculos Solis & iustitiæ facilè frustrentur. Nam & aues, & vrsum, canes & mures, immò verò etiam muscas induunt.* Ibi cadaueri custos constitutus, dum aduigilaret, hæc sibi accidisse scribit. *Cùm ecce crepusculum, & nox prouecta, & nox altior, & deinde concubia altiora; & iam nox intempesta, mihiq; oppidò formido cumulatior quidem: cùm repentè introrepens mustela contra me constitit, obtutumq; acerrimum in me destituit; vt tantillum animalis præ nimia sui fiducia mihi turbauerit animum. Denique sic ad illam: Quin abis, inquam, impurata bestia, teq; ad tui similes musculos recondis antequam nostri vim præsentariam experiaris? quin abis? Terga vortit, & cubiculo protinus exterminatur.* Expertus est postea, qualis fuerit illa mustela. Atq; sequenti libro nequam ancilla illi indicauit, dominam suam, nocte proxima in

in auem se plumaturã, atque ad suam cupitũ deuolaturam, proin se se ad tantæ rei spectaculum cautè præpararet. *Iamq; circa primam noctis vigiliam*, inquit, *ad superius cubiculum, suspenso & insono vestigio me perducit. Ipsa per rimam ostiorum quampiam iubet spectare: quæ sic gesta sunt. Iam primùm omnibus lacinijs se deuestit Pamphile, & arcula quadam recluſa pyxides pluſculas inde depromit. de quîs vnius operculo remoto, atque indidem egesta vnguedine, diuq; palmulis suis adfricata, ab imis vngubus se totam ad vsque summos capillos perlinit: multumq; cum lucerna secretò collocuta, membra tremulo succussu quatit. Quîs leuiter fluctuantibus, promicant molles plumulæ, crescunt & fortes pinnulæ, duratur nasus incuruus; coguntur vngues adunci. Fit bubo Pamphile. Sic edito stridore querulo, iam sui periclitabunda paulatim terrâ resultata; mox in altũ sublimata forinsecus totis alis euolat. Et illa quidem magnis suis artibus volens reformatur.* Rogauit deinde curioſus Philoſophus ancillam, vt ſibi quoq; inde vnctulum partiretur, atque ex homine auem faceret. Quid fit? *Illa summa cum trepidatione irrepit cubiculũ, & pyxidem depromit arcula*, inquit author, (qui auidè

auidè manus immerſit, & hauſto vnguine corporis ſui membra perfricuit) *Iamq; alternis conatibus libratis brachijs, in auem ſimilem geſtiebam. Nec vllæ plumulæ, nec vſquã pinnulæ; ſed planè pili mei craſſantur in ſetas, & cutis tenella duratur in corium; & in extimis palmulis, perdito numero, toti digiti coguntur in ſingulas vngulas; & de ſpina mea termino grandis cauda procedit. Iam facies enormis, & os prolixum, & nares hiantes, & labiæ pendulæ. Sic & aures immodicis horripilant auctibus. Ac, dum ſalutis inopia cuncta corporis mei conſidero, non auem me, ſed aſinum video.* Hæc Lucius ex Luciano. Nam vterque aſinus fuit; dum vterq; ex Theſſalia Arcadiam fecit.

§. VII.

Sagæ in feles verſæ.

Quod ne Mileſijs fabulis aſcribatur, idem narrant de Badulo rege Anglorum annales; qui & tradunt Ambroſij Merlini incantamentis Vterium regem in Gorloidis Cornubiæ ducis ſpeciem transformatum, vt Igernæ vxoris eius toro potiretur: vnde aiunt Arturum & Annam genitos. Apud Palladium in vita Macarij, mulier in equam verſa circumiuit. *Huius etiam*

Vide Galfridum & Virunium.

etiam apparentis conuersionis strigum in cattos, ait Bartholomæus Spineus, testis alius in hac eadem ciuitate Ferrariæ Philippus nomine, artificio cerdo, sub iudiciali iuramento mihi asseruit, hoc anno: Strigem quandam ante tres menses ei imposuisse, ne prohiberet venire circa puerum (à se fortè strigatum) quem curandum assumserat, si quos blandientes & alludentes videret cattos. Eadem igitur die, dum discessisset illa, viderunt post horam ipse & vxor sua cattum magnum, & hactenus ab eis inuisum, qui ad puerum accedebat concito gradu. Quem cùm ex timore parentes sæpius abegissent, postremò contra venientis vexationem ad impatientiam exarserunt: clausoq; ostio vir ille grauissimè cattum, hinc inde fugientem diutiùs, hasta percussit, & demum ex alta fenestra se iactare compulit, vt toto collisus videretur corpore cattus. Ex tunc autẽ strix illa vetula toto confracta corpore, per plurimos dies lecto decubuit, quo factum est vt leuis, quam priùs habebant, suspicio, quòd striga esset, & puerum suum, qui hac infirmitate strigiatus grauissimè laborabat, ipsa strigiasset, in vehementem transijt, immo & violentam. Etenim percussiones & plagæ, quæ in catto infixæ sunt, in illa vetula sunt inuentæ, quoad

Bartholo. Spin. q. de strigibus c. 16.

quoad morborum correſpondentia. Hæc ille. Simile memini me audire ab eo, qui id accepit ab ipſo cui contigit, hac noſtra ætate. Monachij honeſtus ciuis quidam, nocte, vxore ſua adhuc ad colum ſedente, cubitum ſe receperat. Vix lectum intrauit, cùm felis ſecuta eòdem inſilijt: & principio ad pedes illius quietè iacuit. Hanc vbi contemtim omiſit repellere, paullatim creuit, ſenſimq; ita ſe extendit, vt illi par eſſet; ac mox è fele mulier fieret. Ibi homo exterritus vtraq; manu humanam beſtiam arripit, & cum clamore exiliens eam iterum in felem mutatam ad vxorem ſuam exportat, cultroq; petito, aures illi ambas vult amputare. Ne id faceret, vxor (rei gnara an ignara, haud dixerim) rogando obſtitit, ſatisq; eſſe dixit, ſi per feneſtrã in plateas ſpargeretur, ſimulq; feneſtram reſerauit. Erat inde altitudo ſatis magna, & tamen felis ſine damno cecidit: quæ quàm primùm terram attigit, in mulierẽ rurſus mutata clariſſimo cachinno proiectori gratias egit, quòd ſe auritam dimiſiſſet. Ille, vt tantò manifeſtiùs ſciret, quam illa nocte iacturam feciſſet, habuit altero die obuiam in platea notam ſibi

anum,

anum, quæ subsistens, eo transeunte, atque cum risu in eum respectans, in morem nocturnæ felis, *Meau*, *Meau* clamauit. Ambiguus diu fuit vir ille, an non vetulæ nomen magistratui obijcere deberet: sed timuit, ne illa negante, ipse affirmans litus, quod dicitur, araret, & non crederetur, quod non legitimè probaretur. Potuisset lupum auribus tenere, si aures illi abscidisset. Feciſſet enim ex aurito teste oculatum, si aures ad consulem detulisset.

§. VII.

Sagæ foras vectæ, sub alieno schemate vulneratæ.

Hoc pacto illa deprehensa est, quæ An. 1587. capta est Caleti, vbi ad pontem Nuleti duo Walonum signa, præsidio posita, limitem contra Bolonienses, tum hostes, tuebantur. Sub vesperam, sudo cælo, Procubitores duo conspexerant subnigram nubem supra capita sua transuolantem. Eam dum contemplantur, confusas magnæ multitudinis voces sibi videbantur audire, nullum tamen hominem poterant conspicere. Tum alter audacior, quid hoc rei est, inquit, satin' securi? Si videtur librabo arcubuziam in nubem, & experiar, quid

Martin. Del. l. 5. mag. disq. sect. 3.

quid vehat. Annuente socio, immò iubente, explodit. Dictum, factum. Cum tonitru sclopi, cadit ex nube, non fulmen, sed fulmine icta mulier, ebria, vestibus exuta, bene obeso corpore, & media ætate, iacetq; ante pedes militum femur traiecta duplici vulnere. Difficile est cum hoc hominum genere agere; plenum est mendacijs; plenũ periurijs, & ad fingendum condocefactum. Quare & hæc saga capta, se mentis impotem simulauit, nec fere aliud alloquentibus referebat, quàm: *Hostésne, an fœderati?* Quæ ars est multarum, vt se mentis impotes fingant, præsertim si in antilogijs deprehendantur. Addo alterum ex eodem authore. *Vix quinquennium effluxit*, inquit, *cùm in pago quodam occiduæ Flandriæ, vbi fascinaria pestis mirè gliscit, haud procul à Dixmuda, pœne ad Ieperlee & Isaræ conflugem sito contingit; quod ab homine religioso, fide digno, qui tum illic in vicinia, auditione accepi. Rusticus quidam vna cum filio adolescente in symposio potitans, limis obseruabat coquam mensuras cereuisiæ, quam propinabat (vt solent) bifurca notantem creta. Dissimulat nihilominus dum compotatio soluitur. Tum hospitam vocat, vt calculum expensi*

Idem l. 2. q. 18.

expensi subducat. Petit ista quantum creta notârat: negat ille, & multis vltro citroq; iactis, pecuniam in mensam proiicit, quam sciebat sufficere; & discedit; stomachabunda hæc, tu verò, ait, non hinc hodie poteris domum, vel non ego, quæsum. Abit contemnens mulierculæ minas. Vbi peruenit ad fluuiolum, in quo scapham reliquerat, nequit vna cum filio admodum valido summa ope eam à ripa contis depellere. Diceres clauis affixam vicino solo. Fors duo tresúe milites illic iter habebant. Compellat, & contubernales, clamat, boni. Venite suppetias, vt hinc lintrem de ripa deducamus: merces operæ futura largum à me bibale. Parent & ingressi, quantum possunt, protrudunt. Diu frustra fuêre, anhelus vnus & sudans, quin sarcinas & onera hæc efferimus, fortè vacuam commodiùs deducemus. Fit: Et ecce, mercibus expositis, vident in sentina ingentem luridum bufonem scintillantibus oculis eos intuentem. Non tulit vnus militum, sed gladij cuspide perforatum ad guttur tumidatum in aquam eiicit. Ille quasi exanimis in tergum prouoluitur ventre supinato. Vulnera natitanti imponunt cæteri alia, & repentè nauis soluitur. lætus rusticus ad idem vnde venerat hospitium auxiliatores reducit: po-

tum petit: præbet ancilla: Quærit ille, vbi hospita? audit pessimè habere, & animam in lecto agere. Quid, inquit, inepta, ebrium me putas? Vix media pars horæ elapsa, cùm ego illam isthic sanam, & malam, qualis tu, reliqui? Eo, & visam, quid hoc rei? intrat in thalamũ, inuenit collum & ventrem vulneribus perfossam, laceramq; expirasse. Vnde hæc, exclamat, vulnera? Nescire se profitetur ancilla, nec domo, quod sciret, pedem extulisse. Itur ad Magistratum, vulnera acusim punctimq; illata inueniuntur. Iisdem in locis, quibus bufonem, qui nusquam comparebat, milites distinxerant. Hæc ille.

§. VIII.

Sagæ in vrsum, & sagi in truncum & bouem lepida conuersio.

Quibus addi possunt duo ex Austria. Ibi enim Serenissimus Archidux Carolus in venatione quadam, ceruos, credo, secutus, incidit in immanem quendam vrsum, quem iaculatu plumbeæ glandis petens, audijt fæmineam vocem, *væ mihi*, clamantem, quam secutus, reperit vrsum in anum conuersum, quæ pro præda humi iacuit, ex globi ictu interemta. Rem hanc narrari audiui ab ijs, qui Archiduci erant

erant intimi. Consimile quid, haud ante multos annos, in superiore Austria, contigit, quanquam euentu lætiore. Inter rebellium capita vnus erat, magicæ artis princeps. Is varia commentus est, vt sibi quandam diuinitatis opinionem, apud simplices, conciliaret. Finxit enim impiè se Gabrielis Archangeli generũ esse, eaq; propter multa ab eodem Archangelo futura, multa arcana discere. Pro quibus sacrilegis mendacijs, vti & pro rebellione mercedem suam accepit. Hic ergo vir, ope dæmonis, multa lepida sæpe fecit. Aliquando ambulans ruri, cùm videret procul aduenientem institorem vitrorum, sub corbe dorsuario bene scyphis vtreis onusto, pressum, curuatum, fatigatum; in media via repentè se ipsum conuertit in arboris truncum, vix vno alteroué pede à terra emergentem, & sessui idoneum. Ad quem vbi vitrorum baiulus oppidò lassus peruenit, commodum quiescendi locum ratus, supra assedit, & conniuere oculis cæpit. Dormitanti & nictanti magus, iterum in hominis figuram mutatus se subduxit, vt concidens baiulus pariter, corbis, vitraq; omnia in terram effunderentur.

Fractorum vitrorum sonitu somno excus. sus institor, vidit se inter scyphorum cadauera iacere; neque tam suo casu, quàm miseranda mercis strage iacturaq; mouebatur, eam eiulabili lamentatione deplorabat. Accessit magus, & causſam lamentorum non tantùm audiuit, sed oculis quoq; vidit demonstratam. Ergo vt miserum hominem consolaretur, Succurram, inquiebat, si vis mihi parere; & ita succurram, vt etiam lucrum tuæ mercis sis reportaturus. Cui cùm alter operā suam addixisset, Ecce, aiebat, ego nunc in bouem mutabor, tu me fune ligatum, in proximum oppidum deducito, inibi in foro constitutum vende, & cum pecunia abi. Dixit & adhuc durante sermonis humani voce mugire cœpit; vltima certè syllaba in mugitū desinebat; cumque vellet institor plura interrogare, vidit pro pileo duo alta lateque lunata cornua in capite mugientis stare; proq; gemino pede quadrupedē, pro homine bouem in ijsdem vestigijs hærere, bene pastum, lectum, formosum, qui vt duci posset, funem cornibus implicitum ipse gerebat. Relictis igitur vitrorum fragminibus extemporalem bestiam baiulus trahebat,

hebat, haud inuitè sequentem. Et facilè inuenit emtorem bos tam nitidus & pinguis, præsertim pretio non maximo addictus. Emit eum lanio, atque domum, cum tripudio duxit, gloriatus se eo die bonum forum habuisse. Domi, postquam eum præsepibus innexuit, famulo mandauit, vt ei fœni affatim præberet. Is lætus stabulum adit, & fœnum ambobus brachijs prehensum boui hospiti sufficiens apponit. Hîc mirabile quid accidit. Nam bos claris verbis locutus dixit: *Stulte quid apponis? non vescor ego fœno.* Attonitus servus, *Quid ergo vis comedere?* inquit. Cui bos rursus: *Pulmentis ego vescor* ait. Seruus admiratione plenus ad herum currit, eumque interrogat, Qualemnam bouem emerit, qui loqui sermonem humanum nosset, & non fœno, sed pulmento vesci vellet? Obstupescens lanio, arrepta bipenni adnolat in stabulum; sed nihil ibi reperit, præter funem, quo se suspenderet, si ei pendere liberet.

§. IX.

Experientijs supra narratis, quinam authores decepti sint?

Ita ergo vidimus, arte Tartarea, homi-

nes in boues & vaccas, in vrsos & lupos, in mures & bufones, in picas & noctuas, & deniq; in quæ non monstra mutari posse. Quæ cum ita se habeant, quis, reclamante Græcia, Asia, Italia, Gallia, Hispania, Germania, Polonia, & toto denique terrarum orbe hominis in brutum conuersionem experto, velit negare? aut falsam atque fictitiam asserere? Ob has certè experientias Gaspar Peucerus, qui hasce metamorphoses sibi semper fabulas visas scripserat, tandem multitudine testium & exemplorum, quæ mercatores plurimi fide digni, etiam ex alio orbe, confirmârunt, victus manus dedit, calamumque reduxit, assensumq; contrariæ sententiæ præbuit, affirmanti malos dæmones ex hominibus varia posse monstra producere. Cum Peucero stant Spondanus, Bodinus, Philippus Camerarius, & pauci alij; qui procliuissimè etiã Poëtarum fabulis subscribent, & fabulas non esse fabulas, sed historias dicent, verumque esse testabuntur quod de Lycaone Arcadiæ rege canit Ouidius:

Ouid. l. 1. Metam.

Territus ipse fugit, nactusq; silentia ruris
Exululat, fruſtraq; loqui conatus, ab ipso
Colligit os rabiem, solitæq; cupidine cædis
Vertitur

Vtitur in pecudes, & nunc quoque sanguine gaudet.
In villos abeunt vestes, in crura lacerti,
Fit lupus, & veteris seruat vestigia formæ.
Canities eadem est, eadem violentia vultus,
Idem oculi lucent, eadem feritatis imago est.

Et quod de Hecuba ----- *Priameia coniunx*
Perdidit infelix hominis post omnia formam,
Externasq; nouo latratu terruit auras. Idem lib. 13. Metam.

Item quod de Mida, qui *Aures induitur lenè gradientis aselli.* Qualibus mutationibus pleni sunt Metamorphoseon libri; immò & Homerus, & Virgilius, & alij Poëtæ, qui de Vlyssis socijs, à famosissima illa maga Circe in sues, sicut & Diomedis comites in volucres conuersi memorantur.

§. X.

Sensus humanos errare posse.

Ob hæc autem talia opus non fuisset, vt Gaspar Peucerus Philippi Melanchthonis socer palinodiam caneret, & alij illius assecłæ in eam sententiam descenderent. Verùm sicut à veræ religionis doctrina impiè desciuerunt isti, ita & in Philosophia

varios incurrunt errores: quia intellectum de sede sua, in qua eum supremus arbiter collocauit, deturbantes, principem locum sensibus, quos rationi natura subdit, assignant. *Victus experientia sum*: ait Peucerus. Rationi, mi homo, cedere debet sensus, cuius iudicia sæpe corrigit intellectus, qui errores esse ostendit, quos oculi putant esse demonstrationes. Qui visu solem metitur, communi rota dicet non esse maiorem; stellas autē reliquas ne rotæ quidem æquiparabit. An igitur censendum est asserendumque, solē rotis, stellas pomis esse æquales, dicendumque: *Victus experientia sum!* nequaquam. Sicut ergo diuina fides humanam rationem; ita ratio sensum debet regere. Antè, quàm igitur ad ea, quæ obiecta sunt, respondeam, rei veritatem breuiter explicabo.

§. XI.

A diabolo non posse homines in bestias, aut bestias in homines conuerti.

Sentio igitur primò, multa quidem de commemoratis ficta & fabulosa esse, plurima autem contigisse, negari non posse; immò quædam qui contra tot oculos negaret, impudens; qui contra diuinas litteras

inficias iret, hæreticus esset. Horum autem quædã dæmonis ope & arte facta esse fateor; & mens est affirmare; vt doceam, mali spiritus arte non solùm ipsum dæmonẽ, cùm apparet, esse monstrosum, sed etiam ex alijs non possessis, monstra facere. Tota quæstio est de modo, quo id faciat ille Orcinus artifex. Sentio igitur secundò, neque dæmonem malum, neque ipsos etiam bonos Angelos pollere vlla vi naturali, qua ex subiecta materia substantiam aliquam perfectam producant, aut hominẽ in verã belluam, vel belluam in hominem, aut aliã belluam reipsa conuertant. Quæ sententia non solùm authoritate S. Augustini, sed etiam vnanimi consensu nititur Theologorum. Sunt pro ea verba Concilij Ancyrani ista: *De Domino nostro scriptum est, omnia per ipsum facta sunt. Quisquis ergo credit, posse fieri aliquam creaturam, aut in melius, aut in deterius immuturi, aut transformari in aliam speciem, vel similitudinem, nisi ab ipso creatore, infidelis est.* Per quæ verba non negatur, iuxta mentem Concilij, efficacitas naturalium causarum, sed dæmonum, de quibus ibi sermo erat, & de extraordinarijs immutationibus, quas se facere

S. Aug. lib. 18. de ciu. c. 18. S. Thom. 1. p. q. 110. art. 2. & Theologi in 2. dist. 7.

cere fingunt mali ſpiritus, qui ex rerum viſibiliũ materia non poſſunt facere quod volunt, ſed tantùm id quod in virtute rerum à Deo factarum continetur, applicando actiua paſſiuis. Et quidem ne hoc quidem ad libitum (quid enim non facerent?) ſed quantum agere permittuntur duntaxat. Quanquam igitur boni Angeli multa faciant ſupra naturæ vim, ea tamen non ſua virtute, ſed diuina faciunt, vt ſunt miracula. Malorum autem Angelorum operâ, quidquid aut verè fit, aut fieri apparet, ſufficienter fieri poteſt, agentia corporalia corporibus patientibus applicando. Vbi diſcrimen eſt animàduertendum inter ipſam transformationem, quæ ſemper deluſoria eſt, & inter effectus eam comitantes, qui ſunt veriſſimi, ſed varij. Deluſoriam eſſe ipſam transformationem, hoc eſt, ex homine, non verum lupum, veram felem, veram picam, aut aliud animal fieri, ſatis ſuperque docet illa ratio, quòd anima humana ſingulari Dei munere interitui non ſit obnoxia. Qua igitur ratione homo in lupum, felem, vrſum, bouem aut aliam beſtiam mutabitur à malignis ſpiritibus, vel, qui impotentiores ſunt, magis?

An

An lupi ergastulo includetur anima, lupi anima permanente? quo modo hæ duæ animæ se mutuò aspicerent? An non Philosophi docent, duas formas vno subiecto vi naturæ, inesse non posse? Quid verò, si duæ formæ vni corpori lupino insint, an dicemus, lupum ratione præditum, vel hominem ratione carentem? Certè Philosophia tradit, ab anima humana, non posse, ex natura, informari corpus belluinum, cùm quælibet forma substantialis, vt suum esse tribuat informando, requirat peculiares sibiq; conuenientes dispositiones, propriamq; corporis organizationem. Ob quam caussam Aristoteles definit animam *actum corporis organici.* Quia igitur anima hominis in lupino, aut vrsino corpore organis suis caret, nihil ipsa operabitur, nec idoneum possidebit habitaculum. In quod si vel maximè, tanquam in carcerem includatur, quò interea ibit corpus humanum? an alibi iacebit mortuum, & satan aliquis illud poterit ad vitam reuocare, quando volet? hoc nemo illi conceserit. An illud ipsum corpus humanum in lupinum vertetur? atqui hoc ipsum est, quod dicimus esse absurdum, vt anima hominis

minis det esse lupi, & organis præcipuis alienis vtatur tanquam suis. Enimuerò, nonné hoc plus erit, quàm resuscitare mortuum, si eadem anima non solùm cum humano postea corpore denuo erit vnienda: verùm etiam corpus ipsum è lupino rursus in humanum reformandum? Quod si quis dixerit, corpus solùm hominis ita mutari, vt lupinum fiat, & à vera lupi anima regatur ac possideatur; quæro, quò interea anima hominis, à suo corpore diuulsa vadat? An ad cæleste volat domicilium? nimirum anima sagæ aut venefici, mille titulis diabolo mancipata? Aut fortasse, quia infandis facinoribus contaminata est, ad vltrices scelerum flammas detrudetur? Esto sit facilis descensus Auerni, cuius verò Herculis virtute Cerberi custodiam effugiet, cuius ope auxilioq; inde gradum reuocabit, superasque ad auras euadet? cuius vi se corpori coniunget? Et an non suppliciorum Auernalium recordabitur, vt se emendet? Nihil horum vidimus, nihil audiuimus. Nugæ, somnia insanientium, non dogmata Philosophantium. Si enim quis dicat, dæmonem id posse, obstat velut murus vnanimis Theologorum

rum consensus, qui hanc animæ cum corpore copulationem, nulli creaturæ, sed soli rerum vniuersarum Creatori semper tribuerunt. Multò verò minùs quibit vllus diabolorum bestiam in hominis substantiam mutare. Nam si vel maximè concederemus (quod tamen non damus) eum è corpore lupi, aut ranæ, aut etiam è limo, imitatione quadam diuina, corpus humanum effigiare, vnde misellus accipiet animam immortalem? creabit? At jam hæretici, jam Priscillianistæ erimus, qui asserebant, Angelos malos figurare & efficere corpora humana in vteris mulierũ. Contra quos decretus est in Concilio Bracharensi iste canon. *Si quis credit, quòd aliquantas in mundo creaturas diabolus fecerit, &c. anathema sit.* Vnde & Platonis sententiam, dicentis Angelos, seu *secundarios Deos*, res corporeas ex præiacente materia produxisse, ad Epicuri intermundia relegamus.

S. Leo ep. 93. ad Turib. c. 8.

Concil. Brachar. 1. can. 8.

§. XII.

Varij modi, quibus malus spiritus videtur homines in bestias transmutare.

Quo igitur modo talia luporum, vrsorum, felium, rubetarum, aut bufonum similiaq;

miliaque alia bestiarum monstra ex hominibus facit Acheronticus artifex? Siquidem negari non potest, non solùm putare magię peritos se in tales effigies mutari, sed etiam tales exoticè grassantes bestias videri, immò etiam sentiri in strage hominum pecorumque. Sentio tertiò, sæpe talia monstra verè videri, verè sentiri, & quidē arte magica, licet nunquam tamen sine aliqua deceptione. 1. Aliquando diabolus magos & sagos aliò transportatos, vel domi relictos, altissimo somno sopit, insomnioque deludit, vt putent se ibi esse, vbi non sunt, & ea agere, quæ non agunt; cùm interea ipse vel corpus lupi, vrsi, &c. ex aëre, aqua, aliaque materia formatum assumit; vel verum lupum, vrsum, &c. impellit, agit, excitat, trahit, ducit, vel in eo ipse facit, quæ sibi magi dormientes videntur facere. Si enim porcos Gerasenorum potuit ita agitare, vt in stagnum se præcipitarent, cur non posset & corpora luporum aliarumq; bestiarum ita mouere, vel in propriam perniciem, vel in exitium aliorum? Talem cacodæmonis fraudem à Sancto quodam viro omnibus manifestatā recenset Guilhelmus Parisiensis. Et sæpe certò

Luc. 8. 33.

certò constabat, talem sagam domi dormijsse, cùm foris, eo ipso tempore, se putaret fuisse grassatam. Vtq; fraude dignos artifices magis decipiat, sauciat ipse dormientes in ea parte, in qua vel vera, vel phantastica ex aëre bestia subinde sauciatur. Aliquando tamen eiuscemodi veneficos planè re ipsa in rem præsentem adducit, non quidē veros ex eis lupos, vel vulpes faciens, aut alias similes animantes, sed, ne agnoscantur, ex aëre compresso eiuscemodi bestiæ formans imaginem, quā tanquam nebulam, ad amussim, conformatam, ita mago suo circumdat, vt quo ad potest, caput capiti, os ori, ventrem ventri, pedem pedi, brachia brachijs, & omnia membra membris ad viuum accommodet. Cur enim, qua arte seipsum, cùm vult apparere, vestit, non vestiat etiam suos domesticos & familiares? aut quid obstet, ne tali modo vtatur? Hoc pacto vestigia luporū terræ impressa relinquuntur; neque mirum est, si tunc verè in illis membris veneficæ saucientur, in quibus fera fuit vulnerata. Circumiectus enim aër, quamuis densior, tamen mollis est, & facilè cedit gladio, aut sagittæ, aut globo plumbeo

plumbeo iaculantis, vt vulnus transeat ad hominem intus latitantem. Hoc pacto apud ducem Russiæ quidam est à canibus laceratus, & in Bulgaria quidam Baianus, de quo Sigebertus in Chronico. Quod etiam contingit ijs, qui veris exuuijs bestiarum conteguntur. 3. Quippe aliquando magis veras pelles, & exuuias eiuscemodi belluarum circumdat; quod contingit, quando illis præbet lupinum corium v. g. in trunco quopiam cauæ arboris abscondendum. Potuit Nero humanis manibus ita confectas piscium aliarumque bestiarũ exuuias comparare, vt veri piscis, aut veræ belluæ instar nataret, vel homines laniaret in theatro, vel amphiteatro, & id diabolica arte confieri non posset? Hoc modo Petrus Stumfius, qui Bebburgi, in oppidulo Vbiorum vltimo supplicio affectus est, quoties cingebatur zonâ quadam latâ, à dæmone succubo donatâ, sibi & alijs in lupum verti videbatur; & verò hoc schemate ter quinq; pueros iugulauit, eorumque comedit cerebellum, crudeli gulâ. Quin & duas nurus suas conatus est deuorare, quouis vero lupo appetentior; quauis tigride sæuior.

§. XIII.

§. XIII.

Multæ mutationes hominum tantùm phantasticas esse.

Sentio quartò, aliquando ex humorum vitio, & atræ bilis excessu phantasiam ita mutari, vt nonnulli tristitia efferati, putent se in bestias esse commutatos, induantq; affectus lupinos, odiumq; gregis, aut hominum, ac proinde etiam desideriũ eos inuadendi, lacerandi, vorandi. Quẽ affectum medici λυκάνθρωπια, λυκανθρωπίαν vocant, interq; morbos, recensent, à Paulo Egyneta alijsq; medicis *melancholiam*, vel *insaniam lupinam* Latinè nominatam. Sicut enim Aiax præ insania in gregem pecorum sæuijt, putans se in Vlyssem & alios homines sæuire; ita potest nimius mœror, hominem adeò de mente deijcere, vt se in belluam versum arbitretur; immò vt se magum, aut sagum dæmoniq; addictum esse existimet. Quales aliquot ad me adductos, fatentesq; se veneficos esse, cùm viderem nimia melancholia laborare, misi ad medicum, & vena secta vidi curatos. Cur enim imaginatio non posset ingerere talem cogitationem, si eadẽ, teste Auicenna, potest hominem eò ducere, vt se canẽ, leonem,

Paul. Ægynet. l. 3. c. 16.

Auicenn. l. 3. fin. 1. t. 4. c. 24.

leonem, vel aliam bestiam esse existimet? Itaque qui sola corruptione phantasiæ laborant, magi non sunt, licet se magos esse dicant, licet se lupos esse persuasum habeant; licet lupina pelle, aut nube non tecti grassentur. Insaniæ enim, non magiæ est effectus ille; & clarè vident alij eos homines, non lupos, non vrsos, non leones esse. Talis sibi non ceteris videbatur pater Præstantij, apud D. Augustinum; & agricola Patauinus apud Fincelium, & vidi ipse, multumque egi cum aliquo, qui per aliquot hebdomades, ex tristi casu, eò amentiæ deuenit, vt se non in lecto, sed in flamma Inferni damnatum iacere putaret, omnesque ad se accedentes, pro diabolis haberet, vocesq; desperatione pleniſſimas iactaret, idq; per plures hebdomades continuò, diu noctuque tanta vociferatione, vt nullæ humanæ vires tam inconditis assiduisq; clamoribus sufficere posse viderentur. Post multos menses ad se paulatim redijt, & ad officia honorata. Plura eiusmodi exempla qui volet, narrat plura Io. Nider, & sanè luculenta. In his tamē prudenter attendendū est, qua vita priùs fuerint. Callidus enim est Alastor, & vt ipse est

S. Augustin. lib. 18. c. 8.

Fincel. lib. 2. de mirac.

Io. Nider. lib. 5. Formicarij cap. 12.

est pater mendacii, ita sæpe docet etiam veras sagas, cùm iam deprehensæ sunt, insaniam simulare, vt fingendo morbo euadant, quod sacrilega impietate meruissent. Quin certum est, etiam in ipso sacro tribunali multas eiuscemodi Orco mancipatas mulierculas; postquam verè cœperunt confiteri ac resipiscere, subita diaboli suggestione deceptas, omnia extemplo retractare, quæ paulò priùs sponte confessæ sunt; quæ si vrgeantur, vt constanter pergant pœnitentiâ vti, dicunt, se priùs quasi per somnium locutas, nec mentẽ præsentẽ fuisse. Ibi Confessarius habet campum pugnandi, instandi, vrgendi, adhortandi, vt bene cœpta non interrumpant, & se tandem tam dira Stygij tyranni seruitute liberent. Cessit multis feliciter ille conatus, animasque amabili constantia & cõstanti charitate lucrati sunt; quas vtiq; fide statim mendacijs adhibita, per lenitatem perdidissent.

§. XIV.

Naturali vi corporis nec in duobus simul locis positionem, nec penetrationem dari posse.

Sed, vt ad rhombum redeamus, etsi

dæmon poteſt efficere dictis modis monſtra ex hominibus, animaduertendum tamen eſt, quid agat, quando ſpecie picæ, muſtelæ, aut bufonis, vel etiam muris, aut felis, alteriuſué parui animalis tales ſibi videntur apparere. Nam quemadmodum ipſe non poteſt loca diſtantia ab inuicem, non occupato medio, ſimul implere, & idcirco nec vnum corpus in duobus locis diſiunctis ſimul collocare; ita neq; poteſt quantitatem corporum ſic mutare, vt inde partium penetratio ſequatur. Quia id natura non permittit, & meritò cum Ariſtotele D. Thomas reclamat. Poteſt vtrumque Deus, vel diuina virtute Angelus; ita enim S. Nicolaus, S. Agatho, S. Benedictus, S. Ambroſius, S. Franciſcus infinita Dei virtute, ſimul in duobus locis viſi ſunt; & D. Chryſoſtomus ait, Habacuc ab Angelo demiſſum & reductum ex lacu clauſo, & ſigillis integris manentibus; docetque cùm D. Auguſtino fides, ita Chriſtum Dominum poſt reſurrectionem, ad diſcipulos clauſis ianuis ingreſſum; ſicut & clauſo manente ſepulchro reſurrexit; & illæſo clauſtro virginali in lucem prodijt. Poteſt hæc Deus naturæ dominus, & in virtute

Pet. Thyræus l. 2. de ſpirit. appar. c. 6. & 7.

S. Chryſ. orat. de incredulit. D. Thomæ. S. Auguſtin. tract. 121. in Ioan. Ioan. 20. 19.

virtute Dei Angeli boni; at spiritus mali neutrum possunt, quia nihil possunt supra vires naturæ. Quare, si Pythagoras, eodem tempore, in duabus vrbibus conspectus est, vt de eo Origenes tradit; si Imperatori patri filium suum exhibuit Theodorus monachus, vt scribit Zonaras, apparitiones illæ ab Angelis malis procuratæ, ad speciem tantùm visæ, re ipsa præstigiosæ fuerunt. Facile est dæmoni, personā alterius exprimere & præsentare, si Deus permittat; sicut & à bonis Angelis fieri posse, negari nequit. Quin & quando venefici sibi videntur in cicadas, mustelas, picas, immò & formicas contrahi, & per tenuem rimam in conclaue alterius irrepere, aut etiā per ianuas clausas, vel per circulum carbone in muro designatum ingredi, tunc vel dæmon eorū dormientium vices agit; vel eos dementatos occulit per glaucoma, ne toti videantur, monstratoque tantùm mustelæ alterius sue animalis corpore, cetera præstigijs tegit, & ianuam, vel fenestram, vel aliam per muros rimam totius corporis capacem latenter aperit, lapidibus alijsue obstaculis, non minore dexteritate, quàm

Orig. lib. 6. contr. Celsum.

celeritate, exemptis, atque in suum locum pari velocitate repositis, viam intrandi exeundique facit. Potest autem, vt suprà dixi, species visiuas, ne in oculos astantiũ perueniant, per corporis alicuius interpositionem, vel per nimiam aëris agitationem, impedire; vel corpus illud aliqua ratione vestire, vt tapetibus, vel parieti, vel alij rei simile videatur; vt factum esse credibile est, quando Apollonius Thyanæus se Domitiani oculis subduxit. Neque aliud fuisse putem Persei clypeum, apud Græcos; aut Gygis annulum, apud Ciceronẽ, quàm dæmonis talem fraudem, qui mediante solùm motu locali, & per eum actiua passiuis applicando potest esse caussa talium mutationum. Nulla enim est proportio spiritus extra omnem materiam subsistentis, ad corporeas qualitates ex potentia materiæ, vel subiecti materialis immediatè educendas. Sumit ergo agentia & patientia naturalia, eaque applicans, facit, vt talia, vel talia monstra, vel non monstra producantur. Atque ita satis explicatas puto artes mali spiritus etiam ex alijs monstra facientis. Vnde nunc expeditum erit, ad contrariæ sententiæ argumenta respondere.

S. Thom. 1. p. q. 110. a. 2. ad 2. & 3. & a 3. ad 2. Gabriel Vasq. 1. p. disp. 218. c. 3.

§. XV.

§. XV.

Aduersariorum ratio diluitur.

Ratio enim illa, à cælo ducta ad Angelos, non est valida; quia cælum quod viuentia producit, materiale est, vnde proportionem habet, vt corpora connaturali modo possit immutare, & adeò per suam formam inferiores aliquas formas etiam materiales eminenter continere; cùm spiritus, siue boni, siue mali, ad hoc non habeant proportionatum subsistendi modũ, tametsi alioqui multò sint perfectiores. Experientias illas de Nabuchodonosore, & Lot vxore in salis statuã mutata, suprà exposuimus; vnde constat, vtrumque diuina, non diabolica virtute factum, neque experientias, sed historias appellandas. Sicut & illud diuina virtute factum est, quod Beda narrat de S. Felice, nempe quo pacto eum aduersarij strictis gladijs in foro quæsierint, sed peruenientes *ad eum, mutato diuina prouisione aut vultu ipsius, aut corde illorum, nequaquam eum, quem optimè nouerant, agnoscere valebant &c.* Nec fas est, à diuina potentia, ad dæmonum argumentari potestatem. Naturales autem experientias & plantarum, aut imperfectorum

Supra §. 1.

Daniel. 4. 30. Genes. 19.

Supra §. 2.

Ven. Beda to. 3. in vita S. Felicis.

etiam animalium in se mutuò transmutationes negare non possumus: verùm in promtu caussa est. Fiunt hæc, vel non immediatè, vel ob formarum, vel animarum affinitatem, similitudinem, & nonnunquam etiam subordinationem. Quare sicut subnigrũ facile est reddere nigrum; ita non difficile est, ea, quæ non multùm inter se discrepant, mutuò conuerti. Sic lolium mutatur, in triticum, & hoc in illud, dum vel perficitur, vel corrumpitur. Sic, teste Aristotele, galerucæ ex vermibus in lignis aridis degentibus, asilus ex bestiolis, quæ in fluuijs supernatant, enascuntur. Sic ex eruca fiunt papiliones; ex formicis muscæ, ex alijs alia. At quis adducatur, vt credat, animam humanam à solo Deo opt. max. ad rerum cœlestium contemplationem conditam, cuius ætas nullo tempore circumscribitur, illam diuinæ particulam auræ, tantam similitudinem habere, cum lupi vel canis anima, quæ corpori immersa penitus, tot periculis, doloribus & morti denique exposita atque obiecta est? Adde quòd multorum imperfectorum animalium natura sit; è fimo, aut cadaueribus nasci, vt in apibus, vespis, scara-

scarabæis videmus. Nulla autem natura, vt hominem producat, facit priùs bouem. Quòd si ex hoc, quòd dæmon serpentes, locustas, ranas, muscas, & huismodi imperfectas bestias actiua passiuis, & semina rerum applicando, producit, colligere licet, eum etiam hominem, equum, vel lupum producere posse; idem in sole locum habebit, generat hic solo calore suo mures & ranas, nemo tamen dixerit, eum leones, homines, vel aliud animal, cui maior contigit perfectio, solum generare.

§. XVI.

A transmutatione sexus, & authoritate suspectorum, non validum duci argumentum.

Sexus quoque mutationem grauissimorum authorum testimonijs nixam non negamus; sed cùm hæc sexuum distinctio accidentaria sit duntaxat, homo autem à brutis essentiali perfectione differat, quis tam à vero auersus, aut tam obtusi & pinguis ingenij erit, qui non intelligat, ex feminæ in marem, aut maris in feminam conuersione, hominis in feram transformationem malè colligi? Certè natura humana æquè sub sexu maris atque mulie- Supra §. 3

ris, tanquam sub accidentibus, potest conseruari; siquidem vir & mulier specie non distinguuntut. Quin & alia huius mutationis ratio est, quàm cùm homo in felem, murem, lupum mutari dicitur. Nam vt ex viro fiat femina, vel vice versa ex femina vir, quale exemplum etiam Sotus narrat, necesse est, vt ab ipso statim ortu huius rei à natura posita sint fundamenta, vt nonnulli volunt. Alij neque istud quidem requirunt. Sed medicis, quibus omnia munda sunt, hoc relinquo clariùs explicandum. Authoritates contrariæ partis, quibus Bodinus cum suis triumphat; vt non contemno, ita contrarijs authoritatibus refuto. Quanquam hæreticorum non maior esse debeat authoritas, quàm Poëtarum; & aduersarij plerosque in suam sententiam retorto collo pertrahant; quippe complures scripserunt, homines in lupos esse conuersos, non quòd res ita se se habuerit, sed quòd sic se habuisse visa sit. Quanquam etiam nonnullos viros alioqui doctissimos, in rebus à vulgari captu remotioribus in errores lapsos esse, sit manifestum. Multa etiam, quæ pro historijs venduntur, fabulis esse contaminata

Sotus in 4. d. 1. q. 5. a. 8.

ambigi

ambigi non debet. Moyses diuina vi baculum in serpentem vertit, & reuertit. Magi Pharaonis idem feciſſe dicuntur? Negant multi Patres eos veros fuiſſe serpentes; ſed celeritate quadam aiunt dæmonis ſubſtitutos ſerpentes, virgaſque ex oculis ſubductas. Et ſi vel demus, virgas eorum verè fuiſſe in ſerpentes verſas à malorum omnium machinatore, an idcirco etiam homo poterit in colubrum conuerti? Imperfecta hæc animalia vel ipſa natura ex putri materia gignit; cur naturæ auxilio non faciliùs in his producendis vti potuiſſet artifex ille, quàm in lupis ex homine faciendis? cùm vel Plinius dicat: *Homines in lupos conuerti, rurſumq; reſtitui ſibi, falſum eſſe confidenter exiſtimare debemus, aut credere omnia, quæ fabuloſa tot ſæculis eſſe comperimus.*

§. XVII.

Variis præſtigiis efficere dæmonem, vt hominum in beſtias matationes veræ videantur.

Quo pacto autem dæmon mortalibus illudat, vt vel phantaſia tales decipiat, aliiq́ue ſenſus tam externi, quàm interni, concitatis humoribus, & confuſis ſpecie-

bus

bus perturbentur: vel nebula, aut exuuiæ lupinæ alteriusúe animalis corpori circumponantur; aut ipse tales spiritus nequam repræsentet, veneficis, qui se in feras transformatos esse censent, sopitis, & ad alia loca translatis: aut veræ bestiæ supponantur; quales fuisse aues Diomedeas, & ceruam pro Iphigenia Agamemnonis filia à Græcis ad placandam Dianæ iram mactatam D. Augustinus indicat, & à nobis satis, arbitror, suprà est explicatum. Et quid vsitatius est, quàm vt Stygius artifex sensibus hominis illudat, oculisque tenebras offundat, vt res, quas pedibus conterunt, vel omnino aspectum eorum effugiant, vel sub vera & genuina forma non percipiantur? Cùm enim ea, quæ sensibus hauriuntur, potentijs naturaliter virtutẽ aliquam imprimant, cuius ope sensus elicitur, facilè dæmon huiusmodi virtutem, per medium productam, potest variare; sicut organum ipsum. Sic lingua febricitantis humore cholerico infecta dulcia amara, & mel fel esse judicat. Sic nauigantes vrbes, colles, siluasq; recedere, seq; solos firmiter consistere æstimant. Sic phrenetici mirabilia se putant videre, audire.

Cur

Cur non idem posset dæmon, quod potest morbus? Consueta res est, vt dæmon visum hominis in errorem ducat. Ducit etiam in errorem intellectũ, si cui persuadet, eum in lupum verè verti. Necesse enim esset talem mori, ac ad vitam à diabolo reuocari, quando eum denuo ex lupo hominem faceret. At Theologorum vox est, sola diuina virtute semel lucis huius vsura orbatum in eandẽ redire posse. Memoriæ proditum est, Simonis Magi præstigijs, tres qui communi spiritu frui desierant, apud Phorum Ephesi oppidum, præsente S. Euangelista Ioanne, ad vitam reuocatos esse. Et à Pythonissa Samuelem suscitatũ esse sacræ tradunt litteræ. Ast illi, sine dubio non veri homines, sed dæmones simulatis Samuelis, vel aliorum trium corporibus septi fuêre. Fatetur ista Bodinus, sed momentenea, ait, ista est fascinatio: hominis autem in lupum transformatio multis nonnunquam annis durat. Quasi inquinati Spiritus mortalibus diuturno tempore illudere nequeant? Expertæ sunt hoc magno cum dolore matres, quæ filiorum loco lacte suo nutriuerunt, & per multos annos dæmones educarunt, qui

Spren-

Sprengero teſte, infantum vicem ſubeunt, cùm veri infantes à veneficis ſublati, & miſerandum in modum jam dudum trucidati ſunt. Eodem pacto ſcribit Olaus Magnus, dæmones varia in ſtabulis & ærifodinis miniſteria exercere, riſus & cachinnos edere, ſaxa frangere, cauare, findere, eaque vrnis ſeu fitulis ingerere, vt ita ad metalla damnatos foſſores, ad ſui veneration nem, incitent, vel ad inferendam ſibi iniuriam, quam deinceps morte vlciſcantur, prouocent. Quod multis annis continuant. Iudicant hi quidem, ſe veros cernere homines fraudum ignari, reipſa tamen phantaſtica tantum, & ficta corpora cernunt. Quem in modum decepti etiam non rarò ſunt ij, qui magos ad ſupplicia duxerunt, quorum tamen vice, cùm in patibulum tollerentur, filum, vel ſtramen inuentum in cruce fuiſſe accepimus. Aliquando enim dæmon cultores ſuos, ad tempus, ex periculis eripit, vt & illos, & per illos, alios quoque grauioribus ſceleribus inuoluat. Hoc pacto deceptus etiam à Simone Mago peritiſſimo fuit Nero Imperator, qui Simonis loco arietem capite plecti iuſſit; ad quem, cùm triduo confecto

cto Simon reuertisset, Nero attonitus eum diuino honore prosecutus est, eique statuam Romæ posuit cum hac inscriptione: SIMONI MAGO DEO. Sic Apuleius commemorat, tres aliquando homines interemtos se putasse, cùm tamen tres hircinas pelles à Pamphila saga fascinatus confoderit. Simile est, quod de Aiace Homerus scribit, qui cùm insignem porcum flagellis egregiè exciperet, Vlyssem se cædere opinabatur. Quamuis hoc furore magis, quàm Orcina arte factum videatur; neq; circa porcum aliqua mutatio, sed in sola Aiacis imaginatione tunc facta est. At quando pro Simone Mago aries decollatus est, à Nerone atq; aulicis omnibus visus est is Simonis schemate. Circumposuit illi igitur dæmon corpus aliquod, non organicũ, sed merè phantasticum, vt etiam eum feciſſe, cùm generis nostri authori Adamo, & Reparatori Christo apparuit, docent S. Thomas & D. Bonauentura. Cuiusmodi corpora ex aëre eum, vel alia materia conficere posse diximus. Quamuis autem aër, ob raritatem suam, omni colore & figura careat, contractus tamen, & condensatus varias formas & colores recipit: sicuti

S. Thom. 1. p. q. 51. art. 2. S. Bonauent. in 2. d. 8. a. 2. quæst. 2.

ſicuti cùm nubes in aëre montes, naues, equites, & inſtructas nonnunquam acies repræſentant. Illud quæri poteſt, quo modo, ſi talia non ſunt vera animalium corpora, voces articulatas in ijs dæmones exprimant? An non enim oratione mentis ſenſa explicare ſoli homini à natura datũ eſt? Reſpondeo, malignos ſpiritus, ſicut non vera aſſumunt ſemper animalium corpora, ita neque veras voces edere. Cùm enim vox ab Ariſtotele definiatur, operatio animæ facta ex alliſione aëris attracti ex pulmonibus, & per arteriam aſperam expirati, dæmoneſque & anima deſtituti ſint, & neque pulmones, neque arteriam habeant, neq; corpori huiuſmodi organis inſtructo aſſiſtant, non veras voces proferunt, ſed veris ſimiles, eo ferè modo, quo ſi tubicen artem ſuam bene callens, tubæ beneficio, humanis vocibus ſimiles ſonos exprimit; aut quo, per hydraulica opera vidimus audiuimuſque Salisburgi in nobiliſſimi celebratiſſimique horti æſtiuo palatio omnis generis auium voces cantuſque, ad viuum exprimi. Longè doctior artifex eſt diabolus, cuius ingenium longè accuratiùs poteſt, quàm vlli Dædali, voces & linguas

linguas animalium, æquè ratione præditorum, ac destitutorum, imitari.

§. XVIII.

Quanam insit in fabulis veritas?

Quæ ex fabulis proferuntur, vno verbo cadunt, si dicantur fabulosa. Et quidem quod ad Vlyssis & Diomedis socios, atq; Luciani, Apuleiúe Asinum aureum attinet, vera an fabulosa sint, non immeritò dubitat D. Augustinus, & Franciscus Victoria. Aureus doctor S. Chrysostomus Vlyssis comites putat in sues transformatos esse à malefica Circe, quia in voluptatum sordibus, tanquam porci in cœno volutati, & suibus quasi similes, non natura, aut figura, sed vita & moribus, effecti erant. Apuleium verò Ludouicus Viues asinum factum scripsisse existimat, non quòd hoc ei contigerit, sed vt ficto casu tam mirabili narratio legentium, vel audientium animos in admirationem raperet, lectioq; iucunditate maiori, ac lepóre illorum mentes paseeret, qui Milesijs fabulis delectantur. Neque verò necesse est, vt omnibus illis, quæ aliorum sermone, vel scriptis accepimus, fidem adhibeamus, cùm, vt iure miratur Plinius, eò Græca

S. Augustin. l. 18. de ciuit. Dei

Franc. Victoria relectione 12.

credulitas processerit, vt nullum tam impudens mendacium sit, quod teste careat. Quanquam sub multis fabularum inuolucris viri doctissimi multa olim ad mores spectantia exprimere, & velut hieroglyphicè depingere voluerunt. Lycaonem in lupum conuersum scribit Ouidius? ob nominum id fecit affinitatem, λύκος enim Græcis lupum significat; itemq; ad feram regis crudelitatē, qua aduenas & hospites immani scelere trucidauit, declarandam. Hecubam in canem mutatam esse perhibent? Nempe sicut rabidi canes hominem morsibus venenatis inuadunt, lædunt, lacerant, sic illa malorum pondere pressa, & oppressa, ac rei indignitate victa, victores Græcos conuiciorum & maledictorum aculeis momordit, proscidit, dilaniauit. Midæ aures in asininas abijsse aiunt? ita scilicet deprauatū aurium iudicium & stolidæ præcordia mentis insinuant, qui Panis fistulam solus omnibus dissentientibus citharæ Apollinis, hoc est, iniqua æquis, & mala bonis solebat anteferre. Poëtæ igitur, si vera carminibus suis inseruerunt, de ijs mutationibus locuti sunt, quas nos suprà dæmonum arti concessimus; sin autē

fabulas

fabulas excogitauerunt, sub vmbris mores hominum describere voluerunt, quibus nihil contra nostram sententiam astruitur.

§. XIX.

Cur à Deo præstigiæ dæmonum permittantur; & quænam sint contra eas remedia?

Procliue autem est æstimare, cur vel hanc potestatẽ monstra ex hominibus faciendi generis humani inimicis toties permittat Deus. Nam inprimis naturales illis vires suas reliquit, vt etiam in damnatis apparerent beneficia, quibus eos ab initio cumulauit. Quantò plus acceperunt, tantò fuerunt ingratiores abusi potestate. Neque eos quidquam iuuant hæ vires, nisi ad maiorem damnationem. Magis enim sentit casum, qui ex altiore loco cecidit. Deinde sæpe merentur aliqui à præstigiatoribus vexari, quorum insidias diuinis precibus, ceræ sacræ amuleto, cruce fronti impressa, aqua benedicta, sale consecrato, candelarum benedictarum, & palmarum in die Palmarum consecratarum vsu, alijsq; pijs ac facilibus remedijs à se arcere potuissent. Faciunt multos pericula cautiores; & tunc diligentiùs vigilamus, si vi-

demus, hostes non dormire. *Induite vos armaturam Dei*, inquit Apostolus, *vt possitis stare aduersus insidias diaboli &c. in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Qua de caussa S. Antonius in hac militia peritus dux ad discipulos suos dixit: *Magna, dilectissimi, aduersus dæmonem arma sunt, vita sincera & intemerata in Deum fides.* Addit Ioannes Nider, præter fidem etiam multùm valere aduersus hæc monstra obseruationem præceptorum Dei, publicæ iustitiæ executionem, memoriam Passionis Christi: atque rem exemplo confirmans, cuiusdam magi hæc verba refert: *Cùm quidam simplex, sed non rectus maleficum me inuocaret, vt inimicum suum vita priuarem, aut in corpore laderem grauiter fulminis ictu, vel modo alio; vocaui ego magisterulum, id est, dæmonem; qui mihi respondit, quòd neutrum facere posset. Habet, inquit, fidem bonam, & diligenter se signo crucis munit, idcirco non in corpore, sed in vndecima parte fructuum suorum, in campo, si libet, ei nocere possum.* Ex qua confessione planum est, etiam quæ naturæ viribus potest spiritus nequã, non posse, nisi Deo permittente. Sicut & olim

Ephes. 6. 16.

S. Athanas. in vita S. Antonij.

Ioan. Nider. l. 4. Formic. cap. 4.

ipsi

ipsi Iob non potuit nocere, nisi Deo illi fræ num laxante. In cuius rei confirmationē memorat etiam S. Epiphanius, conatus Magorum, vt feminam quandam Christianam in amorem pellicerent, irritos fuisse, ob crucis signaculum ab ea factum, & insignem eius fidem. Tertiò ostenditur, harū laruarum exterminatione, potentia Sanctorum, & rerum sanctarum, quæ dæmonum potentiam profligat. Sic Palladius refert, B. Macarium eremicolam, mulierē quampiam magi præstigijs in equam tanſ mutatam, effusa in caput eius aqua sacra, pristinæ formæ reddidisse. Non igitur sanctorum hominum tantùm, sed etiam sanctarum rerum vis patescit, dum prodigijs his laruam detrahit. Ita sæpissimè ad Iesu & Mariæ nomen inuocatum eiuscemodi spectra in ventum dissipata videri desierunt.

Iob. 1. & 2

S. Epiph. hæres. 30.

Pallad. in Lausiac. hist. c. 19.

§. XX.

Magos, dum illudunt, illudi, & in præstigijs suis sæpe perire.

Quartò multò æquissimè venefici, dum sub his laruis fallere volunt, redeunte in authorem machina, ipsi decipiuntur. Præterquam enim, quòd hominis forma figu-

raque indigni meritò in speciem murium, felium, porcorum, aut asinorum transeunt, & *comparati iumentis insipientibus similes illis fiunt*, plerumque sic exuuijs bestiarum vestiti, vulnerantur, capiuntur, occiduntur; aut dum huic arti fidentes, se tutos esse arbitrantur, incidunt in casses. Hoc ipsum spectat diabolus, vt occupet imparatos; & opprimat improuisò. *Quemadmodum à supradicto Petro judice audiui*, ait Nider, *in territorio Bernensium, & in locis eidem adiacentibus, à sexaginta circiter annis, supra facta maleficia à multis practicata sunt. Quorum primus auctor fuit quidam Scauius dictus, qui publicè de hoc gloriari audebat, quòd quandocumq; vellet, ipse se in omnium suorum amulorum oculis velut murem facere valeret, & dilabi à manibus inimicorum suorum lethalium, & ita è capitalibus inimicorum suorũ manibus, vt dicitur, sæpe euasit. Sed cùm terminum suæ malitiæ diuina iustitia facere voluit, tandem per hostes suos in stuffa quadam, prope fenestram quandam sedere explorabatur cautè, quo in loco cùm nullum de sibi insidiantibus suspectum haberet, per fenestram gladijs & hastis inopinatè transfixus est, & ob sua facinora mortuus ibi miserabiliter.* Hoc lucrũ

Ioan. Nider lib. 5. Formic. cap. 4.

est

est artis, mutantur, vt occidantur. Quin & summus judex, vt eorum ostendat vanitatem, sinit eos sub hac monstrorum imagine ludos facere, vt tandem, dum ludunt, seria patiantur. Luculentum est, quod Beda refert his verbis: *Nunciatum est* S. Patricio *aliquando, nequissimum opus cuiusdam Britannici regis nomine Chairtic infausti crudelisq; tyranni, qui erat maximus persecutor & interfector Christianorum. S. igitur Patricius per epistolam suam ad viam veritatis eum reuocare tentauit, sed ille salutaria eius monita deridebat. Quod vbi denunciatum est homini Dei, flexis genibus orauit, & dixit: Domine, si fieri potest, expelle perfidum hunc de praesenti saeculo & futuro. Nec multò post praefatus ille tyrannus musicam artem à quodam sibi praecantari fecit, à quo audiuit, quòd citò de suo regali transiturus imperio esset: omnesq; charissimi eius in hanc vocem proruperunt. Tunc ille, cùm esset in medio foro, illico* VULPECULÆ *miserabiliter arrepta* FORMA *profectus est in praesentia suorum, quò eum impetus animi duxit: & ex illo die illaq; hora velut à diabolo raptus nusquam comparuit.* Quidam morituri, in honorem S. Francisci, S. Dominici, S. Benedicti aut alterius

Ven. Beda lib. 2. vitæ S. Patricij.

terius sancti habitum induunt, vt in illo sepulti eorum Diuorum patrocinium consequantur, quorum habitum profiteri voluerunt: hic Britannicus rex vulpis pellem induit, vt constaret, qua mente, qua arte fuisset. Mente enim erat similis illi regi, de quo Christus dixit: *Ite, dicite vulpi illi: Ecce eijcio dæmonia, & sanitates perficio hodie & cras, & tertia die consummor*: corpus illius in vulpem mutari videbatur, vt palam fieret, qua arte, quod præmium meruisset. Erat scilicet de numero illorum, de quibus dicitur: *Introibunt in inferiora terræ*, hoc est in infernum, *tradentur in manus gladij, partes vulpium erunt*, seu Acheronticarum bestiarum, à quibus vulpinari didicerunt. Hoc autem exemplum etsi non profuit illi, qui passus est, prodesse tamen potest ijs, qui viderunt, vel audierunt. Itaque cum D. Augustino concludo: *Qui hucusq; in istis diabolicis rebus captiuandum diabolo tradidit se, toto corde pœnitentiam agat, & illa sacrilegia supradicta cum omni horrore fugiat, & contemnat, vt illi Deus indulgentiam dignetur dare, & ad æternam beatitudinem, ob gloriam nominis sui, faciat peruenire.*

Luc. 13. 32.

Psal. 62. 11.

S. August. serm. 241.

CAPVT

CAPVT XV.

Suismet homines vitiis in quales bestias transmutentur?

§. I.

Vitijs homines, non naturâ, sed moribus in bestias mutari.

QVi mores hominum ingeniaque vult inspicere, neque naturam, neque naturæ Authorem, immò neq; admodum Dei hominumque calumniatorem, tanquam monstrorum caussam, sed se ipsum potiùs intelligit, aut eos, qui monstrositate aliqua afficiuntur, trutina dignos esse. Siquidem illi sunt potissimùm monstrorum caussa, in quorum ea pœnam vel Deus, vel natura à Deo gubernata, vel hostis humanæ gentis mittit, aut efficit. Quanquam ea indole sunt homines depravati; vt non expectent manum de cælo punientem; præueniunt enim iram diuinam, & antè ex seipsis monstra efficiunt, quàm alijs monstris puniantur. Non enim solis veneficijs, sed omnibus quoque ceteris vitijs homines in bestias transformantur. Quod non eo intellectu capiendum est, quo Isidorus Basilidis filius, apud Clemen- Isidor. Basil. lib. de

annata anima Clemens Alexand. lib. 4. Strom. c. 9.

tem Alexandrinum, physicam quandam, & portentosam hominis, pro vitij qualitate, in varia ferarum ac etiam plantarum genera transformationem inuexit. Verba Clementis sunt: *Basilidis sectatores vitia & animi perturbationes consueuerunt vocare* προσαρτήματα, *id est, appendices; & ea esse quosdam in essentia spiritus appensos animæ ratione præditæ, per quandam conturbationem & confusionem principalem: & alias rursus spirituum adulterinas, & diuersi generis naturas ijs adnasci, vtpote lupi, simiæ, leonis, vrsi, quorum proprietates, quæ visione in anima apprehenduntur, animæ cupiditates animantibus dicunt assimilare. Quarum enim ferunt proprietates, earum opera factaq; imitantur. Et non solùm cum rationis expertium animantium appetitionibus, & visionibus coniunctionem ineunt & familiaritatem, sed etiam plantarum æmulantur motus & pulchritudines, propterea quòd plantarum quoq; adiunctas habeant proprietates: habere autem etiam habitus proprietates, vtpote duritiem adamantis.* Hæc Basilidis sectatores docuerunt. Error is est; &, quia pertinacia accedit, hæresis, & stulta impietas, quam, præter dictum Clementem, omnia refellunt, quæ

à re-

à recentioribus hæreticorum confutatoribus scripta sunt, in non dissimile sententiæ monstrum à Matthia Flaccio Illyrico satuè excogitatum. Itaque quæ nos allaturi sumus, non de physica, sed morali & metaphorica transmutatione sunt accipienda, quæ non in natura, sed in similitudine morum consistit. Quo pacto & Prophetæ loquuntur, vt ille cùm ait: *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* Pſal. 31. 9. Non dixit, *Nolite fieri equus & mulus*, sed *sicut equus & mulus.* Satignominiæ est homini, satisque monstrosum, si *comparetur iumentis insipientibus, & similis fiat illis.* Pſal. 48. 13. Si enim insipiens est, maximo hominis ornamento caret, quod est, sapere. Neq; contumelioſiùs potest quisquam ab altero appellari, quàm si *pecus*, si *bestia*, si *canis*, si *asinus*, si *porcus*, aut *bellua* appelletur.

§. II.

Peccatis rationem sopiri, qua sola à brutis distamus.

Atqui omnino, quisquis peccat, vel in magnam, vel in paruam bestiam abit, pro peccati vel magnitudine, vel paruitate. *Quid est homo?* ait Epictetus, *Animal ratione præditum, ac mortale* (quod addit, quia

&

Epictetus apud Arrian. l. 2. c. 9.

& ipse cum Porphyrio, & antiquis Philosophis putauit, Angelos esse animalia quædam, sed immortalia) *Cùm dicimus ipsum compotem rationis, à quibus eum separamus rebus? A feris bestijs, scilicet. Num ab alijs quibusdam? Ab ouibus quoque & similibus. Vide ergo, ne quid tanquã bestia feceris. Quod si facias, hominem perdidisti; non præstans id, quod præstandum tibi erat. Quin etiam vide, ne quid feceris tanquam ouis: si non caueris, hac quoque ratione hominem perdideris. Quæ sunt igitur illa, quæ facimus tanquam oues? Quando nimirum ventris gratia, aut penis, aut aliàs temerè quid agimus, quando sordidè, quando oscitanter. Quò degenerauimus? In naturam ouium. Quid amisimus? rationis vsum. Quando crudeliter, perniciosè, incitatè, vehementer; quam in naturam desciuimus? Ferarum. De cetero itaq; nonnulli ex nobis magnæ sunt bestiæ, quidam verò sumus paruæ bestiolæ, & malefícæ, quas abominando & detestando dicere solemus, Deuoret me potiùs leo. His omnibus naturis id, quod de se promittit homo, aboletur.* Quàm multùm autem aboleatur vnà ex Seneca discę:

Senec. ep. 76.

Omnia suo bono constant, ait, *Vitem fertilitas commendat, sapor vinum, velocitas ser-*

vum

vum. Quare fortia dorso iumenta sint, quæris? quia eorum hic vnus est vsus, sarcinam ferre. In cane sagacitas prima est, si inuestigare debet feras; cursus, si consequi; audacia, si mordere & inuadere. Id in vno quoq; optimum est, cui nascitur, quo censetur. In homine optimum quid est. Ratio: hàc antecedit animalia, Deos sequitur. Ratio ergo perfecta proprium homini bonum est: cætera illi cum animalibus satisq; communia sunt. Valet? & leones. formosus est? & pauones. Velox est? & equi. Non dico, in his omnibus vincitur. Non quæro, quid in se maximum habeat, sed quid suum. Corpus habet? & arbores. Habet impetum & motum voluntarium? & bestiæ & vermes. Habet vocem? sed quanto clariorem canes, acutiorem aquilæ, grauiorem tauri, dulciorem mobilioremq; luscinia? Quid in homine proprium? Ratio. Hæc recta & consummata felicitatem hominis impleuit. Ergò si omnis res cùm bonum suum perfecit, laudabilis est, & ad finem naturæ suæ peruenit, homini autem suum bonum Ratio est, si hanc perfecit, laudabilis est, & finem naturæ attigit. Hæc ratio perfecta, virtus vocatur, eademq; honestum est. Id itaq; vnum bonum est in homine, quod vnum hominis est. Nunc enim non quærimus

rimus, quid sit bonum, sed quod sit hominis bonum? si nullum aliud est homini, quàm ratio: Hæc erit vnum eius bonum, sed pensandum cum omnibus. Si sit aliquis malus, puto improbabitur: si bonus, puto probabitur: Non dubitas, an hoc sit bonum: dubitas, an solum bonum sit. Si quis omnia alia habeat, valetudinem, diuitias, imagines multas, frequens atrium, sed malus ex confesso sit: improbabis illum. Item, si quis nihil quidem illorum, quæ retuli, habeat, deficiatur pecunia, clientũ turba, nobilitate, & auorum proauorumq; serie, sed ex confesso bonus sit: probabis illum. Ergo est vnum bonũ hominis: quod qui habet, etiam si alijs destituitur, laudandus est: qui non habet, in omnium aliorum copia damnatur ac reijcitur. Quò vsque reijcitur? vsq; ad gradum bestiarum juxta illud: *Comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Non est magnus gradus ab equo ad asinum; vterq; enim ratione caret. Magnus gradus est ab homine ad pecus. Cùm ergo contra rationẽ agat, quisquis peccat; quãtò magis quis peccat, tantò magis etiam à ratione recedens ad bestiæ indolẽ accedit. Sic incorruptibilis anima corrumpitur,

Psal. 48. 13.

Et contracta suis è partibus obbrutescit.

Lucret. lib. 3.

§. III.

§. III.

In quasnam bestias homo malus ex Epicteti sententia vertatur?

Quas verò in bestias mutentur homines, euersa per peccatum rationali natura, indicauit haud obscurè idem Epictetus, apud Arrianum his verbis. *Melius quiddam habes carne. Quare, misso illo & neglecto, carni duntaxat es deditus? Ob huius societatem declinantes à meliore, natura quidem lupis similes efficimur, dum sumus perfidi & insidiosi, & ad nocendum parati: leonibus, quia feri, & immanes ac truculenti: maxima verò pars vulpeculæ sumus, aut si quid aliud in animalibus pro monstroso habetur. Etiamné aliud quiddam est maledicus, aut maleuolus homo, quàm vulpes, aut si quid ea est vel ignobilius vel contemtius? Circumspicite itaq; & curate, ne quando huiusmodi calamitatibus obnoxios fieri vos accidat.* Et alio libro. *Quid verò est, quod illũ hominem esse dixisti? Quæq; enim res ex figura simplice non est iudicanda; alioqui cereum quoq; malum pro malo habeas; ipsumq; & odorem & saporem mali habere contendas. Figuræ externæ circumscriptio satis non facit, vt rem esse aliquam pronunciemus.* Arrian. l. 1. cap. 3. Idem l. 4. cap. 5.

Quam-

Quamobrem vt homo dicatur quispiam, satis non est, nasum & oculos habere: sed tum hominem esse censeo, si ita vt hominem decet, senserit. Aliquis est, qui rationem non percipiat, nec castigatus obtemperat: Talis nimirum pro asino est habendus, pudorisq; sensum deposuit omnem, inutilis est, & quiduis potiùs quàm homo. Is nimirum quærit aliquem, quem calcibus, aut dentibus impetat. Quocirca nec asinus est, nec ouis, sed fera quædam, & immanis bestia.

§. IV.

Philonis & S. Gregorij Nysseni de hominis in bestiam metamorphosi sententia.

Ne autem Epictetus hæc ex schola Stoicorum, censurâ quadam Stoicâ, hausisse videatur, etiam alios in hanc sententiam iuisse monstrabimus. Philo doctissimus Iudæus, *Chaldæi*, inquit *hominem Enos vocant, ac si solus verè homo sit, qui res bonas expectat, & bona spe se sustinet. Vnde manifestũ est, quòd spe carentem non hominem existimant, sed bestiam humana forma præditã, cui desit spes proprium ornamentum humanæ animæ.* Immò vsque adeò talis est *bestia humana forma prædita*, vt D. Gregorius Nysse-nus in illud: *Et præsit bestijs* ita scribat: *Im-*

Philo in lib. de Abrahã. circa initium.

S. Greg. Nyssen.

pera

pera bestijs omnibus, quæ sunt in te. Quid? inquies, egone' in me ipso bestias habeo? Tu verò bestias habes, & eas quidem innumerabiles, plurima in te est bestiarum multitudo. Ac ne me contumeliosum existimes, dic, amabo, paruané est bestia iracundia, quando latrat in corde tuo? nonne ea est quouis cane crudelior? Quid? in callido animo tuo dolus latitans, nonne quouis vrso fraudulento sæuior est? Quid? nonne fera est hypocrisis, vel immanissima? Qui autem impetu rapitur ad contumeliam nonné scorpius est? Qui præceps ad vindictam vltionemq; fertur, nonne est vipera grauissima? Quid auarus ipse? nonne lupus est rapacissimus? Nulla in nobis fera non inuenitur. Qui fœminarum amoribus insaniunt, nonne furiosi sunt equi? Equi amatores, inquit, & emissarij facti sunt, vnusquisq; ad vxorem proximi sui hinniebat. Sic in alicuius feræ naturam quisq; conuertitur, vt aliquo animi vitio, perturbationeq; vincitur. Ex quo fit, vt innumerabiles in nobis sint feræ. Credis igitur te ferarum esse dominum, ac principem, si illis, quæ foris sunt, imperes, eas autem quæ intus versantur non domes, ac regas? Quorsum tibi ratio, qua leones vincis, eorumq; fremitum non reformidas, cùm ipse

orat. 1. de hom. prod creat.

dentibus frendas, vt Leo, & præiracundia vocem confusam, & perturbatũ clamorem emittas? Quid enim grauius aut acerbius est, quàm cùm iracundiæ furor totus erumpere nititur, nec intus vllo modo contineri potest? cùm ab aliqua perturbatione victus est homo, non iam ipse imperat, sed in eius animo perturbatio dominatur. Quamobrem cùm ita creatus sis, vt bestijs imperes, & serpentibus, & volatilibus, perturbationibus impera. Ne permittas cogitationem tuam sublimem vagari. Ne sinas animum tuum leuitate instabilem ferri. Datũ est tibi vt auibus præsis: absurdum erit si visces volantes illas ita capias, vt ipse leuis sis, efferarisq; superbia. Ne sublimes spiritus tollas, ne intumescas, ne tibi nimium placeas, aut plus de te sentias, quàm patiatur humana conditio. Ne laudibus inflatus extollaris, ne te ipse iactites, aut magnum aliquid esse putes. Alioquin eris volucrum similis, quæ natura leues & instabiles huc illuc feruntur, & volitant. Tuum igitur animum moderare, eiq; imperato, si vis rebus omnibus imperare. Hâc ratione nobis in animantia attributum imperium nos monet ac disponit, vt ipsi nobis imperemus.

§. V.

D. Chrysostomi, & Isidori eius imitatorũ de eadem re verba. Co-

Consonat D. Nysseno D. Chrysostomus his verbis, dum fidelem non ex fidei legibus viuentem ita castigat: *Quid verò fidelem dico? Nec enim es homo, si manifestè possum videre. Cùm namq; tanquam asinus recalcitres; lasciuias autem vt taurus; tanquam equus verò post mulieres hinnias; ventri tanquam vrsus indulgeas; & vt mulus carnem impingues; & malum memoria teneas, velut camelus; porrò rapias quidem vt lupus; at vt serpens irascaris; ferias vt scorpius; sis subdolus vt vulpes; nequitiæ verò tanquam aspis & vipera venenum serues; at sicut ille malignus dæmon fratres impugnes: quomodo te cum hominibus connumerare valeam, talis in te naturæ signa cùm non intuear?* Hæc ille, qui alibi addit, brutum quodlibet vnicam bestiam esse; qui verò à virtute deflectit, in tot bestias, quot peccata admittit, transformari. Imitatur idem magnus Chrysostomi æmulator, ac aliquando auditor, Isidorus Pelusiota his verbis: *Si rem accuratè atq; exactè perpendere velimus, non iumentis duntaxat: sed etiam truculentis feris comparari posse videtur, immo etiam eas superat, qui turpium affectionum ac libidinum amator est. Quodq; mirum, atque ab*

S. Chrys. hom. 4. in Matth.

Idem hom. 1. in Ioan.

Isidor. Pelusiot. lib. 2. ep. 135.

hominum opinione alienum est, quæq; fera vni tantùm vitio seruit: at qui hominis speciem habet, omnibus vitijs in vnum congestis & cumulatis, vltra eorum temeritatem & amentiam progreditur. Ac ne me hyperbolicè loqui putes, res ipsas incorrupta mente perpendamus. Cùm enim quispiam vt taurus subsultat; vt asinus calcitrat; vt salacissimus equus in feminas hinnit; vt vrsus voracitati studet; vt mulus corpus saginat, vt camelus iniuriarum memoriam retinet; vt leo irascitur; vt lupus rapit; vt scorpius ferit; vt serpens subdolus est; improbitatis venenum vt vipera conseruat; opes denique, vel, vt rectiùs loquar, peecata cumulat, vt scarabeus scarabeas, quonam pacto quispiam hunc belluino animo præditum inter homines recensere poterit, cùm mitis ac placidæ naturæ lineamenta in eo minimè perspiciat, verùm Scyllæ cuiusdam, & Chimæræ atque Hydræ (iuxta externas fabulas) fœtorem cernat.

§. VI.

Clementis Alexandrini & Senecæ iudicio, luxuriantes in bestias mutari.

Clem. Alex. l. 1. Pædagogi, c. 13.

Assonat & Clemens Alexandrinus his verbis. *Quin etiam, quod supremum est omnium, ipsam Philosophiam definiunt, studium*

rectæ

rectæ rationis, adeò vt sit necessariò delictum, quidquid fit propter errorem rationis, & meritò Græcè vocetur ἁμάρτημα, hoc est, erratum, quod etiam peccatum significat. Iam enim quando primus homo peccauit, & Deo non obedijt: Et iumentis, inquit, assimilatus est homo, qui præter rationem aberrasset, meritò rationis expers existimatus comparatur iumentis. Hinc etiam dicit Sapientia: Equus ad coitum, libidinosus, & adulter irrationali iumento assimilatus. Et ideò subiungit: Quocunq; super eo sedente hinnit. Non amplius, inquit, homo loquitur. Non est enim amplius particeps rationis, qui peccat præter rationẽ: est autem expers rationis bellua, dedita cupiditatibus, cui omnes voluptates insident. Ita ex hominibus equos facit luxuria; quos, eodẽ teste Alexandrino Clemente, & luxus in bestias mutat, luxus, inquã, ille, qui in escis & esculentis quæritur. Ita enim disputat. *Victus, qui sufficientiam excedit ac obruit, homini multùm officit; animam certè segnem & inertem reddit, corpus verò valetudinarium, & quod in morbos facilè prolabitur efficiens. Quin etiam voluptates quæ in diiudicandis condimentis anxiæ sunt & difficiles, probra & maledicta inurunt: vtpote liguritionem, in-*

Idem Alexand. Clemens. l. 2. Pædogogi. c. 1.

gluuiem, edacitatem, voracitatem, insatiabilitatem, & huiusmodi alia. Muscæ quoque aptissimè vocantur, & adulatores, & gladiatores, & immane genus parasitorum: ventris voluptate hi quidem rationem, illi verò amicitiam, alij autem vitam ipsam vendentes, super ventrem serpentes, belluæ hominibus similes, ad imaginem patris sui, edacis voracisq; belluæ. Has ciborum vinorumque Charybdes etiam Seneca in animalium ratione carentium classem reponens ait: *Taurus pauciſsimorum iugerum pascuis impletur: vna silua elephantis pluribus sufficit: homo & terra pascitur, & mari. Quid ergò? tam insatiabilem nobis natura aluum dedit, cùm tam modica corpora dedisset, vt vastissimorum edaciſsimorumq; animalium auiditatem vinceremus? minimè. Quantulum est enim, quod naturæ datur? paruo illa dimittitur. Non fames nobis ventris nostri magno constat, sed ambitio. Hos itaq; (vt ait Sallustius)* ventri obedientes *animalium loco numeremus, non hominum; quosdam verò ne animalium quidem, sed mortuorum.*

Senec. ep. 60.

§. VII.

Eiusdem Clementis sententia, quos vulpibus cicadis, & c. comparet?

Verùm

Verùm ad Clementem reuertamur, qui Sophistas cicadarum & vulpium nomine condecoratos nihil mentis, multum vocis, aut strepitus potiùs habere asserit. *Ob hanc artem*, inquit, *se efferentes Sophistæ infelices, canoris quibusdam suis nugis garrientes, cùm in nominum delectu & certa dictionum compositione & connexione, tota vita laborant, cicadis apparent loquaciores, eos quibus pruriunt aures non satis, vt mihi videtur, viriliter demulcentes, & titillantes.* Clemens Alex. l. 1. Strom.

Verborum non stilla cadens, sed flumen iners.

Et certè quemadmodum veteribus in calceis, imbecilla ijs sunt alia & diffluunt, sola autem eis restat lingua. Pulchrè ergo eos insectans scribit Solon Athenienſis:

Ad linguam aspicitis, & dulcia verba loquentes,
At quod fit, nemo spectat, agentis opus.
Ac quiuis vestrûm vulpis vestigia figit,
Et mentẽ vacuã putidulamq; gerit.

Hoc vtique significat vox illa salutaris: Vulpes foueas habent, filius autẽ hominis non habet, vbi caput reclinet. Super enim solo eo, vt arbitror, qui credit perfectè separato ab ijs bestijs, Matth. 8. Luc. 9.

quæ dictæ sunt à scriptura, rerum omniũ caput conquiescit ac princeps, nempe benignũ & mansuetum verbum, qui comprehendit sapientes in astutia ipsorum: Dominus enim solus cognoscit disceptationes sapientum, quòd vanæ sunt. Sapientes vtique Scriptura vocante Sophistas, qui in dictionibus versantur & artibus superfluis. Vsque adeò vulgare est, à bestijs mores hominum appellare, vt nihil ferè sit apud plebem communius. *Lysandrum Lacedæmonium aiunt, cùm ageret in Ionia, Lycurgi molestas laboriosasq; leges reiecisse, & vitam dissolutè luxurioseq; habuisse. Lamia igitur scortũ Atticum dixit, Leones Græci, Ephesi redduntur vulpes.* Quibus etiam feminarum se superbia assimilat, syrmata longa post se trahentium, more vulpis vestigia sua verrentis. Diximus supra, fuisse inter monstra, qui equorum instar dependulam retro haberent appendicem. Qualem etiam scribit Marcus Polus esse ijs, qui iuxta Lauam in prouincia Lambri degunt, absque villis quidem, sed in vlnæ mensuram excurrentem: aut de quibus Plinius memorat miræ pernicitatis hominibus: vel quos tradit Pausanias, in insulis Satyridis, equis ea parte pares esse. Quod in his monstrosum,

Ælian. l. 13. Var. c. 8. & 9.

Marcus Polus l. 5. cap. 15.

Plin. l. 7. cap. 2.

ſtroſum, in feminis ſcilicet erit formoſum? Enimuerò hoc eſt, quod eas ſerpentibus aut etiam draconibus ſimiles facit: nam & hi vermes, & ſtelliones, & baſiliſci eiuſmodi poſt ſe ſyrma trahunt.

§. VIII.

Monſtroſi ſuperbarum feminarum ſumtus.

Quid ſi in medium adducam vitium, quod ex hominibus camelos, immo elephantos, immo plus quàm inſulares balænas facit? Nihil fingam, vera dicam, & nemo credet, niſi digitis monſtrata. Sunt in quodam loco fæminæ tam magnæ, vt ijs veſtiendis non vnus, non duo, non centũ ſartores ſufficiant; ſed vt tegantur, totæ debent nationes laborare. Sunt tam robuſtæ, vt totos agros & fundos poſſint manibus & digitis portare. Sunt tam validæ, vt capiti domos, & arces, & turres imponant. Sunt tam formoſæ, vt velut cælum ſtellatum luceant. Sunt tam artificioſæ, vt, qualemcunque, vel capillũ, vel vultum optant, hominibus oſtendant. Quis hæc omnia non putet iudicetué eſſe pluſquàm monſtroſa? Super quæ accedit, quòd ſexum mutent, quoties volunt; vt in equis & feneſtris viros exiſtimes te vi-

dere, quas paulò priùs audisti puellas nominari. Nec sanè paucæ sunt tales: crebrò occurrunt, immò in oculos nostros incurrunt. Non est hæc mea fictio. Dudum hæc omnia, & plura scripsit Tertullianus. Scripserunt & alij Patres. Quin Ethnici quoque ipsi scripserunt, quando intolerabilem mulierum superbiam atque luxum exaggerarunt. Iunones nostræ, Nymphæ Palatinæ, mulieres extra aulam aulicæ, sunt tales. An non pro vnica tegenda & vestienda totæ laborant nationes? an non necesse fuit, vt pro vna Cleopatra, aut Messalina *Milesij oues tonderent, & Seres arbores nerent, & Tyrij tinguerent, & Phryges insuerent, & Babylonij intexerent, & margaritæ canderent, & Ceraunia coruscarent?* In sandalia vnius reginæ quot vrbes sumtum conferunt? Antiqua res est superba prodigalitas. Nam & Pindarus *Agrigentum sacrum* idcirco appellat, quòd olim Proserpinæ à Ioue assignatũ fuisset in ἀναλυπτήρια, id est, cùm primùm se vi- sendam sponsa præberet. Plutarchus, ob eandem caussam, totam scribit *Siciliam sacram*. Athenæus memorat, subacta à Persis Ægypto, Anthyllam vrbem dari solitã regis

Tertull. lib. de habitu mulierum cap. 1.

Plutarch. in Timoleonte

Athen. l. 1. c. 30.

regis vxori in *calceamenta*. Herodotus tradit, plurimos pagos, in quibus fixerat tabernacula, Paryſatidi reginæ datos in *cingulum*, vt Muretus legendum putat, qui etiam teſtatur, Lutetiæ Pariſiorum, vectigal quoddam ex vino, appellari vulgò *cingulũ reginæ*. Quam tamen ſummã multæ Deum amantes matronæ, etſi in ſuperbiam ab alijs deſtinatam & conſumtam, ipſæ potiùs in cultum & honores diuinos, animarumq; ſalutem conuerterunt. Quod narrat factum Horatius Turſellinus, cùm ſcribit, penſionem quandam aureorum quadringentorum in Canacapolas Chriſtianorum in India, à Luſitaniæ rege reginæ vxoris, crepidarum & ſoccorum nomine, jam olim S. Franciſci Xauerij rogatu attributam, penſitari. Ex his cenſibus perſpici poteſt, quàm verè dixerit Tertullianus: *Breuiſſimis loculis patrimonium grande profertur. Vno lino decies ſeſtertium inſeritur. Saltus & inſulas tenera ceruix fert. Graciles aurium cutes Kalendarium expendunt, & ſiniſtra per ſingulos digitos de ſaccis ſingulis ludit. Hæ ſunt vires ambitionis, tantarum vſurarum ſubſtantiam vno & muliebri corpuſculo baiulare.* Vides robuſtas feminas?

Herodot. lib. 2.

Horat. Turſell. lib. 2. de vita S. Franciſci Xauerij cap. 2.

Tertull. loc. cit.

minas? quibus in capite lucet gemma tribus arcibus emta, & de turrita capillorum ſtructura pretia domorum exſplendeſcunt. Quot talenta in Cleopatræ auribus pependerunt? *Duo fuerunt maximi vniones per omne æuum. Vtrumq; poſſedit Cleopatra Ægypti reginarum nouiſſima, per manus Orientis Regum ſibi traditos. Hac cùm exquiſitis quotidie Antonius ſaginaretur epulis, ſuperbo ſimul ac procaci faſtu, vt regina meretrix lautitiã eius omnem apparatúmq; obtrectans, quærente eo, quid aſtrui magnificentiæ poſſit, reſpondit vnâ ſe cœna centies H-S. abſumpturam. Cupiebat diſcere Antonius, ſed fieri poſſe non arbitrabatur. Ergo ſponſionibus factis, poſtero die, quo iudicium agebatur, magnificam aliâs cœnam, ne dies periret, ſed quotidianam Antonio inſtituit, irridenti, computationémque expoſtulanti. At illa corollarium id eſſe, conſumpturámq; ſe in eâ cœna taxationem confirmans, ſolámq; ſexcenties H-S cœnaturam, inferri menſam ſecundam iußit. Ex præcepto miniſtri vnum tantùm vas ante eam poſuêre aceti, cuius aſperitas viſq; in tabem margaritas reſoluit. Gerebatq; auribus tum maximè ſingulare illud, & verè vnicum naturæ opus. Itaque, exſpectante*

Plin. l. 9. c. 35. nat. hiſt.

ſtante Antonio, quidnam eſſet actura, detractũ alterum merſit, ac liquefactum abſorbuit. Iniecit alteri manũ L. Plancus iudex ſponſionis eius, eum quoq; paranti ſimili modo abſumere, victúmq; Antoniũ pronunciauit, irato homine. Comitetur fama vnionis eius parem, capta illa tantæ quæſtionis victrice regina diſſectũ, vt eſſet in vtriuſq; veneris auribus Romæ in Pantheo dimidia eorum cœna. Nimirum, vt Satyricus dixit:

Nil non permittit mulier ſibi, turpe putat nil, Iuuenal. ſat. 6.
Cùm virides gemmas collo circumdedit, & cùm
Auribus extenſis magnos committit elenchos.

§. IX.

Monſtroſus feminarum virorumq; fucus.

Si formam ſtellati in hoc ſexu cæli, ſi artem vultus & capillorum colorem mutandi dici tibi cupis, *Habitus fœminæ*, ait Tertullianus, *duplicem ſpeciem circumfert, cultum & ornatum. Cultum dicimus, quem mundum muliebrem vocant: ornatum, quem immundum muliebrem conuenit dici. Ille in auro, & argento, & gemmis, & veſtibus deputatur: iſte in cura capilli, & cutis,* Tertull. lib. de habitu mulierum cap. 4.

& earum partium corporis, quæ oculos trahunt. Alteri ambitionis crimen intendimus, alteri proſtitutionis. Ridemus Indos, qui cutim floribus pingunt, aut gemmatis vultibus incedunt, & lapillos carni viuæ inſerunt, frontisque atrum lurorem carbunculis & ſmaragdis diſtinguunt, prodeuntq; diſcolores, more pſittacorum: ſed maximè ſic ornant perituros; vt ſplendidè pereant. Æquè ridendæ ſunt iſtę grandes matronæ, ac nymphæ Palatinæ, quæ faciem fictam geſtant, & effigiem mentiuntur, fucoque decipiunt amatores. *In* Dominum *enim delinquunt, quæ cutem medicaminibus vngunt, genas rubore maculant, oculos fuligine colliniunt. Diſplicet illis nimium plaſtica Dei: in ipſis redarguunt, reprehendunt artificem omnium. Reprehendunt enim cùm emendant, cùm adiciunt, vtique ab aduerſario artifice ſumentes additamenta iſta, id eſt, diabolo. Nam quis corpus monſtraret mutare, niſi qui & hominis ſpiritum malitia transfigurauit? ille indubitatè huiuſmodi ingenia concinnauit, vt in nobis quodammodo manus Deo inferret. Quod naſcitur, opus Dei eſt. Ergo quod fingitur, diaboli negotium eſt. Diuino operi, ſatanæ ingenia ſuperducere, quàm ſceleſtum eſt?* Hæc,

Vide hiſtoriam Antipodum Io. Gottefr. pag. 120. & pag. 145.

Tertull. lib. de cultu feminar. cap. 5.

Tertul-

Tertullianus de feminis, & longè plura in duobus diuersis libris. Propertij sunt ista:

Propert. l. 2. el. 18.

Vt natura dedit, sic omnis recta figura:
Turpis Romano Belgicus ore color.

Quid enim est aliud, ait Franciscus Patricius, *pœnitere sui ipsius, & seipsam odio habere, quã aliam faciem inducere? & visco, cerussa, fuco, aliysq; pigmentis naturam violare? Qui quòd paulo post, ablutis adulterinis coloribus, ad formam pristinam redit, non sine irrisione omniũ familiarium, & cum damno etiam natiuæ venustatis? Ex illis namq; venenis rugæ ante tempus faciem arant, oculi caligant, dentes obscuriores fiunt: animaq; vxoris pessimè olet. His commentitijs coloribus fœditatẽ aspectus, & contemptum sibi comparant, odiumq; viri.* Et præsertim,

Franciscus Patricius de instit. Reip. l. 4. cap. 5.

Cùm miseri viscantur labra mariti.

Quare inter amoris remedia præscribitur resipiscere cupienti, vt improuisus adsit, & Sirenulæ suæ vitia deprehendat.

Tu quoq;, compositis sua cùm linit ora venenis,
Ad dominæ vultus, nec pudor obstet, eas.
Pyxidas inuenies, & rerum mille colores;
Et fluere in tepidos oesypa lapsa sinus.

Ouid. l. 1. de Remed.

Illa

Illa tuas redolent, Phineu, medicamina mensas:
Non semel hinc stomacho nausea facta meo.

Longè maior nausea creatur ijs, qui deprehendunt suas, galericulum gestare, atque ascititijs pilis, à meretrice, aut vespillone emtis, vel caluitiem, vel canitiem dissimulare, & crispare comas alienas, quibus, tanquam cornicula, alienis plumis superbiunt & triumphant. Multoque maior nausea mouetur ijs, qui ex vetularum vultibus conijcere volunt, quid de vultibus futurum sit iuuencularum. Quàm multæ enim scitissimæ pulchritudinis puellæ inquantas, quamque cadaueroſas, senio formam deuastante, laruas degenerant? Ipsâ enim naturæ lege illud capillorum quondam succinum auro & gemmis distinctum, in luridam canitiem, & ingratas capitis niues, tandemque etiam, velut in Meduſæos angues vertitur. Oculi stellis æmuli, in stillantes & sanguineas lacunas mutantur, vt sine contagio, aut fascino aspici non possint. Candidum genarum æquor purpurâ velut corallio relucens, in squallidum aruum rugis aratum, & verrucis, velut

lut collibus ebulliens, buxantemque luro-
rem abit, ſimilem folijs autumnalibus, de
arbore lapſis, quæ virorem amiſerunt. Ita-
que non jam in labris roſæ, non ſerenitas
in fronte, ſed triſtis nubes ſedet, quæ ter-
ret intuentes. In ore nullum ebur dentium,
ſed quoddam barathrum Auernale. E na-
ſo ſtiria, ex ore mucus, è mento ſaliua pen-
det. Hoc nunc ſtibium eſt tam bellæ olim
puellæ. Ita Tiſiphone facta eſt, quæ olim
erat Calliope; neque iam in cenſu habetur
Gratiarum, ſed occurrentibus putatur eſſe
quarta Furiarum. Quis non pro monſtro
habeat talem metamorphoſin, quæ de
virginea facie in tam fœdam tranſit Har-
pyiam? quæ longè, poſteà in ſepulchro
tabe & vermibus cooperta, fœdius erit
teſtimonium humanę vanitatis. Vult hoc
ita per naturam fieri Author naturę, vt
ſciant, quid ornent puellæ, quæ ſe adeò
comunt & ornant, vt prodigia videantur;
quin vt iuuenes quoq; nôrint, quid ament.
Dicturi enim ſunt aliquando cum Franci-
ſco Borgia: *Hæccine illa ſunt lumina, quæ om-
nium in ſe oculos conuertant? hæc venuſtas il-
la, quæ aliarũ formas extinxerat? Tunè Iſa-
bella? Tunè Auguſta? Fallunt oculi? aberrat
mens?* Andreas Schottus in vit. Franciſc. Borgia l. 1. cap. 7.

mens? Sed non fallunt: Nimirum humanarum hæc rerum viciſsitudo eſt. I nunc, fragile illud formæ bonum admirare. I, lutum hoc auro orna; i, pinge cutem; criſpa capillos; ſtringe cincinnos, puella. Quæ etiam in viris ſunt longè deformiora. Quanquam ita tonſæ ſunt nunc & pileatæ, ita viriliter thoracatæ, ſeu nuptæ, ſeu nubiles fæminæ; ac viciſſim ita comtuli & cincinnatuli iuuenes, vt, ſi eos videas per feneſtram proſpicere, facilè in viris fæminas, & in fæminis viros autumes te intueri. Adeò monſtra ſunt & puellæ vt iuuenes tonſæ,

Tertull. lib. cit. cap. 8.

& iuuenes vt femina compti, propriasq; præſtigias formæ & hic ſexus ſibi agnoſcit, barbam acriùs cædere, interuellere, circumdare capillum, diſponere, etiam colorare canitiem, primāquamque ſubducere totius corporis lanuginē, pigmento quoque muliebri diſtinguere cetera pulueris cuiuſdam aſperitudine leuigare, tum ſpeculum omni occaſione conſulere, anxiè inſpicere, cùm tamen cognito Deo adempta placendi voluntate, per luxuriæ vacationem, omnia illa, vt ocioſa, vt hoſtilia pudicitiæ recuſantur. Sed de his iuuenum monſtris ſatis ſuperq; egi in ſecundo libro de Labyrintho, vbi eos monſtro camelopardali cōparaui.

Lib. 2. de Labyrinthi fraud. cap. 3.

§. X.

§. X.

Boëtij de hominum in beſtias mutatione ſententia.

In longam Iliadem opus excurret, ſi omnes hîc voluero enumerare ſimilitudines, & nomenclaturas, quibus ſcriptores tam ſacri, quàm profani, & populi vulgus ſingula mortalium vitia ſolent exprimere. Quoddam velut compendium accipe à Boëtio, & quod non vis dici, noli eſſe. *Vide*, inquit, *ex aduerſa parte hominum, quæ improbos pœna comitetur, &c. Quidquid à bono deficit, eſſe deſiſtit. Quo fit, vt mali deſinant eſſe, quod fuerant. Sed fuiſſe homines, adhuc humani corporis ſpecies oſtentat. Quare verſi in malitiam, humanam quoque amisêre naturam. Sed cùm vltra homines promouere ſola probitas poſsit, neceſſe eſt, vt quos ab humana conditione deiecit, infra hominis meritum detrudat improbitas. Euenit igitur, vt quem transformatum vitijs videas, hominem exiſtimare non poſsis. Auaritiæ ſeruit alienarum opum violentus ereptor? Similem lupo dixeris. Ferox atq; inquietus linguã litigijs exercet? Cani comparabis. Inſidiator occultus ſurripuiſſe fraudibus gaudet? Vulpeculis exæquetur. Iræ intemperans fremit?* Boët. l. 4. de conſolat. Phil. proſ. 3.

Leonis animum gestare credatur. Pauidus ac fugax non metuenda formidat? Ceruis similis habeatur. Segnis ac stupidus torpet? Asinum viuit. Leuis ac inconstans studia permutat? Nihil ab auibus differt. Fœdis immundisq; libidinibus immergitur? Sordida suis voluptate detinetur. Ita fit, vt qui, probitate deserta, homo esse desierit, cùm in diuinam conditionem transire non possit, vertatur in belluam. Quod multò magis est prodigiosum, quàm si cicuratæ belluæ vertantur quodammodo in homines, discantq; ire per extentum funem, quod de elephantis refertur, & de alijs bestijs alia, quæ alioqui non videntur, nisi ab humana prudentia prouenire. Meritò igitur & ego, mutato stilo, dicere possum;

Postquam cœperunt homines bruteſcere, verſo
Ordine, cœperunt homineſcere bruta vicißim.

CAPVT

CAPVT XVI.

Defectus monstrorum & naturæ, plerumque aliunde compensari.

§. I.

In libera Dei potestate esse, vt monstra producat.

POterant huc vsque disputata satis placare imperitorum monstra carpentium querelas: & sufficit, malitiæ atq; superbiæ fructum esse, quod impatientia non vult tolerare; immò audet in tam benigno Plasmatore, criminosissimis iniurijs accusare. Quid enim? si monstrum finit gigni, cui iniuriam facit? quid, si luscum, aut cæcum, aut manibus pedibusúe truncum hominem in lucem prodire ab vtero matris suæ permittit? Dominus est vniuersæ naturæ. Quod vult, facit. Potuisset talem omnino non sinere nasci, aut concipi. Potuisset eum in Nihilo suo relinquere. Quidquid ei dedit, gratis dedit; & sæpe etiam ingrato. Quidquid negauit, pro potestate sua negauit. In summa tantum dedit, quantum dare voluit. Statuarius ex ingenio fingit simulachra, alia sine pedibus, & pectore tenus

Rom. 9. 21. tantùm, alia integra. *O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit: Quid me feciſti ſic? An non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Hoc nos per Prophetam

Ierem. 18. 6. ſcire voluit, cùm illius ore diceret: *Ecce ſicut lutum in manu figuli, ita & vos in manu mea.* Quid inde conficitur? Id quod Apoſtolus dicit, *O homo, quis es, qui reſpondeas Deo? Reſpondere Deo non poſſe conuincitur,*

S. Greg. lib. 9. moral. c. 8. ait S. Gregorius, *qui homo nominatur; qui per hoc, quod de humo ſumtus eſt, judicia ſuperna diſcutere dignus non eſt.*

§. II.

Compenſatio eorum, quæ deſunt in vno loco, aut alia re, à diuina prouidentia Mundo proſpecta.

Hæc quanquam ita ſint, & licet negare vnicuiq; poſſit, quod vult, tamen tam bonus eſt Plaſmator noſter, vt plerumque quod in vno negat, in altero compenſet. Ita, teſte Alberto Hierone, *vbicumq; locorũ*

Albert. Hieron. Senecanus lib. 1. de Prouident. Dei. c. 7. *alicuius rei ad vitam neceſſariæ inopia laboratur, ibi aliud quiddam, quod eius vicem ſupleat, inuenitur. In Ægypto, vbi rara pluuia, Nilus ripas aluei ſupergreſſus, id quod à*

calo

cælo regioni isti negatum est, etiam abunde sua irrigatione compensat. In locis mediterraneis, vbi salis factitij materia deest, fodinæ salis à natura confecti reperiuntur, ne vlla terræ pars condimento ciborum tam necessario destituatur. In Norvegia & Suetia, vbi perpetuo gelu omnia rigent, non solùm quercus, pinus, abietes, & id genus aliæ arbores tanta copia, quanta vix vsquam alibi, proueniunt, verùm etiam Marturi, Zebellini, Ceruarij, nigræ & albæ vulpes, quarum pelles ad frigoris asperitatem mitigandam apprimè idoneæ sunt, plures, quàm alijs locis visuntur. In Frisia, Hollandia, Taxandria, vbi nullæ, aut raræ siluæ inueniuntur, cespitis quoddam genus è terra effoditur, quod ad solem siccatum tam idoneum sit ignis fomentũ, vt lignorum desideriũ facile harũ regionum incolæ ferant. M. Paulus Venetus dicit, in regno Cathaij, quod lignis caret, nigros lapides inueniri, qui in ignem missi, vt lignum, ardent. Vbi, ob serpentum ingentem numerum, homines in magno periculo vitæ versantur, ibi lacertæ humano generi amicæ, si quando dormienti in pratis homini serpentem insidiari vident, faciem eius perreptant, vt a somno excitetur, & insidias declinet. Huiusmodi naturæ succursus, qui passim in ma-

Vide & Adrian. Iunium in Batauiæ historia.

gno mundo cernitur, etiam in homine, hoc est, in *paruo mundo*, reperitur, cui si vnum membrũ deest, aut læsum est, alterũ tanto magis seruit, pedemq; manus, & sensum sensus haud rarò compensat. Aut si defectus corporis dexteritate non sarcitur, ingenij dotes, animiq; vires tanto sunt locupletiores. Quemadmodum fit etiam, in Brasilorum canibus, qui cùm latrare nequeant, tamen possunt vlulare, more luporum. Quod ipsum experimur in luce mundi sideralis, vbi subducto sole, luna effulget, aut clarus stellarum chorus. Ita quoque sunt alij suæ quisque regionis indigenæ, quorum si quid in vno deest, in altero supersit. Æthiopi barbam non dedit natura, dedit autẽ capillum tanto densiorẽ, quo solem arceat capiti flagrantiùs imminentem. Europæus crispata coma non indiget, ea igitur illi materia de vertice ad mentum defluit, vt barba vestiatur. Atq; hæc quidẽ opera sunt naturæ in vno compensantis, quod deest in altero; & hiemi, soboleſcentem vernæ telluris fæcunditatẽ substituentis; quam tamen seu vicissitudinem, seu compensationem non miramur, quia consuetudo transit in contemtum,

Io. Lud. Gottfrid. in hist. Antipod. p. 1. pag. 177.

aut

aut neglectum. Illas igitur res alba linea signandas arbitramur, quas raritas commendat. Ostendam igitur, alias quoq; in monstro, vel monstrosis compensationes admirationem meritas, non quòd rarò contingant, sed quòd rarò expendantur; aut narrentur, cùm tamen manifesta Numinis ex illis prouidentia, & sapientissimũ iudicium eluscescat.

§. III.

Paruorum hominum magna virtus.

Philetam Coum aiunt macerrimo corpore fuisse. Quoniam igitur quauis occasione facilè subuerti poterat, ferunt eum plumbeas habuisse soleas in calceis, ne à ventis prosterneretur, si paulò duriùs eum afflassent. Quod ergo illi in corpore pondus natura negauit, id à plumbo ingenium addidit: alijs quod eadem natura in mensura subtraxit, in pondere substituit, & breues quidem, sed pingues fecit, & in omaso suum momentum habentes. Atque, vt à statura incipiamus, quoties, si corpus aspiciatur, pusillus quantus Molon, animos gerit gigante maiores? Vt nihil repetam de Zachæo; quanta laude afficit Pindarus Melissum Thebanum, qui statura corporis parua,

Ælian. lib. 9. variar. c. 14.

Suidas Verb. Molon. Luc. 19. Pind. od. 4.

parua, sed animo magno, Isthmio equo vicit? Eunapius testatur, ætate Iamblichi vixisse Alypium Alexandrinum corpusculo admodum exiguo, paulóque quàm cubitale, aut Pygmæi, maiore, quod intuenti videri poterat anima spiritusúe esse; sed vsque adeò quod corruptioni obnoxium erat, nihil adolescebat, vt etiam in diuinam quandam naturam consumeretur. Erat enim in Dialecticis exercitatissimus, & Philosophus, qui multos triumphos triumpharet. In difficili Hierosolymorum oppugnatione, Titus longissima oratione milites suos hortatus est, vti in Antoniam arcem ascenderent, eamq; caperent, qua capta, vrbs capta esset. Vbi perorauit: *cetera quidem multitudo periculi magnitudinẽ timuit: eorũ verò vnus, qui in cohortibus militarent, Sabinus nomine, genere Syrus, vir & manu simul, & animo fortis apparuit: licet, si quis eum ante vidisset, quantũ ex habitu corporis, ne specie quidem militem credidisset. Erat enim colore niger, exilis habitudine: sed anima quædam heroica, in macro corpore atq; angustiore viribus suis, habitabat. Cùm primus itaq; surrexisset, Dedo me, inquit, tibi alacri animo, Cæsar, & ante omnes in murũ ascendo: atq;* opto

Eunapius in Iamblicho.

Ioseph. lib. 7. de bello Iudaic c. 5.

opto quidem, vt vires ac voluntatem meam sequatur fortuna tua. Quòd si cœpto casus inviderit, scito, me non præter spem, quòd res aliter cesserit, sed quòd sic decreuerim, pro te moriturum. His dictis & scutũ læua capiti prætendens, strictoq; dextera gladio, circa horam diei sextam murum petebat, sequebantur autẽ ex alijs, qui soli eius virtutis æmuli esse cupiebant, vndecim viri. Multò autẽ omnes antecedebat diuino quodã impetu excitatus, cùm de muro custodes iaculis, & sagittis vndiq; infinitis appeterent, atq; ingentia saxa deuoluerent, quæ nonnullos de vndecim deiecerunt. Sabinus autem missilibus occurrens, licet obrueretur sagittis, non tamen antè impetũ cohibuit, quàm summa muri prehenderet, hostesq; in fugam verteret. Viribus enim eius atq; animi pertinacia territi, pluresq; ascendisse rati, non steterunt. Qua in re fortunam quis veluti virtutibus inuideat, semperq; præclaris facinoribus officiat, non incusauerit? Siquidẽ hic vir neq; ab incepto erranit, & offensione lapidis cum maximo crepitu decidit. Vnde factum est, vt Iudæi reuersi, vbi solum & jacentem videre, ex omni eum parte iaculis peterent. Ille verò genibus nixus, & scuto protectus primò quidem vlciscebatur hostes, multosq; ad

se ap-

se appropinquantes sauciauit: vulnerũ autem multitudine remisit dexteram: & ad extremum priusquam redderet animam, sagittis est obrutus, vir dignus pro fortitudine, qui meliori fortuna uteretur, pro mensura verò cœpti facinoris cecidit. Hæc Iosephus de paruo illo, qui tamen maximos virtute superauit, quia

Maior in exiguo regnauit corpore virtus.

Experientiaq; ipsa ostendit, plerumque in paruo corpore magnos inesse animos. Virtus enim vnita fortior est seipsâ diuisâ. Cùm igitur virtus animæ in corpore paruo vniatur, in magno diuidatur & dispergatur, fit vt naturaliter paruis, quàm magnis facilior fiat magnanimitas, difficilior humilitas. Itaque animus non mensuratur corpore, sed corpus transcendit. *Breuis,* Eccli. 11. 3. *μικρὰ,* (id est, parua) *in volatilibus est apis,* ait sapiens, *& initium* (ἀπαρχὴν id est, principatũ) *dulcoris habet fructus illius.* Hinc & Apostoli *præsentia corporis fuit infirma,* 2 Cor. 10. 10. ingenium tamen, animus, virtus, & facta, ingentia; vt non tam quia statura paruus erat, quàm quia Paulos vicit, *Paulus* dictus videatur. *Vti Scipio,* inquit S. Hieronymus, *subiecta Africa, Africani sibi nomen assum-*

assumsit, & Metellus Creta subiugata, Cretici cognomentum reportauit, & Imperatores nunc vsq; Romani ex subiectis gentibus Adiabenici, Parthici, Sarmatici nuncupantur: ita & Paulus, ad prædicationem Gentium missus, primo Ecclesiæ spolio Proconsule Sergio Paulo, victoriæ suæ trophæa retulit erexitq; vexillum, vt Paulus diceretur è Saulo. Quamquam hoc non obstat Paulum quasi paruum, pusillum, modicum etiam dici, siquidem, vt docet Sigonius, Æmilianorum quoque familiæ, à parua statura nomen *Pauli* adhæsit. Sæpe igitur Paulo alicui, aut paululo hominis aliunde pondus accedit, cùm & ex Paulo Apostolus magnus sit factus.

Sigonius in nominib. Roman.

§. IV.

Alypianæ breuitas excusata, virtus laudata à S. Gregorio Nazianzeno.

In contrarium autem, *Valentissimo quisq; corpore longissimè abest à sapientia*, ait Cicero, & Poëta de tali ait:

Nulla in tam magno est corpore mica salis.

Quod non idcirco dixerim, quasi non rex Saul, alijque insignes heroës plurimi fuerint procero corpore; sed quia planè video passim, pusillos tanquam pusiones haberi, & deridiculo esse. Imitor itaque

S. Gregorius Naz. ep. 155.

que in hac masculorum apologia S. Gregorium Nazianzenũ, ad Nicolaum, qui Alypianæ vxori suæ, Gorgoniæ Gregorij sororis filiæ exiguam staturam exprobrauerat, his verbis rescribentem: *Alypianam apud nos cauillis incessus, vt paruam, & tua proceritate indignam, ô magne & vaste gigantine, tum forma, tum robore. Nunc demum intelligo, animũ mensuræ subijci, ac rupes margaritis præstantiores esse, coruosq; luscinijs augustiores. Tu verò magnitudine tua & cubitis fruere.* Deinde subdit. *Quòd si hoc quoq; adijcias, eam orationis caussa curuam esse, ac per ingentes mentis agitationes, perpetuã cum Deo consuetudinem habere, quid hîc de tua sublimitate, corporisq; mensura iactabis? Vide tempestiuum silentium: loquentem audi, quàm incomta sit animaduerte, quàm vt femina fortis ac strenua, quas rei domesticæ vtilitates afferat, quàm viri amans, ac tum illud Laconis dices: Certè animus in mensurã minimè cadit, atq; externum hominem oculos coniectos in internum habere oportet. Ita eam vt paruam deridere desines, & tuum coniugiũ faustum ac felix indicabis.* Hæc D. Gregorius Nazianzenus scripsit ad Nicobulum. Quæ vbi in alijs quoque paruis hominibus habent

habent locum, nihil vtique conqueri possunt, cùm corpore quidem alijs cedant, anima autem eosdem excedant, ac proinde meliore sui parte sint meliores.

§. V.

Formæ deficientis compensatio.

Alijs in statura, alijs in forma aliquid deest, sed sunt & hîc suæ compensationes. Exempli instar haberi possunt duæ sorores, filiæ Laban. Hic *habebat duas filias, nomen maioris Lia: minor verò appellabatur Rachel. Sed Lia lippis erat oculis: Rachel decora facie, & venusto aspectu.* Vtramq, duxit Iacob. *Videns autem Dominus, quòd despiceret Liam, aperuit vuluam eius, sorore sterili permanente. Quæ conceptum genuit filium, vocauitq; nomen eius Ruben, dicens: Vidit Dominus humilitatem meã, nunc amabit me vir meus. Rursumq; concepit & peperit filium, & ait: Quoniam audiuit me Dominus haberi contemtui, dedit etiam istum mihi, vocauitq; nomen eius Simeon.* &c: Vides compensationem? Rachel pulchra erat, sed infæcunda? Lia lippiebat, sed & pariebat; ita quod vni deerat de forma, accessit illi à prolis gloria; & quæ gloriabatur forma, sterilitate humiliabatur. Vule enim

Genes. 29. 16.

enim nihil, in hac vita, omni ex parte beatum esse Deus, vt ad aliam beatitudinē aspiremus; neque etiam omni ex parte miserum, ne deijciamur, videntes tristibus iucunda misceri. Æsopi quoque deformitas ab ingenio & sapientia fuit excusata. Noluisset formosus & stupidus esse. Præstat testam Cretico vino, quàm crystallinum calicem Germanicâ cereuisiâ plenū habere. Quid? Rhodopené roseo aspectu impudica, an deiectis oculis modesta Lydvvina laudabilior est? Denique eadem est conditio mortalium, formosi pariter ac deformes senescunt, ac moriuntur. Sed formosi ægriùs, quia in contrariam mutantur deformitatē: minore opus est mutatione ijs, qui iam antè sunt deformes, & fame exangues, qui clausis oculis cadauera putantur antè, quàm sint.

Herodot. lib. 2. & Plin. lib. 36. cap. 12.

§. VI.

Aurium defectus aliunde compensati.

Nunc singulorum defectus membrorū aliunde adiutos percurramus, atq; ab auribus, in quibus est disciplinæ sensus, incipiamus. Hunc sensum sæpe ars compensauit, natura correxit, ingenium impleuit, mutus magister docuit aliunde pete-

re.

re. Memorat Franciscus Vallesius; Petrũ Pontium D. Benedicti Religiosum natos surdos loqui docuisse, non alia ratione, quàm vt eis ostenderet primò, quo modo scribendum esset, res ipsas digitis indicando, quæ characteribus illis significarentur, ac deinde ad motus linguæ, qui characteribus responderent, prouocando. Sic quẽadmodum audientes per loquelã discunt scribere, surdi per scripturã discunt loqui. Plus est, quod alius Author de surdis & mutis scribit in hunc modũ: *Apud nos*, ait ille, *sanè habemus, adhuc adolescentẽ & virginem, ex iisdem parentibus, & quidem celebri & honesto genere prognatos, qui peculiari acumine ingenij sunt præditi. Et licet mutos & surdos eos ambos natura procreauerit, tamen vterq; scitè legere, & scribere elegantissimè, nec non & rationes mercatorias computare potest. Vt autem hic ex nutu, quæ sibi facienda sunt, dexterè percipit, & si deest calamus, gesticulationibus suas cogitationes exprimit, nec nõ & in omnibus aleæ lusibus, qui apud nos vsitati sunt, & non sine accurata ratiocinatione perfici possunt, excessit: ita illa acu & ingeniosa textura alias puellas facilè superat. Inter ceteras autem mirificas dotes,*

Franciſc. Valleſius de ſacra Philoſ. cap. 4.

Phil. Camerar. Cent. 1. Horar. ſubſeciuar. c. 37.

quas illis natura compensauit, memorabile est, quòd ex motu labiorum interdum percipere videntur, quid aliquis loquatur. Vnde videas eos conciones sacras sæpissimè frequentare, vt aliquis non absurdè dicere posset, videri, intentis oculis, visu eos haurire, quod alij auditu facere solent. Siquidem orationem Dominicam, aliasq; pias preces, quando volunt, absq; suggestione, alijsue adminiculis, scribunt, Euangeliaq; festis diebus destinata non secus, ac alij, memoriæ cõmendant, ita vt expeditè ea scribere possint. Quòd si in templis salutiferũ nomen IESV Christi profertur, hic, præceteris, in cœtu, detracto pileo, & genu flexo venerabundus conspicitur. Adeò natura, veluti fidelis mater, compensando solicita & studiosa est, ne tanquam dura nouerca meritò accusari possit. Quod enim in alijs sensibus adimit, in alijs restituit. His confirmandis nefas mihi ducerem, omittere domesticũ exemplum, quod mecum sæpissime etiam alij complures experti sunt. P. Paulus Layman, vir in quo pietas cum eruditione conspirauerat, fistulæ æneæ incautâ explosione, prope aures illius factâ, in solenni quadam supplicatione, vim audiendi prope omnem amisit. Assidua postea oris loquentium obser-

uatione

uatione didicit visu percipere, quod non poterat auditu. Et sunt authores, qui dicant ipsas litterarum figuras exprimi conformatione labiorũ, quæ dum I. pronunciant, contrahuntur; dum O, in circulum rotundantur. Ego planè in quadam Bauariæ arce, non procul Brunouio, vidi apud Illustrem Dominum Baumgartnerum surdam pariter & mutam ancillam, loquentes ex oris figura intelligentem; quæ etiam quia verè muta persona erat, nutibus ita omnia facta totius familiæ hero exprimebat, vt linguâ non videretur clariùs expressura. Simile quid sibi à fratre suo Ioachimo ex Cattis peregrè reuerso relatum scribit Philippus Camerarius his verbis. *Nuper, inquit, apud Illustrissimum Principem VVilhelmũ Landgrauium Hassiæ, vidi puerum mutum & surdum adeò ingeniosum, vt mirari eius solertiam, in exequendis rebus sibi comissis, non satis potuerim. Siquidem ex vnico nutu deprehendere mox is certò potuerit, quid Princeps & alij vellent. Longè autem superat mutum illum nostrum gesticularium in aula Pabebergensi, quamuis & illi natura, quod in duobus sensibus negabat, alijs in rebus miro quodam fœnore abunde compensârit.*

Phil. Camerar. Cent. 1. hor. subsec. c. 86.

sârit. Landgrauius cùm ita me mirabundum videret, Ecce, ait, quidquid inter ciues & aulicos noui accidit, quamprimum resciscit, id omne, qualecumq; sit, suis gesticulatorijs notis dexterrimè indicare solet. Sed audi præterea insigne diuinæ justitiæ exemplum. Mater eius furti fuit accusata, quæ cùm videret, se alio modo crimen purgare non posse, confugit ad imprecationes; cumq; esset eo tempore grauida, vt maius pondus verbis adderet, inter alias imprecationes dixit: Si vera essent, quæ illi objicerentur, se optare, & à DEO petere, vt fœtus ille, quem gestaret vtero, in lucem editus ne verbulum proferre posset, sed dum viueret mutus maneret. Quod postea, vt vides factum est, & ipsamet sese suis imprecationibus prodidit, furtoq; periurium adiecit. Quæ enormia delicta etiam in filio punita fuêre.

§. VII.

Monstrosarum aurium vtilitas.

Mela lib. 3. cap. 3. Sed, vt vera quoque aurium monstra damnum suum vtilitate sarcire intelligamus, sat mali sunt in insulis Septemtrionalibus, inquit Mela, quibus magnæ aures, & ad ambiendum corpus omne patulæ, nudis alioqui, prouectæ sunt. Asininæ aures de longitudine sua turpes videntur, quanta censebitur

sebitur in his turpitudo? At turpes videantur licet, tamen vtiles sunt. Vtuntur enim hi populi tam prolixis auribus, & culcitræ loco, & vice pallij, & pro lodice, alioúe tegumento. Hinc Plinius inquit: *Circa Pontum insulæ sunt Scythicæ, vbi Fanesiorũ gens nudo alioqui corpore, tam grandes aures habet, vt tota ipsorum corpora contegant.* Et Solinus tradit: *esse insulas, & Fanesiorum gentem, quorum aures adeò in effusam magnitudinem dilatentur, vt reliqua viscerum illis contegant; nec amiculum aliud sit, quàm vt membra membranis aurium vestiant.* Pigafetta testatur, quibusdam in insulis non admodum remotis ab insulis latronum, adeò longas hominibus aures esse, vt instar collarium (Almodicorum) per humeros fluant, & brachia ipsa tegant, vtq; videantur coriaceas pennulas, aut carneas epomides chlamydesque gestare. Sed longè quid luculentius scribit Maximilianus Transiluanus, in insula Gilon, quæ intra Molucas annumeratur, gentẽ esse, cuius tam grandes aures sint, vt non solùm super humeros propendeant; verùm etiam vt super vna, tanquam super molli calidoque lecto, iaceant; alterâ verò vniuersum

Plin. l. 4. nat. hist. cap. 13.

Apud Ramus to. 1.

uersum corpus, velut lodicula aut sisterio cooperiant. Quis hîc naturam accuset, quæ in auribus dat, quod alij emunt multis pecunijs ? cum illis enim præbet nudis vestem, lectum lassis, frigentibus calidum tegumentum. Fateor hæc faciliùs narrari, quàm credi: sed nihil credemus, si, quæ ipsi non vidimus, non credenda iudicamus.

§. VIII.

Monstrosorum pedum vtilitas.

Plutarch. de amore Prolis. Solin. cap. 53.

Hanc vim naturæ defectuumque naturalium compensationem Plutarchus quoq; non indiligenter considerauit, in alijs membris; nos pedum errata suis commodis solatijsq; non carere, nunc docebimus.

Plin. l. 7. nat. hist. c. 2. Gell. lib. 9. c. 4. Isidor. lib. 11. c. 3.

Gens reperitur, apud Indos, vno tantùm pede. Ast eo vno, licet poplitem non flectat, saltuatim perniciterq; currit, & multos anteuertit vtroque pede gradientes. Quin vbi solis æstus capita eius populi ferit, homines illi vnipedes, in terra resupini iacentes, vmbrâ pedis sursum erecti, latiore, quàm si ab Ionica columna proijceretur, suauissimè proteguntur. Quæ de causa *Sciopodes* appellantur. Fuisse talia monstra, in foro Carthaginensi, juxta portam pictas, testatur etiam D. Augu-

stinus

stinus. Posset dici compendium naturæ, quæ in pede suppeditauit, quod alij quærunt sub arbore, aut tectis. Extra siluas enim isti, & extra tecta inumbrantur; atque sine pauonis cauda, aut muliebri flabello suauissimè refrigerantur. In Tartaricis quibusdam locis comperti sunt, quibus vnicum crus ac pes, & vnicum est in pectore brachium. Igitur, vt Ioannes Apostolicæ sedis ad Tartaros legatus, alijq; testantur, industria vicem alterius cruris brachijué implet; immò brachium & crus ita conspirant, vt sint miræ pernicitatis; manu enim simul ac pede alternatim terram, rotarum in modum, contingentes, tanta celeritate currunt, vt Pegasos anteuertant. Brachio fatigato, vnius pedis immodicis saltibus celerrimè promouentur. Quin etiam in venationibus, & contra hostem sagittariorum officium non intermittunt. Quippe quod vnus nequit, bini præstant, dum alter arcum tenet, alter tendit, sagittamq; adducto neruo, euibrat. Ita manus manum iuuat, & quod vnus efficere non valet, duo consequuntur. Nempe etiam hoc Christianos par esset imitari, vt preces ad cælum fortiùs eiacularentur.

S. Augustin. l. 16. de ciuit. cap. 8.

Vincent. hist. lib. 31. cap. 16. Antonin. tit. 19. cap. 14.

Matth. 18 20. Gal. 6. 2. 1. Cor. 12. 27. Prou. 18. 19.

Neq; enim sine causſa dictum est: *Vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum;* Et illud: *Alter alterius onera portate. Sumus enim corpus Christi, & membra de membro;* & *Frater, qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma: & iudicia, quasi vectes vrbium.* Siquidem, etiam in re spirituali, duo sunt vno fortiores, & quod isti deest, ab altero accedit. Vnus ardentiùs, alter demissiùs orat. Sed hoc nunc non agimus, corporis defectum ostendimus mentis inuentione, industriaque naturæ, aut beneficio Numinis compensatũ.

§. IX.

Manuum & brachiorum compensatio admiranda.

Et quia de brachijs mentio facta est, manusque quæ sunt, vt Philosophus ait, instrumenta instrumentorum, sine brachijs haberi non possunt, afferam & hîc exempla partim à me visa, partim ab alijs narrata, quæ mirificam quandam, etiam in his maximè necessarijs membris, naturæ industriam compensationemq; ostendunt. Quippe nati sunt, qui vtraque manu, immò amborbus brachijs carentes, pedibus omnia ferè ea, quæ alij manibus, quàm dexter-

dexterrimè perfecerunt. Atque vt paulò superiùs à me dicta confirmem, Oder tradit, in regia magni Cham, non paucos inuentos esse, qui brachijs priuati, pedibus nulla prorsus minore agilitate, quàm reliqui manibus sagittam longissimè euibrarent. Et Cælius quoq; cum Dione refert, inter munera Augusto ab Indis missa, fuisse & adolescentulum sine humeris, qui tamẽ pedibus manuũ functionem obiret. Namque arcum intendebat, sagittas etiam excutiens. Quin & tubas inflabat. Sed meos oculos testes adducam, & rem visam, non fama duntaxat acceptam referam. Anno Christi 1628. Ingolstadij, in Collegio Ignatiano multis Perillustribus, Generosisq; Dominis, ac nobilissima studiosorum corona præsentibus, sederamus expectatione noui alicuius spectaculi intenti, cùm ecce mediocris staturæ vir in conclaue ingreditur, magnificis passibus, pallio in humerum contorto inuolutus, atque ante mensam, theatri loco, appositam, reuerentiam spectatoribus exhibet ignaris, quid spectaturi essent. Præmisso hoc cærimoniarum honore, pallium ore mordicus apprehendit, & à se expeditissimè super mensam pro-

Oder. post. ante fin.

Cæl. l. 4. Antiq. Lect. 6, 12.

proijcit;quo amoto euolutus ipse astat statuæ instar truncatæ, ab humero deorsum planus, tanquam trabs quædam vestibus induta, aut trophæũ cui arma appenduntur. Carebat enim ambabus manibus, & vtroque brachio erat destitutus. Mox in mensam insilijt, & excussis calceis, paulo plus, quàm primores pedum digitos ostendit, quos habebat haud multò, quàm nos, longiores. Illis tamen omnia faciebat, quæ alij manibus solent. Nam in primis musicum organum scitissimè pulsabat, & si, qui folles attollens ponè astabat, negligentiorem se ostendisset, plano pede alapam illi excussissimam dabat. Tum panem, carnes, aliaque ijsdem pedum digitis cultrum tenens scindebat. Quin & vitrum leuabat vno pede, alteroque cantharum, sibique ipse infundebat; & nunc vitrum, nunc cantharum ori admotũ exhauriebat. Postea & chartis pictis cum socio ludebat, eas miscens, distribuens, tenens, atque in mensam cum sonitu proijciens, non secus atque alius omnibus membris integer homo. Denique calamum arripiebat, & pulcherrimos characteres scribebat; quodque magis mirandum, & acum sumebat, quam filo

filo traijciens, quouis sartore citiùs nebat & suebat. Itaque quicunque eum videbat operantem, manus dicebat ei, non officia manuum defuisse, aut certè manus ipsas in locũ pedum demigrasse. Ad quod confirmandum, non omittam hîc, quæ in hanc ipsam rem, non ineruditus author collegit, verbatim exscribere. Sunt autem hæc. *Mira est prouidentia, & solicitudo Naturæ, quam Creator omnium rerum ei, tanquam optimæ matri attribuit. Ea enim, in animalibus membris distortis, vel mutilatis, aut debilitatis, vel etiam omnino deficientibus, plerumq; alijs membris, præter suum officium, ad quod destinata sunt, tale robur & dexteritatem, ex diuturna consuetudine, suppeditat, vt dicere aliquis possit, non in distinctione membrorum, sed in continuo vsu perfectionem consistere. Hac de re sæpius cogitaui, cùm essemus Comburgi, apud verè nobilem & præstantißimum virum D. Erasmum Neusteterum. Is enim cùm nulla benignitatis & humilitatis erga nos prætermisisset officia, iußit accersiri, ex vicinis Salinis Suevicis Thomam Schweickerum, natum* XXXI *annos, & quidem honestis parentibus, quem licet mater sua absq; brachijs in lucem enixa fuisset, omnia tamen mu-*

Philipp. Camer. cent. 1. horar. subsec. cap. 37.

nia

nia manuum, pedum subsidio ita exequebatur, vt quod in vno desideraret, in altero compensatum sibi esse affirmare non erubesceret. Nam cùm in editiore loco, qui æquaret altitudinem tabulæ, in qua esculenta apposita erant, consedisset, apprehenso pedibus cultro, scindebat panem, & alios cibos. Pedes ea postea, nec non & potum, veluti manus, ori porrigebant. Peracto prandio pedibus pingebat nobis omnibus videntibus elegantes Latinas & Germanicas litteras, vt exempla eorum, quasi rem insolitam nobiscum sumserimus. Postulantibus etiam nobis cultello parabat calamos ad scribendum aptissimos, quos postea nobis donabat. Quum esset ita occupatus, diligenter inspexi formam pedum, quorum digiti erant ita oblongi, & ad res tenendas apti, vt procul aspicientibus manus (pallio enim suo verecundè admodum crura tegebat) viderentur. Hoc spectaculum nobis sanè iucundum & antea non visum, iussus etiam fuerat paulo antè Cæsareæ Maiestati, cùm illac transiret, exhibere, quæ hanc mirandam Naturæ compensationem non absq; munificentia, lubens spectauit. Et paulò infrà. Similis homo mancus, videlicet absq; brachijs, nostro tempore fere totam Germaniam peruagatus est, qui collo & mento gladium vibrare, hastilia

hastilia eiaculari, & alia multa mira dexteritate, & ita certò, longa consuetudine, quæ velut in artem transierat, didicerat, vt à proposito scopo rarò, aut nunquam aberrare solitus sit. Multis hæc annis antè in lucem sunt edita, quàm ego suprà à me descriptum subtilem truncum, viderem, vt proinde idem esse non potuerit. Quare in pluribus natura ostendit, se, quod in vno aufert, in alio reddere, ac proinde non nouercam, sed matrem agere.

§. X.

Cæcitas oculorum manuum dexteritate compensata.

Quanquam in nullo sensu est hæc mater mirabilior, quàm qui solet esse mortalibus charissimus, hoc est in sensu oculorum. Fuit Anno Christi 1612. Ingolstadij, iuuenis arcularius, qui à natura quidem lumen vtrumque acceperat, sed postea, vt opifices isti solent, die quodam festo ac vaciuo, temporis fallendi gratia, fistulam æneam expoliebat, parabatq; futuro certamini iaculatorum, qui metam pariter & præmium posuerant. Ibi, dum nitratum puluerem incautiùs tractat, incensus ille inopinato simul ac miserando

casu

casu, cum impetu exilijt, iuuenemque repentè vtrimq; exoculauit. Oculis orbus in hospitalem domum receptus est, in qua noluit otium agitare. Primùm igitur ipse, vt in media senum vetularumq; turba secretus habitaret, sibi lectum, & exiguum iuxta locum tabulis circummæniuit. Neque alium arcularium adhibuit ad eam architecturam. Ipse sibi canterium cæcus exasciabat; ipse asseres, ad circini mensuram, serræ lamina secabat; ipse sectos asseres runcina dolabat, læuigabat; poliebat; ipse glutino ferruminabat; itaq; conclaue totũ concinnabat, vt putares, Dædalum ipsum suam ibi operam impendisse. Eo thalamo in hunc modum dispositio etiam ornatum addebat. Quamuis enim cæcus nullũ de coloribus ferre iudicium posset, tamen vndique imagines ad parietem affigebat, de vita & morte Christi seruatoris, quas omnes poterat ijs, qui eum visitabant, ordine demonstrare, & verò etiam sigillatim exponere. Quod faciebat, vt alijs quoque ingereret cogitationes sanctas, quibus ipse quotidie (mente effigies illas circumiens,) Christum patientem sibi depingebat. Neque cogitando tantùm

postea

postea tempus triuit, sed ne artis suæ obliuiscereturr, quod visus negabat, à tactu exegit. Itaque quæ olim oculis hauserat, memori mente tenens, etiam amisso oculorum vsu, conatus est manibus effigiare. Multa proinde variaq; fecit, venitq; breui ad eam artis perfectionem, vt eum etiam oculati non possent imitando superare. Tam accuratè digitis mensuras, distantias, proportiones, figurasq; omnes palpare nouerat, vt duo minutiora molendina (quæ piperi molendo idonea essent) cum scalis, cum orca, cum rotis, cum radijs, cum dentibus & axibus, cum omnibus denique rebus perfectissimo molendino necessarijs, ad amussim, atque tam exactè cultro exsculpere architectariqúe nosset, quàm vllus Vitruuius docere. Vnum ego horum molendinorum ipse vidi, quod mihi architecton, vti & alia, demonstrauit; alterum dicebat, Monachium, ad res Principis raras & artificiosas, in pinacothecam; translatum esse. Cæterùm ita pius erat hic cæcus, vt clausæ duntaxat, quà mors intraret, fenestræ, vitijsq; obstructũ iter, non autem ingenij artisq; exercendæ facultas ademta illi videretur.

§. XI.

§. XI.

Oculorum sensus animi sensum impedit.

Franciſc. Petrarch. lib. 2. de remedijs. vtriuſque Fort. c. 96.

Solent, qui alterum oculorum amiſerunt, altero, vt aiunt, acutiùs videre. Id ſi ita eſt, ait Franciſcus Petrarcha, *quid rear, niſi vt duobus perditis, duobus alijs acutiſſimè videas, & tuum facias illud Tyreſiæ cæci nati, ſed famoſi:*

Obruit ora Deus, totamq; in pectora lucem
Detulit.

Quippe experientia docet, eos, qui oculis capti ſunt, vel natura, vel caſu, ceteris hominibus, qui viſu præditi ſunt, eſſe plerumq; ingenioſores. Quanquam enim ſenſus oculorũ ſit omnium ſenſuum acerrimus & præſtantiſſimus, multa tamen extrinſecus obiecta, per oculos ad animum penetrant, quæ illius ſerias cogitationes interturbãt, & induſtriæ obſtant, dum ſeſe identidem conſilijs maioribus miſcent, eaq; in imaginatione exprimunt, quæ attentionem rumpunt & contaminant. Hinc & nos aliquid intentiùs meditaturi, à turba ſecedimus, oculos claudimus, noctem ipſam captamus. Eſt enim nocturnum tempus ad conſultandum maximè idoneum; & tenebræ accuratiorẽ reddunt commentationem:

tationem: quæ cùm sint in cæcis perpetuæ, mentem diutiùs in vna re fixam collectamque tenent.

§. XII.

Cæcorum mirifica ingenia.

Multa possunt & mira huius rei dari exempla. Q. Asconius Pedianus Grammaticus atque historicus, cùm septuagesimo suæ ætatis anno oculis captus esset, atque ita duodecim annis vixisset, per sanè eleganter quasdam historias, diligentia industriaque, superato ætatis atque oculorum impedimento, teste Fulgoso, perscripsit. Nimirum oculos in manu habuit, quem ingenium docuit, sine oculis scribere. Quam laudem etiam Appio Claudio tribuit sumus orator, de quo Poëta ait:

Multum animo vidit, lumine captus erat.

Cic. in Bruto. & l. 4. Tuscul. q. q.

Et alius: *clarissimus omnium, quos famosos cæcitas habuit, Appius Claudius, at re cæcus, & nomine, qui cæcitate pressus ac senio, non priuatis modò consilijs à populo noscebatur, quisquis in iure, vel in facto scrupulus incidisset; sed auctoritate ac sententia senatum regebat, vniuersamq; rempublicam gubernabat.*

Francisc. Petrarch. l. 2. c. 96. de remed. vtr. fort.

Cæsar de Bus Anno 1607. sanctissimè defunctus,

Gaulter. in Chro-

nolog. An. 1607. Petrarch. l. 2. c. 96.

functus, corpore cæcus, tantum animo vidit, vt dicere soleret, se visum ne terunc-io quidem esse empturum. Vidit enim, se cum oculis multa simul vitæ fastidia perdidisse, & amisisse frontis oculos, pectoris acuisse. Huic subiungere possumus *Homerum & Democritum, quorum alter, vt fama est, dum mira illa ac diuina dictaret, oculis non videbat, animo lynceus. Alter sibi oculos eruit, ne videret multa, quæ, vt ipse arbitrabatur, veri visus aciem impedirent: cuius factum quàm vel laude, vel vituperio dignum fuerit, non disputo, sed inuenit imitatores, &c. Diodorus Stoicus, sed familiaritate Ciceronis, quàm secta notior sua, visum perditum auditus solatio leniebat, cùm ei, vt Cicero idem ait, libri noctes & dies legerentur, quibus in studijs oculis non egebat. Hic & Philosophiæ simul & fidibus, quodq; sine oculis fieri vix crederes, geometricis quoq; descriptionibus operam dabat, & alienis manibus lineas protrahi iubens suo de illis ingenio differebat. C. Drusus absq; oculis, sed iuris Ciuilis notitia tanta fuit, vt domus eius consultorum frequentia quotidie repleretur. Et videbant illi, quâ iretur ad forum rectiùs, quâ iretur ad causſæ victoriam non videbant*, atque ideò cæci ducis patrocinium

cinium implorabant. Menti ergo reddidit lumen Deus, quod corpori negauit. Idem accidit Didymo, de quo Ruffinus tradit: Cùm luminibus orbatus esset, eum, adhibitis pijs precibus, studia ad laborem ac iuges continuatasque vigilias, non ad legendum, sed ad audiendum, vt, quod alijs visus, hoc illi conferret auditus, adhibuisse, eaq; indefessa diligentia, docente Deo, in tantam diuinarum humanarumque rerum eruditionem & scientiam veniſſe, vt scholæ Ecclesiasticæ Doctor existeret. *Quem*, vt Franciscus Petrarcha ait, *cæcum ab infantia, inq; hac cæcitate, vsq; ad exitum, summo virtutis exercitio insignem, sacer Antonius senem visens nihil moneri debere ait, eo quòd oculos amisisset communes sibi cum muscis, & muribus, & lacertis, sed gaudere, quod oculi communes illi cum Angelis salui essent.* Hausit hoc Petrarcha ex libro 4. Eccles. hist. c. 25. Ac ne vetera tantùm esse exempla putemus. *Notum est*, inquit subseciuarum author, *fuisse, maiorum nostrorum tempore, Ioannem Ferdinandum, natum in Flandria, patre Hispano, cæcum, & præterea inopem. Quas tamen ambas difficultates admodum contrarias hominibus doctis,*

Ruffin. lib. 2. Eccles. hist. cap. 7.

Phil. Camerar. Cent. 1. cap. 37.

ita superauit, vt non solùm Poëta & Philosophus insignis euaserit, sed etiam tam eximius Musicus, vt cum maxima audientium delectatione varia genera Musica tractaret, atq; insuper cantilenas aliquot vocum artificiosissimas memoriter componeret. Hunc tamen longè superauit Nicasius de VVerda Mechliniæ natus. Qui licet ab anno tertio ætatis oculis captus, & ob id etiam elementorum litterarum penitus ignarus fuisset; tamen nihilominus in omni doctrina diuina & humana adeò profecit, vt admirationi omnibus esset; & cùm Louanij gradum Magisterij accepisset, scholis aliquamdiu Mechliniæ, cum laude, præesset, & Louanij aliquanto, post Licentiam, in Theologia, consecutus, cæcus quamuis, Euangelium tamen publicè docuerit. Quin, & post hæc, gradum Doctoris vtriusq; iuris in Academia Colonienſi cùm accepisset, in gymnasio publicè ibidem Iura, cum stupore omnium, docuit, atque libros Vtriusq; Iuris, quos nunquam viderat, & legerat, memoriter recitauit, donec Coloniæ moreretur, Anno 1492. Quid hunc facturum fuisse putemus, si oculos habuisset? Certè cæcus illos iubet erubescere, qui cùm oculos præstantes habeant, in Academijs versantes, non solùm libros,

sed

sed ne scholas quidem ipsas intuentur. Et fuit, qui in patriam rediturus, ac testimonium diligentiæ petiturus, Professorem suum nec de facie quidem nosceret, cui de cetero noti erant alij omnes anguli ciuitatis.

§. XIII.

Caci venatoris ingeniosa industria.

Longè quid mirabilius, de suppleto oculorum defectu legi, apud Panormitanum, in quo quidē cæcus non se ad litteras memoriasq; veteres dediderat, non inscitum tamen, aut inutile ministerium meritoq; obstupescendum fuit. *Audiuimus,* inquit, *à rege* (Alphonso) *cæcum natura Agrigenti adhuc viuere, quem sæpe numero ducem venationis habuisset monstrantem his ipsis, qui oculis cernerent, ferarum saltus & latebras; sed & de huius industria mirū adiecisse: Nempe habuisse hunc aureos ferme quingentos, deq; his valde solicitum, statuisse in agro defodere, defodientem à vicino eius compatre conspectum, eoq; abeunte, pecuniam ablatam. Quum verò paucis diebus thesaurum reuisseret, neq; inuenisset, animo angi, discruciari, exedi, neq; alium coniecturare, nisi vicinum compatrem surripere potuisse, acceßisseq; ad*

Anton. Panorm. de dictis & factis Alfonsi regis l. 3.

illũ, atq; dixisse, esse quod consulere eum oporteat; Tenere se aureos mille, quorum partem dimidiam abstrusisset jam in tuto loco, de reliqua autẽ dimidia anxium esse, vtpote cæcum, & rerum perquàm incommodum custodem. Propterea, si ei quoq; visum fuerit, hoc reliquũ in eodem loco illo tuto quidem trudi, & abscondi posse: compatrem approbasse consilium, & propere præcurrisse, quingentosq; aureos, vnde nuper effoderat recondidisse; ratum totos mille sibi nequaquam defuturos. Post hæc cæcum in agrum recurrisse, repertaq; pecunia compatrem appellando exclamasse, CÆCUM OCULATO MELIUS VIDISSE, latumq; rediisse. Hæc ingenij argutia olim digna fuisset habita, vt pro ea Menti Deæ supplicaretur. Sed quo pacto cæcus, in venatione videntibus potuit *ferarum saltus & latebras* monstrare? Erunt, qui dæmonis arti id ascribant. Verùm temeritas est, quod non capis animo, illico ascribere magiæ. Potuit odore, quod non potuit colore deprehendere cæcus. Cùm enim, vt in tot exemplis iam vidimus, natura in vno sensu compensat, quod in altero adimit, cur cæco isti, quod abstulit in visu, non potuisset reddere in odoratu? Quod si fecit, iam

S. Augustin. l. 4. de ciuit. cap. 21.

cessat

cessat quæstio. Quemadmodum enim neque canes visu ferarum latibula, sed odoratu duntaxat indagant, ita existimandum est, idem in cæco contigisse, in quo maior virtus esse potuit, quàm in bestijs sit *odoratũ vis.* §. XIV.

Exemplum cæci, per nasum videntis.

Adhuc mirabilius aliquid legi, de quo Apollo cælis pex sandalariusúe, aut medicus, meritò senatum conuocet; & legi in recentissimo authore, cuius verba hæc sunt. *Non reticebo historiam, quæ humanum captum videtur superare, & quæ à Clar. Baldo amico præcipuo idoneis allatis testibus Platero & Ioanne Rungio l. 1. prax. Disp. de vis. symist: verbis Henrici Smetij oculati testis, lib. 5. Miscel. Medic. Ep. 13. hoc pacto descripta omnino extat. Cæcum, inquit, quendam vtroq; oculo orbum naso pro oculis vtentem vidi, cuius beneficio obiecta omnia discernebat. Is dextro oculo ante annos multos, cùm puer esset, priuatus fuerat, tandem iuuenis factus (rusticus erat) ex ceraso in palum dumi ligneum fastigiatum delapsus, vultum impegit, vt nasum, vnà cum oculo sinistro, genâ, palpebra vtraq;, & supercilio disrumperet, adeò fœdè, vt Chirurgus oculi globum auulsum prorsus crederet,*

Hieron. Bardus Genuens. in Medico Politico Catholico cap 4. Appendice 1.

deret, eumq; palo inhæsisse. Cicatrice tandem inductâ, post annum ab acceptâ plagâ, dum in gramine apricatur, fortè lucem, ac floscu-lorum candorem humi animaduertere cœpit per nasi cauitatem: & iam per quinque, aut sex annos continuos visionem eo modo exercuit, vt quidquid offeratur, naso oculato distinguat exactè, sed despectando: suspectando enim lu-cem ferre nequit. Hæc Smetius. Auctores Ci-tati, dum causam & modum quærunt tam portentosæ visionis, ita philosphati sunt, quòd, sicuti palpebra superior abrupto musculo at-tolli amplius non poterat, sed conglutinata quo-que cum adnata oculi coaluerat: ita etiam, auulso musculo, qui oculum versus oculum ex-ternum retrahere solebat, pupilla in angulum nasi internum se prorsus abdiderat; & quia ossilla nasi non fracta modò, sed & luxata quo-dãmodo concinnè restitui non potuerunt, acci-dit, vt nasus pressior latiorq;, sinistra præser-tim parte; euaserit: adeóq; eiusdem naris mea-tum patentiorem curatio reliquerit: per quem distorta latitansq; pupilla videndi munus obi-bat, & res quaslibet naso obuias internosce-bat, quasi per dioptram, seu fistulam. Porrò hic constat globi ocularis, ipsorumq; visus instru-mentorum saluam atque integram extitisse com-

compagem, etsi secus crediderat Chirurgus & adstantibus persuaserat. Sed superat omnia portenta, quòd olim Heidelbergæ contigisse, à Matt. Vuaggero narratum sibi scribit Keplerus; nempe, quendam, oculo altero amisso, altero manus palma tecto, si splendens quidpiam infra nares sisteret, splendorem agnoscere, atque etiam internoscere quadamtenus potuisse. Sed audiamus Keplerum, qui sibi ita persuaderi passus est, dum ait: Spiritum animalem ibi tum lucis & coloris fuisse receptorem, vti aliàs oculo integro retinam tunicam: lucem verò & colorem per hiatum aliquem è naso sursum in vacuam oculi cameram, & caput, adq; nerui visorij extremitates spirituum sedem, porrectos esse, vel certè olfactus instrumenta tantum potuisse, in quo fortasis etiam ijsdem spiritus diffunderentur. Hæc ex Hieronymo Bardo Genuensi, quæ Philosophis materiam propinant disputandi, qui vel crucē ijs figent, vel apologema pro ijs condent. Cur enim obiecti species non possint per nares, præsertim adeò laxas & amplas ad oculum immitti? Rectis debent illæ lineis ire? Esto. eunt rectis, si pupilla oculi deorsum sit euersa. Neque necesse est, vt vel oculus, vel medius aēr illuminetur, sat lu-

minis secum vehunt species ab obiecto illustrato. Sed hæc ad scholas remitto. Mei muneris est, in hoc casu rectas videndi vias amissas, rimam tamen inuentam, per quã visus posset compensari, ostendere. Quod meritò inter mirabilia naturæ ponitur.

§. XV.

Aliquos Sanctos alijs sanitatem à Deo impetrasse, qua ipsi caruerunt.

Nunc à miris & mirabilibus naturæ ad diuina miracula venio, & dico, conqueri mortales non posse, si pro plumbo aurum, pro vitro gemmas commutent. Sæpe enim diuina bonitas, dum monstris aliquid, quod naturæ eorum conueniisset, adimit, eius loco substituit donum aliquod supernaturale. Domesticum præsto esto exemplum. P. Ferringo, vnus è Societate Iesv, qui magna sanctitatis fama Leuiæ diem suum obijt, ipse multis annis cæcus, tribus cæcis visum redhibuit: adeò liberaliter cum eo egit Deus, vt pro duobus sexilli oculos redderet. Neq; est rarus hic, apud diuinum tribunal agendi modus, vt sinat sanctos suos, quod ipsi non habent, alijs impertiri. Ita ab ægro, ac morituro S. Episcopo Cuthberto sanitatem accepit,

qua

qua diu caruit, Vualchstod. Quod miraculum cùm narrasset venerabilis Beda, colophonem hunc addidit: *Non autem dubitandum, supernæ pietatis hoc dispensatione procuratum, vt qui multos antea sospes adhuc, valensq; curauerat, hunc quoq; morituru curaret; quatenus hoc quoq; indicio pateret, etiam corpore infirmatus vir sanctus, quantum spiritu valeret. In qua profectò curatione sequebatur exemplum sanctissimi & reuerendissimi patris Aurelij Augustini episcopi, qui dum pressus infirmitate, qua & mortuus est, decumberet, venit quidam cum suo agroto, rogans, vt eidem manus imponeret, quò saluus esse posset. At ille, Si, inquit, aliquid in his possem, mihi hoc vtiq; primitus præstitissem. Rursus is, qui venerat, Te, inquit, visitare iussus sum: siquidem in somnis dictũ accepi, Vade ad Augustinum episcopum, vt eidem manus imponat, & saluus erit. Quo ille audito, mox agrotanti manum benedicens imposuit. Nec mora sanatũ ad propria remisit.* Hæc Beda. E quibus videre est, multos alijs sanitatem atq; vitam à Deo, manifesto sanctitatis argumento, impetrare, qui ipsi animam efflant, in oculis atque manibus eorum, quos sanauerunt. Ostendit enim sapientis-

Ven. Beda in vita S. Cuthbert. c. 38.

pientissimus mundi Gubernator, eos, dum minora dant alijs, maioribus dignos esse; & sæpe subducit vires, aut membra corpori, vt animo robur aut lumen addat.

§. XVI.

Linguæ vsu priuatus, prophetiæ dono ornatus.

Quod etiam vicino exemplo potest confirmari. Constantiæ ad lacum Acronianum vir erat, quem à primis incunabulis natura mutum surdumque, fortuna inopē esse voluit, vt haberet vtrinque patientiæ occasionem. Sed quod corpori deerat, animo superabundabat. Vita illi humilis, habitus vulgaris erat, anima sublimis, & virtus à Deo singularis data. Quare vt nulli hominum molestus, ita Numini semper valde addictus fuit, cui corporis & mentis illibata seruiebat virginitate. Ob quam rem & prophetiæ spiritu scientiaque rerum occultarum fuit ornatus. Quanquam enim linguæ vsu destitutus, nutibus tamen multa futura atque arcana indicabat. Experti sunt id viri Religiosi & sæculares; quibus, quod in animo condebant, patefecit; inter quos fuêre ij, qui in Patrum Dominicanorum cœnobio Constantiæ

Ioan. Nider. l. 2. Formic. cap. 7.

stantiæ vitam degebant; & quidam sacerdos Romam profectus, de cuius sero reditu desperabatur. Nam, morâ nimis protractâ, cùm, quæ ad custodiam domus domi relicta erat cognata, jam alia consilia agitare cœpisset, mutus iste læta facie, serenis oculis, & ore ad jucunditatem composito ad eam cucurrit, hilariqúe manuũ complosione virgini haud obscurè significauit aduentum sacerdotis; qui postero die cum naui appulit. Nutriebat pauperem hunc mutum ciuis Constantiensis copiosus & opulentus, eumque filij loco habebat. Hic aliquando lacum traiecturus domi conuasabat. Quod vbi vidit mutus, manibus pedibusq; obstitit, eique, qua poterat gestuum vehementia, iter dissuasit. Sed surdus, quasi cum surdo egisset, ita non est auditus; neque enim se dominus passus est à consilio dimoueri. Quàm pertinax dominus fuit in proficiscendo, tam constans mansit mutus in dehortando. Quin & domo exeuntem prosecutus est ad prępipia lacus, vbi cùm ei profectionem nullo modo dissuadere posset, tandem circa nauem de littore soluentis manus ad cælum oculosque sustulit, lamentisque & gemi-

gemitibus ostendit Mecænati suo graue aliquod malum impendere. Neque antea cessauit abeuntem plangere, quàm eum desijt è propinquo videre. Vatem fuisse, exitus probauit. Nam intra paucas horas, coorta tempestate, fluctus nauem & ciuẽ cooperuerunt. Qui aquis submersus serò agnouit, à muto sibi hoc infortunium esse prædictum; cui Deus linguam & aures ligauit, sed in harum vicem secreta sua patefecit. Quare qui hominum audire voces foris non poterat, Deum audiuit intus loquentem; & qui verbis efferre cogitationes proprias nequibat, nutibus expressit cogitationes diuinas. Quis diuinam accuset prouidentiam cum hominibus sic agentem? Quis non miretur, amet, prædicet eius clementiam tam beneficè punientem? Quis ei non adhæreat, seque totum consecret, afflictos, pressos, & vel in minimo membro patientes tam grandibus donis consolanti? *Ista meritò debemus Domino*, ait Vmbertus, *quia beneficia innumera præstat cordi nostro; ipse namq; Deus potentiâ iuuat corda nostra; sapientia gubernat; bonitate ditat; dulcedine cibat; pulchritudine inuitat; charitate vnit; promissis allicit; fla-*

Vmbert. de 3. votis. c. 48.

gellis

gellis erudit; comminatione concutit; ac beneficijs emollit. Ipse Deus dulcißimus corda nostra intuetur approbando, tangit excitando, visitat consolando, viuificat iustificando, aperit irrorando; de quibus omnibus gratiarum actiones nos referre conuenit indefeßè. Immò etiamtum, quando defectum aliquem naturæ, in hac vita, non supplet; quia mali, qui eo notantur, eo digni sunt; boni autem spem habent, illum in altera vita centies millies compensandum.

CAPVT XVII.

Monstrositatem omnem cessaturam apud Beatos, futuram autem apud damnatos.

§. I.

Monstrosos homines æternæ vitæ capaces esse.

TAntũ abest, vt Deus sit iniquus, si defectum corporis humani, aut formam informem esse sinit (nam de bestijs, aut plantis monstrosis neque quærere homines, neque queri valde solent) vt eam etiam, tanquam Mundi Gubernator, certis terminis ac regionibus

bus couenienter procuret; certis causſis naturalibus concurrentibus appositè permittat; certis significationibus prouidè anteponat; certis sceleribus justè annectat; idq; vel in pœnam, vt iudex, vel, vt Medicus, in medicinam; vel, vt sponsus, in tutelam. Denique etiam nouit defectū, qui monstrosis inest, vel in hac, vel certè in altera vita millies compensare. Non enim resurgent saluandi, cum vlla monstrositate. Et homines monstrosos, rationis, virtutis, & adeò etiam æternæ salutis capaces esse, docet S. Augustinus, cùm scribit, *animal rationale* esse hominē, *quamlibet nostris inusitatam sensibus gerat corporis formam, seu colorem, siue motum, siue sonum, siue quamlibet vim, qualibet parte, qualibet qualitate naturæ.* Et alibi (si idem author est) testatur, se ad monstra caput non habentia, & oculos in pectore gerentia, ac vno prædita, ferendi Euangelij causſa, profectum, cùm nosset, ea gentilitatis errore implicata, & ratione alicuius, tametsi falsæ religionis, duci. Docentq; etiam Morales Theologi, ea monstra, quæ præcipua membra humana motusque humanos habent, baptizanda. Quorsum?

S. Aug. l. 16. ciuit. c. 18.

Ad fratres in Eremo cap. 37.

nisi

nisi vt salutem æternam consequi possint?

§. II.

Omnibus Sanctorum membris suum decorem futurum.

Quod si ergo ita se gerant hæc monstra, vt cælo digna iudicentur, resurgent vtiq;, in die resurrectionis, membris in decoram cæloq; dignam formam reformatis; vt tradit idem Augustinus; neque obscurè insinuat Apostolus dicens: *Cùm Christus apparuerit, vita vestra; tunc & vos apparebitis cum ipso, in gloria,* corporis scilicet, & animæ. Quæ autem gloria foret, monstrosum esse? Nunc quidem elegans anima potest informi corpore tegi, sed tunc gloria & corpus, & animam circumdabit. *Delitescit margarita,* inquit ex S. Chrysostomo Theophylactus, *tantisper, dum in conchyli fuerit; simul ac verò illud fuerit perfractum, tum in gloria relucet. Hunc ad modum & nos, quàm diu in corruptibili isto corpore fuerimus, tanquam latentes viuere debemus, & ab omni gloriæ cupiditate alieni. Quando autem dissolutum fuerit hoc corruptibile, tunc gloriæ nostræ suus erit locus, si hac digni fuerimus.* Quin & alio loco affirmat, nos occursuros Christo, *in virum perfectũ,*

S. Aug. in Enchirid. ad Laurent. c. 87. & 91. Coloss. 3. 4.

Theoph. in Ep. ad Coloss. cap. 3.

Ephes. 4. 13. *in mensurã ætatis plenitudinis Christi.* Quod

S. Augustin. l. 22. ciu. cap. 10. cùm S. Augustinus accipiat etiam de ætate, in qua omnes resurgemus, cur non etiã de corpore perfecto, glorioso, licet non æquè glorioso, intelligamus? Differt enim Sanctus à Sancto, sicut stella, à stella. Prudentius Christianus Poëta ita canit:

Qui reparat corpus, non reddet debile quicquam,
Nam si debilitas redit, instauratio non est.
Quod casus rapuit, quod morbus, quod dolor hausit:
Quod truncauit edax senium, populante veterno,
Omne reuertenti reparata in membra redibit.

§. III.

Vt in Christo resurgente, ita & in alijs Sanctis quædam vulnera, tanquam virtutis testimonia, mansura.

Duplex tamen hîc defectuum discrimẽ animaduerto. Sunt enim aliæ corporum deformitates ex defectu naturæ, siue ex vtero matris hominibus agnatæ, siue aliunde contractæ, vt gibber, lippitudo, claudicatio: aliæ, aut per iniurias hominum;

aut

aut ob propria delicta flagitiaq; illatæ: neque enim tantùm homicidæ, & Sodomitæ laminis candentibus vsti sunt, ob flagitia, quæ commiserunt; sed etiam Apostoli propter Christū, ac fidem Christi *distenti sunt, ludibria & verbera experti, insuper & vincula, & carceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt.* Quemadmodum igitur Saluator noster vulnerū suorum purpureas, ac stellarū instar splendidas cicatrices in corpore suo D. Thomæ Apostolisq; ceteris, post resurrectionem, ostendit, ostendetq;, in iudicio, damnandis, vt videant, *in quem transfixerunt*: ita veteres Theologi crediderunt, noniq; non pauci subscribunt, Apostolos, alioſq; SS. Martyres itidē cum cicatricibus quarundam plagarum, pro Christi fide acceptarū, non in ignominiam, & deformitatem, sed in sempiternū fortitudinis suæ decus, resurrecturos. Hanc sententiam perspicuè indicat D. Augustinus his verbis: *Nescio, quo modo sic afficimur amore martyrum beatorum, vt velimus in illo regno in eorum corporibus videre vulnerum cicatrices, quæ pro Christi nomine pertulerunt: & fortasse videbimus. Non enim deformitas in eis, sed digni-*

Hebr. 11. 35.

Ioan. 19. 37.

S. Augustin. l. 22. de ciuit. c. 20.

tas erit: & quædam, quamuis in corpore, non corporis, sed virtutis pulchritudo fulgebit. Nec ideò tamen, si aliqua martyribus amputata & ablata sunt membra, sine ipsis membris erunt in resurrectione mortuorum: quibus dictum est: Capillus capitis vestri non peribit. Sed si hoc decebit in illo nouo sæculo, vt indicia glorioſorũ vulnerũ in illa immortali carne cernantur, vbi membra, vt præciderentur, percussa vel secta sunt, ibi cicatrices, sed tamẽ eiusdem membris redditis, non perditis, apparebunt. Quamuis itaq; omnia, quæ acciderunt corpori, vitia, tunc non erunt, non sunt tamen deputanda vel appellanda vitia virtutis indicia. Quod si ita est, vt valde credibile est, quantus mortalibus additur stimulus, ad multa pro Christo tormenta fortissimè patienda? Stigmata enim illa; stigmata erunt honoris non seruitutis; pugnæ, victorias, triumphos martyrum æternùm testatura. Quis enim non exultet, si sic ferro, igni, & omni genere tormentorum in hac vita deformetur; vt deformitas illa mutetur in tam glorioſam venustatem? Quæ nunc enim est impressio cicatricis, tunc erit inscriptio virtutis; non cruenta,

sed

sed radiosa; venerabilis, non detestabilis; non tegenda, sed suspicienda.

§. IV.

An, & quæ monstrositates sint in damnandis mansura?

E diuerso autem ad impios quod attinet, ob crimina sua notatos, aut etiam, ex naturæ defectu, monstrosè natos, vtique credibile est, eis quoque deformitates suas, quæ veritati & integritati naturæ non obstant, saltem in vestigijs quibusdam, relinquendas, cùm Apostolus dicat: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* In quæ verba S. Ambrosius ait: *Omnes homines resurgent, sed soli, qui regnaturi sunt, in gloriam mutabuntur. Vnde & dicit Apostolus: Et nos immutabimur.* Quòd si character, siue signum Christianismi, quod quis accipit, in sacramento Baptismatis, & Confirmationis, aut etiam Ordinis, in maiorem damnati pudorem cruciatumq; tum manebit, probabile est, etiam gibbum, & tubera, & verrucas maculasque, & quicquid deformitatis propemodũ damandus in hac vita habuit, etiam illi in inferno mansurum. Cur enim ibi pulchriores isti fieri deberent? qui etiam futuri

1. Cor. 15. 51.

S. Ambr. in Comment.

desperatione ex oculis & vultu omni relucente, defermiores sunt ac monstrosiores? Damnati certè nulla corporum pulchritudine gaudebunt, sed si ipsi monstra non erunt, certè horribilibus formis sui ipsorum & cacodæmonum vndique aspectis cruciabuntur. Quis enim solet esse plorantium, eiulantium, desperatorum vultus? nonne tristissimus? Quare non solùm talibus in laruis mali dæmones sese conspicuos dabunt; sed ipsi quoq; homines in detestandâ formâ, se mutuò intuebuntur. Quod etsi longè certius est, quàm vitæ huius in illis monstrositates ad corporis integritatem, & naturæ humanæ veritatem non pertinentes perseueraturas, tamẽ & hoc ipsum non caret sua probabilitate. Non enim in gloriam, sed in ignominiam mutabuntur. Virtutem igitur colant, qui volunt sua monstrositate liberari, vt & ipsi in gloriam mutentur. Hæc autem de damnatorum mansura monstrositate, vt vero similiter creduntur, ita non asseruntur, vt certa. Quippe sapienter S. Augustinus scribit: *Quicunq; ab illa perditionis massa, quæ per Adam facta est, non liberantur, per Christum, resurgent quidem etiam ipsi, vnusquisq;*

S. Aug. in Enchirid. ad Laurent. c. 92.

cum

rum sua carne; sed vt cum diabolo eiusq; Angelis puniantur. Vtrum verò ipsi cum vitijs & deformitatibus corporum suorum resurgant, quæcumq; in eis gestarunt, inquirendo laborare quid opus est? Non enim fatigare nos debet incerta eorum habitudo, vel pulchritudo, quorum erit certa & sempiterna damnatio. Paulò tamen suprà ita loquitur: *Neq; monstra, quæ nascuntur & viuunt, quamlibet citò moriantur, aut resurrectura negabuntur, aut ita resurrectura credenda sunt, ac non potiùs correcta emendataq; natura. Absit enim vt illum bimembrem, qui nuper natus est in Oriente, de quo & frātres fidelissimi, qui eum viderunt, retulerunt, & S. memoriæ Hieronymus presbyter scriptum reliquit: absit, inquam, vt hunc hominem duplicem, ac non potiùs duos, quod futurum fuerat, si gemini nascerentur, resurrecturos existimemus. Ita cetera, quæ singuli quiq; partus vel amplius, vel minùs aliquid habendo, vel quadam nimia deformitate monstra dicuntur, ad humanæ naturæ figuram resurrectione reuocabuntur: ita vt singulæ animæ singula sua corpora obtineant, nullis cohærentibus, etiam quæcumq; cohærentia nata fuerant: sed seorsim sibi singulis sua membra gestantibus, quibus humani*

Vide S. Thomam in 4. contingent. cap. 89.

S. Aug. in Enchirid c. 87.

S. Hieronym. ad Vitalem.

corporis completur integritas. Quid si enim vnus istorum sanctus, alter impius fuisset, nuncquid separandi essent, vt vnus in cælum conscendere posset, alter descenderet in infernum? Facilius esset credere, concretis corporibus mansuros, si vterq; peccando damnari meruisset. Quemadmodũ autem Christus, etsi lateris, & à clauis relictas manuum pedumque cicatrices seruârit, easque admodum decoras Apostolis monstrârit, non tamen seruauit factas à flagris & spinis plagas; ita vtique neque alij Martyres seruata gerent omnia eorum, quæ passi sunt, vestigia beato statui minùs conuenientia. Pari pacto, neque damnati omnes defectus suos retinebunt, si quos retinebunt: sed eos duntaxat, qui pœnam illorum exacerbabunt, non qui leuabunt. Mallent enim vtique cæci esse, ne talia monstra cernerent, mallent surdi esse, ne conuitia sempiterna audirent; mallent gustu carere, ne fel draconũ persentiscerent; mallent odoratu destitui, ne sulphur, & cadaueroſum odorem execrandamq; narium pestem percipere cogerentur: mallent & membris illis carere, quibus vstulati cruciantur. Cetera, quæ ad defor-

deformitatem spectant, credibile est, eos retenturos, non certum. Vnde & Poëtæ cecinerunt, varia apud inferos monstra stabulari. Quòd si autem ne damnati quidem ampliùs erùnt monstrosi, quid queruntur de eo, quod sunt ad tempus, corriget autem Resurrectio pro æternitate, quæ illis, si voluissent, iucunda fuisset?

§. V.

In Sanctis, seruata substantiæ integritate, solam deformitatem perituram.

Certius est, nihil fore in beatis sedibus monstrosum. *Indecorum quippe aliquid ibi non erit;* ait Hipponensis antistes, *sed quidquid futurum est, hoc decebit, quia nec futurum est, si non decebit. Resurgent igitur sanctorum corpora, sine vllo vitio, sine vlla deformitate, sicut sine vlla corruptione, onere, difficultate. In quibus tanta facilitas, quanta felicitas erit*: quæ non esset, si aliquid mali ibi esset; sicut neque in terris calamitatis pœna esset, si mali nihil esset. Qua de caussa ita, alio libro, disputans de capillis resectis, qui beato in numero, non in quantitate omnes reddentur, ne totus hirsutus monstro similis efficiatur, subiungit: *Neq; hoc ideò dixerim, quòd aliquid existimem corpori*

S. Augustin. in Enchrid. c. 90. & 91.

Idem lib. 22. de ciu. cap. 19.

pori cuiq; periturum, quod naturaliter inerat; sed quod deforme natum fuerat; non vtiq; ob aliud, nisi vt hinc quoq; ostenderetur, quam sit pœnalis conditio ista mortalium; sic esse rediturum, vt seruata integritate substantiæ sola substantiæ deformitas pereat. Si enim statuam potest artifex homo, quam propter aliquam causſam deformẽ fecerat, conflare & pulcherrimam reddere; ita vt nihil inde substantiæ, sed sola deformitas pereat; ac si quid in illa figura priore indecenter extabat, nec parilitati partium congruebat, non de toto, vnde fecerat, amputare atque separare, sed ita conspergere vniuerso atq; miscere, vt nec fœditatem faciat, nec minuat quantitatem; quid de omnipotente artifice sentiendum est? Ergóne non poterit quasq; deformitates humanorũ corporum non modò vsitatas, verùm etiam raras atque monstrosas, quæ huic miserę vitæ congruunt, abhorrent autem ab illa felicitate sanctorum futura, sic auferre ac perdere, vt quascunq; earum faciunt, & si naturalia tamen indecora excrementa substantiæ corporalis nulla eius diminutione tollantur? Ac per hoc non est macris pinguibusúe metuendum, ne ibi etiam tales sint, quales, si possent, nec hîc esse voluissent. Omnis enim corporis pulchritudo est partium congru-

congruentia, cum quadam coloris ſuauitate. Vbi autem non eſt partium congruentia, aut ideò quid offendit, quia prauum eſt; aut ideò, quia parum; aut ideò quia nimium. Proinde nulla erit deformitas, quam facit incongruentia partium; vbi & quæ praua ſunt, corrigentur; & quod minus eſt, quàm decet, vnde Creator nouit, inde ſupplebitur: & quod plus eſt, quàm decet, materiæ ſeruata integritate, detrahetur. Coloris porrò ſuauitas quanta erit, vbi iuſti fulgebunt ſicut ſol in regno Patris ſui? Benè igitur ſperent boni; bene ſperent parui, quia nullus in cælo erit Ioannellus; benè ſperent pallidi, & pallidæ, quia roſeum colorem acquirent ibi, vbi omnia florebunt. Benè ſperent macilenti, quia ibi, non erunt extenuati. Benè pingues, quia ibi, *vbi iuſti fulgebunt ſicut ſol*, (nam de his hîc agit S. Pater) nullus aquaticulus propenſo ſequipede extabit; pro flamma Auernali ſeruiet adeps impiorum.

§. VI.

Qui nunc gemino, aut ſemiferino, aliterue monſtroſo ſunt corpore, ſiue boni, ſiue mali, quo modo ſint reſurrecturi?

Atq; vt curioſis omnino ſatisfiat, libet apponere, quæ D. Bonauentura, in eundē

D. Au-

S. Bonauent. l. 4. dist. 44.

D. Augustini locum scitè apposuit, vt, inter monstra, discrimen faceret: *In aliquibus*, inquit, *membra gemina sunt. Ea verò vel principalia sunt membra, vel minùs præcipua. Si præcipua membra gemina sunt, duæ etiam ibi animæ, atque ita duo corpora seiuncta resurgent. Sin bina, aut plura, quæ tamen principatum in corpore non obtinent, vnum corpus est, & vnum resurget. In Hermaphroditis, quoniam vtraq; pars par esse in vno non posset, eo sexu resurget, qui in eo dominatur. Monstrum verò aliquando homo, partim bestia: tum si principales partes hominis sunt, animamq; & vitam habuerunt, resuscitabuntur, vt homo; secus, si bestiam repræsentet.* Quid ergo vult conqueri homo monstrosus? aut enim est monstrosus ad salutem; & tum nihil eius resurrectioni obstabit monstrositas; sed erit ad breue tempus deformis, vt æternum *sicut sol fulgeat*: aut ita viuit, vt in ignem inextinguibilem sit proijciendus; & tum titioni nihil forma sua proderit; benè quadrabit deformitas longè maiore deformitate cooperienda, & aspicientibus alijs quoque tormentum allatura. Vt enim in cælo, sensus oculorum iucundissimo Christi, Matris eius, & ceterorum

rorum beatorum hominum aſpectu mirificè delectabitur; ita impudici damnatorũ ac laſciui oculi, metuendis monſtris intuendis, identidem terribilem in modum cruciabuntur. Monſtra autem erunt, ſi non homines, ſaltem dæmones. Et dæmones quidem omnis generis formam exprimẽt, in varias ſe belluas tranſuertendo, atque in eas præcipuè, quarum quiſque maximum ſenſurus eſt horrorem. Itaque inter tigrides & leones, inter angues & dracones æternùm degent damnati. Qui ſi non erunt partim nani, partim gigantes, partim Æthiopes, partim gibboſi &c: tamen certè ipſi, heu, quibus oculis, qua fronte, quanto oris hiatu, qua totius corporis contorſione, fuligine, atrore, lamentabuntur! Quanquam mihi valde veroſimile videtur, ſicut S. Damaſceno reſtitutæ manus purpurei fili inſtar cicatrix manſit in hac vita, & ſicut ipſi Chriſto rediuiuo quinq; velut carbunculi vulnerum quendam decorem conciliarunt; ita in diuerſum damnatis quaſdam notas maculasq; huius vitæ, adhæſuras, eosq; etiam vitiorum ſuorum fructus, inter reliqua ſpectra, in corpore quoque ſeruaturos.

Itaque

Itaque in duellis quidem interemti suarum plagarum signa; lilijs inusti, suæ castitatis stigmata; lue Gallica exesi, carcinomata; vino & compotationibus incensi, cupreum Venerisq; floribus fœdatum vultum, alij alia retinebunt. In cælo autem nullus parens de filio monstroso erubescet; nulla mater de filia Æthiopissa accusabitur; nullus Miphiboseth claudicabit. Omnia erunt pulchra; omnes formosi; omnes perfecti: nullus infans, nullus sapientia puer, nullus canâ ætate, sed reuerentia & authoritate senex; omnes in matura, florida, & perfecta ætate Christo pares erunt.

2. Reg. 4. 4.

§. VII.

Quo modo Sancti, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, sint resurrecturi?

Atque hoc est, quod Apostolus Ephesios monet, & cum illis nos omnes, qui fortasse aliquo corporis defectu laboramus, ne deijciamur, sed vt cum patientia expectemus, *donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis Filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Vbi tria docentur, staturæ scilicet, membrorum, & ætatis perfectio. Hæc enim omnia ad *virum perfectum* pertinent.

Ephes. 4. 13.

Estq;

Estque idem *ætas plenitudinis*, quod ætas plena, adulta, virilis. Quamuis autem *ætas* hîc propriè accipi possit, metonymicè tamen potiùs ab authoribus accipi solet, pro vigore & statura, quam ætas secum affert, & quæ in virili ætate esse consueuit. Igitur, Sancti non solùm in eo vigore, verùm etiam in ea statura resurgent, quam fert illud tempus, quod habuit Christus in virili atq; adulta ætate, cum 34. esset annorũ. Cuius duplex potest esse sensus. Primus, nos resurrecturos, in mensura, magnitudine, & statura nostri corporis plena ac perfecta, sicut habuit staturam suam plenam & perfectam Christus, in ætate plena & perfecta, seu, quemadmodum Christus anno ætatis suæ 34. inchoato iustam habuit humani corporis staturam, ita & in resurrectione homines, etiam qui hîc in ætate infantili, aut puerili, aut senili mortui sunt, iustam corporis sui staturam, habituros, adeoq; omnes nos ea magnitudine & statura in cælo futuros, quam habuimus, vel habuissemus (si natura vegeta fuisset, vel non impedita, aut morte præuenta) in ætate virili, seu anno 34. quæ fuit ætas Christi.

Vide S. August. lib. 22. de ciuit. c. 15. & seqq.

Alter

Alter sensus esse potest, quòd resurrecturi simus non tantùm eâ staturâ, & magnitudine, quam nos habuimus, vel habuissemus in virili ætate, sed etiam quòd ipsi Christo, in corporis magnitudine & statura æquales simus futuri. Vterque sensus sua probabilitate non caret. Prior communior, & S. Thomæ est, posterior inde fulcitur, quia etsi inæqualitas staturarum inter beatos admitti possit; tamen haut credibile est, aliquos fore in cælo statura vel Pygmæos, vel Gigantes, vt etiam S. Thomas admittit; qui tamen anno 34. ætatis suæ in hac vita vel Pygmæi, vel Gigantes fuerunt, & quidem ex natura indiuidui. Si ergo etiam tunc quãtitas naturalis vniuscuiusq; indiuidui naturam consequeretur; necesse esset alios nanos, alios Polyphemos futuros. Neq; pertinet ad eundem numero hominem, vt tunc habeat eandem magnitudinis mensuram, quam in hac vita habuisset, si natura nõ errasset: alioqui, qui hîc infantes fuissent, & ibi viri erunt, non erunt ijdem numero; sicut nec Adamus & primi æui homines, qui vtique ex natura indiuidui maiores fuerunt, quàm postea mundo decrescente, & non ex errore naturæ.

S. Thom. p. 3. q. 46. a. 9. ad 4.

turæ. Atque hæc est vna è tribus causſis, ob quas D. Thomas docet, Christum, in iuuenili ætate, pati voluisse; ita enim non solùm suam dilectionem magis declarauit, dum *vitam suam pro nobis dedit, quando erat in perfectißimo statu*, neque *conueniebat, vt in eo appareret naturæ diminutio, sicut nec morbus*, verùm etiam, *in iuuenili ætate moriens & resurgens, futuram resurgentium qualitatem in se ipso præmonstrabat.* Hæc de staturæ atque ætatis vegetæ integritate, per coniecturam dicta sunto; quæ vt fidem etiam ab exemplo huius vitæ acciperent, de sene Indo Orientali ita scribit Maffeius: *Quidam ex Gangaridum gente, quam hodie Bengalam vocant, ad Prætorem adijt, natus, vt ferebatur, annos trecentos triginta quinq;. Neque mendacij suspicio suberat. Nam & seniores, qui ibi erant, se idem de hoc eodem grandæuo aiebant à maioribus accepisse. Et ipse filium habebat nonagenarium, & cùm litterã nosset nullam, quæ referebantur ab eo de veterum gestis rebus, ad fidem annalium optimè congruebant. Huic aliquoties iam deciderunt dentes, alijs continuò subnascentibus; & barba, vbi prorsus incanuisset, in atrum denuo colorem, idq; paulatim semetipsa vertebat.*

Ioan. Petrus Maffæus l. 9. hist. Indic.

Ante centesimum annum idola coluerat; inde æquè miserabili errore, ad nefariam Machometis transierat sectam. Is propter miraculi nouitatẽ, Sultani stipendijs ali consuetus idem vitæ subsidium à Nonnio petijt. Nonnius haud grauatè assignauit. Talem natura dedit, & diuina potentia non posset? Immò potest.

Psal. 102. Qua spe fretus ille dixit: *Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.* In fabulis

Ouid. l. 7. Metam.

---------- stricto Medea recludit
Ense senis iugulum, veteremq; exire cruorem
Passa replet succis. Quos postquam combibit Æson,
Aut ore exceptos, aut vulnere: barba comæq;,
Canitie posita, nigrum rapuêre colorem.
Pulsa fugit macies, abeunt pallorq; situsq;.
Adiectoq; cauæ supplentur corpore rugæ,
Membraq; luxuriant. Æson miratur, & olim
Ante quater denos hunc se reminiscitur annos.
Dissimilemq; animum subijt, ætate relicta.

Sic oliuæ ramum arentem refloruisse, sic arietem redijsse ad vitam, & vegetas vires, fabulæ optauerunt potiùs, quàm testatum fecerunt

fecerunt. Fides autem Christiana, & optat, & sperat, & testatum facit, eos qui in Domino moriuntur, ad vitam resuscitatos, *in virum perfectum, in mensurã ætatis plenitudinis Christi,* in viridem iuuentam, non aliqua herbarum aut naturæ, sed Numinis potentia redituros; vt proinde neque de annis nimis multis, aut nimis paucis conqueri possint; neque de corporis statura, aut ipsa etiam morte subeunda murmurare; cùm non ignorent, se tanto fœnore atque lucro immutandos.

§. VIII.

Omnia membra, & naturæ debitos humores resurgentibus esse reddenda.

Quocirca membrorum quoque integritas & pulchritudo non deerit Sanctis; etsi in damnatis probabiliter, seruata naturæ veritate & integritate, omnia deformia erunt, Apostolo dicente: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur,* per gloriam scilicet. Ex quo, Adamo, & Euæ, & omnibus in peccato originali natis dictum est: *Puluis es, & in puluerem reuerteris,* omnes in cinerem soluimur. Etsi enim Christi resurrectio est exemplar nostræ resurrectionis, si terminum *ad quem* aspicia-

1. Cor. 15. 51.

Gen. 3. 19.

mus; non est tamen exemplar, secundùm terminum à quo. Vnde, licet *caro eius non viderit corruptionem*, reliquorum tamen hominum (*nisi aliquibus ex speciali priuilegio gratiæ, sit indultum contrarium*, ait S. Thomas) corpora dissoluuntur, vt possint reformari; atque in cinerem rediguntur, vt denuò integrentur. Nihil igitur refert, vnde restaurentur; ex monstris, aut alium defectum habentibus, aut etiam ex ipso puluere, ad quem redacta fuerunt; satis esse debet, si in resurrectione omnia accipiant, quæ ad eorum integritatem perfectionemque pertinuerunt. Omnia autem membra iusti accipient, quia Dei perfecta sunt opera, & inter opera Dei eminet resurrectio. Ad perfectionem autem hominis omnia membra pertinere, inde docetur, quia, iuxta Philosophum, *comparatio animæ ad corpus est, sicut comparatio artis ad artificiatum: quidquid autem explicitè in artificiato ostenditur*, ait S. Thomas, *hoc totum implicitè, & originaliter in ipsa arte continetur: & similiter, quidquid in partibus corporis apparet, totum originaliter, & quodammodo implicitè in anima continetur. Sicut ergo artis opus non esset perfectum, si artificiato aliquid deesset*

Psal. 15. Act. 2.

S. Thom. in suppl. q. 78. a. 2.

Deut. 32. Aristot. lib. 3. de animal.

S. Thom. in suppl. q. 80. a. 1.

deesset eorum, quæ ars continet; ita nec homo posset esse perfectus, nisi totum, quod in anima implicitè continetur, exteriùs in corpore explicaretur: nec etiam corpus animæ ad plenum proportionaliter responderet. Hæc S. Thomas, qui ibidem addit, intestina quædam membra sanctorum nec vacua fore, neque immunditias contentura, sed nobilibus humoribus implenda. Quod in damnatis non fiet. Qui autem humores in resurgentibus sint extituri, ex eo pendet decidere, quinam spectent ad naturæ integritatem, de quibus idem Doctor, & schola Philosophorum. Ibid. a. 3.

§. IX.

Vngues quoque, & capillos resurgentibus esse reddendos.

Quin & capilli, & vngues reddentur ijs, qui in hac vita calui fuerunt, aut matrum curiosarum vitio, vel sæuitia tyrannorum exungulati. Quia capilli quoque & vngues dati sunt in ornamentum hominis. Cùm ergo *corpora hominum, præcipuè electorum* (ait idem Angelicus Doctor, quia non ita credibile est, damnandos cum ornamentis suis ad identitatem & veritatem non necessarijs resurrectu- Ibid. a. 2.

ros) *debeant resurgere cum omni ornatu*; consequens est, eos etiam cum capillis & vnguibus resurrecturos. Adde quòd capilli & vngues, licet ex abundantia cibi generentur, non solùm ornatum habeant, in hac vita, sed etiam sua non careant vtilitate; atque idcirco ad secundariam pertineant corporis perfectionem; sicut folia arborum, quibus fructus cooperiuntur, pertinent ad secundariam arborum perfectionem, & venustatem. Et quoniam temperamentum magis ad naturam hominis pertinet, quàm eadem mensura quantitatis, quæ saltem in infantibus non manebit, ex temperamento autem oritur color capillorum, conficitur tunc, capillos beatorum eodem colore fore conspicuos, quo hîc 34. anno aut fuerunt, aut futuri fuissent, si vita esset eò vsque porrecta.

§. X.

Quæ materia resurgentibus, & an costa sit reddenda Adamo?

Quoniam autem infantes, pueros, & Pygmæos in statura perfecta, vti & Gigantes ea magnitudine, qua ferè Christus fuit, diximus resurrecturos; necesse est & Gigantibus aliquid de materia demi, & infantibus

fantibus ac Pumilis aliquid addi, quod identitati ac veritati eiusdem hominis non officit; sicut neque in ijs, qui ab alijs hominibus deuorati sunt; quorũ proinde materia à pluribus animabus fuit informata, & jam ad hunc, jam ad illum hominem pertinebat. Nihil inquam, officit, quia, præter alias responsiones à S. Thoma assignatas; sufficit, tantum materiæ tunc diuina virtute aliunde suppleri, quantum opus est ad perfectionem quantitatis. *Nec per hoc aliquid præiudicatur identitati in numero, sicut nec præiudicatur, per hoc, quòd partes secundùm materiã fluunt, & refluunt,* ait S. Doctor. In Anthropophagis autem carnes comestæ non sunt de veritate humanæ naturæ in comedente, sed in eo, cuius carnes comeduntur. Quare surgent in primo, non in secundo. Huic autem illarum aliquid restituetur carnium, quæ aliquando defluxerunt. Quandoquidem igitur ea, quæ defuerunt mortalibus in hac vita, reddentur immortalibus in altera vita, quid fiet cum Adamo primo omnium hominum parente, an etiam illi reddetur costa eius, ex qua Eua formata est? Nam ita legimus: *Immisit ergo Dominus Deus so-*

S Thom. in supl. q. 80. ad 3.

Gen. 2, 12.

porem in Adam: cumq; obdormisset, tulit vnã de costis eius, & repleuit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem, Dixitq; Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: Hæc vocabitur Virago, quoniam de viro sumta est. Si reddetur igitur ei costa, quæ ab illo ablata est, vbi manebit Eua? si non reddetur, an Adam in æternum mancus & monstrum erit? an aliquid illi deerit, quod fuit de veritate naturæ humanæ in ipso? Aio, costam illam non in Adamo, sed in Eua resurrecturã, quæ de illa formata est; neque tamen Adamum fore mancum, aut imperfectum; cùm costa illa, in Adamo, non fuerit de perfectione indiuidui, sed ad multiplicationem speciei sit ordinata. Quare costa illa non resuscitabitur in Adamo, sed in Eua; quemadmodum & semen non in generante, sed in genito resurget. Ex quo perspicitur, Adamum neque, antè quàm costa illa ab eo auferretur, neque post illam ablatam, monstrum fuisse; quia neque antè aliquid in illo redundauit, neque postea aliquid defecit: cùm costa non ad indiuidui perfectionem, sed ad multiplicationem speciei illi sit data, sicut

Ita respõdet S. Thom. loc. cit. ad 2.

ſicut & dari ſolet ſemen, cuius neque præſentia, neque abſentia ex homine facit monſtrum; pertinet enim, non ad indiuidui, ſed ad ſpeciei conſeruandæ naturam.

§. XI.

Medicina monſtroſorum.

Deſinat ergo ſolicitudo vel ægrorum, vel quocunq; modo monſtroſorum. Sicut franguntur vaſa, vt in melius reformentur; ita Deus iuſtorum corpora ſubinde, in terris, curuat, vt erigat in cælo. Quòd ſi enim tam benignus eſt, vt etiam in hac vita naturæ defectus compenſet, quid non ſperandum eſt, eum in altera vita amicis ſuis facturum? Boni *in carne ſua videbunt Deum ſaluatorẽ ſuum*, ſed in carne integra atque perfecta; quidquid ſit de malis, propter quos Apoſtolus ait: *omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur*. Qui, ſi deformes maneant, meruerunt eam deformitatem. Sancti autem ſine metu eſſe debent; quia eorum corpora certò in gloriam mutabuntur. Vidit iam dudum hanc quorundam ſolicitudinem Tertullianus, apud quem iſta leguntur. *Hinc iam illa vulgaris incredulitatis argutia eſt: ſi, inquiunt, ipſa eademq; ſubſtantia reuocatur cum*

Iob. 19. 26.

1. Cor. 15. 51.

Tertull. libr. de Reſurrect. c. 57.

sua forma, lineâ, qualitate, ergo & cum insignibus suis reliquis: itáq; & cæci & claudi, & paralytici, & vt quis insignis excesserit ita & reuertetur. Quid nunc? etsi ita dedignaris tantam gratiam qualiscunq; à Deo consequi. Non enim & nunc animæ solius admittens salutem, dimidiatis hominibus eandem adscribit? Quid est, credere resurrectionem, nisi integram credere? Si enim caro de dissolutione reparabitur, multò magis de vexatione reuocabitur. Minoribus maiora præscribunt. Cuiuscunq; membri detruncatio, vel obtusio, nonné mors membri est? si vniuersalis mors resurrectione rescinditur, quid portionalis? si demutamur in gloriam, quantò magis in incolumitatem? vitiatio corporum accidens res est, integritas propria est. In hanc nascimur, etiamsi in vtero vitiemur, iam hominis est passio. Prius est genus, quàm casus. Quomodo vita confertur à Deo, ita & refertur. Quales eam accipimus, tales & recipimus. Naturæ, non iniuriæ reddimur: quod nascimur, non quod lædimur, reuiuiscimus. Si non integros Deus suscitat, non suscitat mortuos. Quis enim mortuus integer, etsi integer moritur? Quis incolumis, qui exanimis? Quod corpus illæsum, quum interemptum, quum frigidum, quum

expalli-

expallidum, quum edurum, quum cadauer? quando magis homo debilis, nisi quũ non totus? quando magis paralyticus, nisi quum immobilis? Ita nihil aliud est, mortuum resuscitari, quàm integrum fieri, ne ex ea parte mortuus adhuc sit, ex qua non resurrexerit. Idoneus Deus reficere, quod fecit. Hanc suam & potestatem & liberalitatem satis iam in Christo spopondit, immò & ostendit, non tantùm resuscitatorem carnis, verùm etiam redintegratorem. Atq; adeò & Apostolus: Et mortui, inquit, resurgent incorrupti Quomodo nisi integri, qui retro corrupti, tam vitio valetudinis, quàm ex senio sepulturæ. Nam & suprà vtrumq; proponens, oportere & corruptiuum istud induere incorruptelam, & mortale istud immortalitatem, non iterauit sententiam, sed differentiam demandauit. Immortalitatem enim ad rescissionem mortis, incorruptelam ad oblitterationem corruptelæ diuidendo, alteram ad redintegrationem temperauit. Puto autem & Thessalonicensibus omnis substantiæ integritatem repromisit. Itaq; nec inposterum timebuntur corporum labes. Nihil poterit amittere integritas, vel conseruata, vel restituta, ex quo illi etiam, si quid amiserat redditur. Immò & quod non amiserunt, accipient

pient beati, si fortè eos natura destituit, cùm nascerentur.

§. XII.

Qui, & cur dixerint, feminas non in suo sexu resurrecturas?

Verùm, quia S. Paulus ait, nos occursuros *in virum perfectum*, multi fuerunt, qui existimarent, feminas non in proprio sexu, sed in virili surrecturas, & in viros transmutatas, teste S. Augustino. Habet hæc sententia, vt apparet, magnos & eruditos authores. Quippe videtur esse S. Hieronymi, S. Basilij, S. Hilarij in illud: *In resurrectione neq; nubent, neq; nubentur.* S. Athanasij, aliorumque, qui arbitrantur, in resurrectione non fore sexuum diuersitatem. Quin & inter Scholasticos Scotus manifestè tradit, omnes feminas, excepta vna Dei Matre Virgine, in sexu virili resurrecturos. Tractat hanc quæstionem etiam D. Thomas. Neque desunt rationes. Nam, præter Apostolum dicentem, nos *in perfectum virum*, non autem in perfectam feminam, occursuros; in futuro sæculo omnis prælatio cessabit; non cessaret autem prælatio, si muliebris sexus non cessaret, cùm mulieri dictum sit: *sub viri potestate,*

Ephes. 4. 13.

S. Aug. l. 22. ciu. cap. 17. seqq.

S. Hieronym. & Basil in Psal. 114.

S. Hilar. in Matth. 22.

S. Athanas. serm. 3. cont. Arrian. sub fin.

Scot. in 2. dist. 20.

S. Thom. in suppl. q. 81. art. 3.

Gen. 3. 16.

ſtate eris, & ipſe dominabitur tui. Accedit, quòd ſexus fæmineus ſit accidens, & quædam hominis imperfectio, in reſurrectione verò omnis imperfectio tolletur à iuſtis. Ac ſanè, vt Ariſtoteles docet, femina eſt *mas occaſionatus*, atque ex defectu virtutis formatiuæ in ſemine (quæ non poteſt perducere materiam concepti ad virilem perfectionem) præter intentionem naturæ inductus. Si ergo in reſurrectione ſaluandorum omnis error tolletur, videtur concedendum, ſexum muliebrem non reſurrecturum. Nam ſi natura, quæ perfectum intendit, cùm marem, quaſi hominem perfectum vellet producere, feminam pro mare producens errauit, corrigendus erit vtique error ille in beatis, ne ſaltem ex hac parte miſeri ſint. Denique ad quid erit diuerſitas ſexus, ſi *in reſurrectione neq; nubent, neq; nubentur?* Hæc pro iſta ſententia afferri poſſunt.

Ariſtot. lib. 2. de Generat. animal. cap. 3.

§. XIII.

Feminæ cur in ſuo ſexu ſint reſurrecturæ?

Sed luculentus, & in ſexum femineum valde iniurius eſt error, dicere, vel credere, feminas in ſuo ſexu non reſurrecturas.

Cuius

Cuius è diametro contrarium, contra errores Ioannis Hierosolymitani, expressè Sanctus Augustinus, Tertullianus, S. Hieronymus, D. Thomas, & alij scholastici communiter tradiderunt. Augustini verba sunt: *Melius sapere videntur, qui utrumq; sexum resurrecturum esse non dubitant.* Vtiq; enim Deus, quod in homine fecit, cùm primò eum conderet, id in resurrectione quoque reparabit. Quia igitur *masculum & feminam creauit eos*, initio mundi; in resurrectione quoque masculum & feminam reproducet. Adde, quòd tunc, vt idem numero corpus resurgat, necesse sit, præcipua saltem accidentia, & easdem conditiones indiuiduantes restaurari, inter quas non minima est, sexus certus, & determinatus. Quare diuersis, diuersus sua natura debetur sexus. Quæ ipsa diuersitas ad speciei perfectionem pertinet. Ita enim illius diuersi gradus per diuersitatem sexus implentur. Quo semel statuto, facile est, ad argumenta obiecta respondere.

S. Aug. lib. 22. de ciuit. c. 17. & seqq. Tertull. lib. de resurrect. cap. 60. S. Hieronym. ep. 61. ad Pammachium. S. Thom. in supl. q. 81. a. 3. Scholast. in 4. d. 44. Gen. 1. 27.

§. XIV.

Solutio argumentorum contra sexum femineum obiectorum.

1. Igitur cùm Apostolus ait, nos *in perfe-*

perfectum virum occursuros, id non ob sexum ait virilem, sed ob animi virtutem, quæ tam in mulieribus; quàm in viris tunc erit. Quare per virum, hominem intellexit, sicut Dauid, quando dixit: *Beatus vir, qui &c.* vbi vtique feminas non exclusit. 2. Hieronymus, Basilius, Hilarius, Athanasius alijsq; Patres, magni sanè sunt authores, cùm negant, in cælo fore sexuũ diuersitatem, tantùm negant eam diuersitatem fore, quoad vsum, non autem quoad substantiam. Quia *in resurrectione neq; nubent, neque nubentur.* S. Thomas clarè est pro nobis. Scotus, si in sexu femineo agnoscit imperfectionem, atq; idcirco reliquas feminas putat in viros commutandas; cur eam imperfectionem soli Deiparæ attribuit? quæ, vt in hac vita virtute omnium perfectissima fuit feminarum, cur tunc sola illis cedet sexus imperfectione? Alij aduersarij, qui neque hanc Virginem excipiunt, quæ probabilissimè cum corpore in cælum est assumta, non debent eam inuocantes dicere, *Sancta Maria*, sed, *Sancte Maria, ora pro nobis*, absurdum est siquidem, virum feminino genere salutare. Est igitur, & manet, manebitq; Maria,

Psal. 1. 1.

Matth. 22 30.

ria, & *femina*, & *Virgo*, & *Dei Mater*. Certè multis nõ solùm Dei Mater, verùm etiam aliæ sanctæ, vt S. Agatha, S. Agnes, & aliæ Diuæ, non mutato, sed suo sexu, apparuerunt. 3. In hac vita vir dominatur mulieri, sed propter robur corporis, & vigorem animi, atque ob imbecillitatem naturæ, qua feminæ potestati virorum subijciuntur. In resurrectione autem, ob hæc, non erit differentia secundùm sexuum diuersitatem; sed secundùm diuersitatem meritorum. 4. Ad potissimum fundamentum Scoti respondetur, sexum femineum nequaquã esse imperfectionem; sed potiùs perfectionem, licet minorem, quàm sit virilis perfectio. Quare etiam neque vitium est, sed natura, & conditio naturalis: quippe cùm fæmina necessaria sit ad propagationem sobolis, & ad humanæ speciei conseruationem. Profectò si sexus muliebris esset aut vitium, aut imperfectio naturæ, in Paradiso, & statu innocentiæ non extitisset; aut Deus vitij imperfectionisq; author fuisset, quando ex viro feminam, ex Adamo Euam formauit. Quare dormitauit Aristoteles, quando scripsit, feminã esse marem occasionatum: siquidem Deus

& na-

& natura per se intendit tunc feminam producere, vt scilicet per marem & mulierem genus humanũ propagaretur. Quanquam dictum Aristotelis, ita possit exponi, quòd idcirco fœminam dixerit esse *virum occasionatum*, quia vir perfectior est, quã femina; natura autem in genere intendit potiùs producere id quod perfectius est. In genere, inquam; in specie enim atque indiuiduo, haud rarò intendit producere, id quod minùs est perfectum; intendit enim infantem, non virum gignere ex matre; & ex tali semine non virum, sed feminam producere. Quoniam igitur femina non est error naturæ, nulla opus erit, in hoc sexu, resurrectionis correctione. 5. In qua resurrectione *neque nubent* sanè, *neque nubentur, sed sunt sicut Angeli Dei in cælo*; quo loco non negatur, feminas in cælo futuras, sed nuptiæ solæ tolluntur, vsusq; nuptiarum; quas homines carni dediti optant, Turcæ promittunt, status æternitatis repudiat, non patitur perfectio purissimæ castitatis. Cessabit ergo generatio, quia nulla ibi erit successio; & vbi nemo morietur, nemo orietur; itaque *sunt sicut Angeli Dei*, non solùm propagatione

non indigentes, sed etiam ita puri, ita casti, vt nulla ibi futura sit *confusio mutuæ visionis*; *quia aberit libido incitans ad turpes actus, ex quibus confusio caussatur.* Cuius rei figura fuit status innocentiæ in Paradiso. *Erant* enim *vterque nudus, Adam scilicet, & vxor eius: & non erubescebant.* Quare cessabit ibi vsus nuptiarum, non cessabit sexus; quod eo ipso loco insinuatur, quẽ aduersa sententia nobis opponit: ait namque: *neque nubent* scilicet fæminæ, *neque nubentur* scilicet viri; quæ duo vtique ponit Seruator ad significandam sexuum diuersitatem.

S. Thom. in supl. q. 81. a. 3. in corp.

§. XV.

Ad quid sexuum & membrorum diuersitas sit resurrectura, & in cælo futura?

Ad quid igitur erit sexuum in cælo diuersitas, si *neque nubere, neque nubi*, &, vt S. Lucas subijcit: *neque vltra mori poterunt, & sunt filij Dei, cùm sint filij resurrectionis?* Dixi iam suprà, ad eundem numero hominem pertinere easdem conditiones indiuiduantes. Et *tunc laus erit vnicuique à Deo*, quàm absonè diceretur, *Hic vir fuit Mater Dei; Hic Monica fuit mater Augustini; Hic mas fuit Machabæorum*, aut *filiorũ Zebedæi*

Luc. 20. 34.

Zebedæi mater: Hic vir Thecla, inter feminas protomartyr fuit, quia noluit nubere? Hæc atque alia complura absurda sequerentur, si feminæ in suo sexu, quasi in naturali conditione ac perfectione sua, non resurgerent. Eleganter etiam atque eruditè Tertullianus contra hanc obiectionem, in hunc modum, disserit: *Ecce autem, vt adhuc controuersiam exaggerent, carni maximè eidem, de officiis quoque membrorum argumentantur, aut & ipsa dicentes permanere debere in suis operibus, & fructibus, vt eidem corpulentiæ adscripta, aut quia constat discessura esse officia membrorum, corpulentiam quoque eradant, cuius scilicet perseuerantia credenda non sit, vtique sine membris, quia nec membra credenda sint sine officiis. Quo enim, inquiunt, spelunca hæc oris, & dentium statio, & gulæ lapsus, & compitum stomachi, & alui gurges, & intestinorum perplexa proceritas, cùm esui & potui locus non erit? Quò huiusmodi membra admittunt, subigunt, deuoluunt, diuidunt, digerunt, egerunt? Quò manus ipsæ & pedes, & operarij quiq; artus, cùm victus etiam cura cessabit? Quò renes conscij seminum, & reliqua genitalia vtriusq; sexus, & conceptuum stabula, &* Tertull. lib. de resurrect. c. 60.

vberum fontes, decessuro concubitu, fætu & educatu? Postremò quò totum corpus, totum scilicet vacaturum? Adhæc ergo præstruximus non oportere committi futurorum atque præsentium dispositiones intercessura tunc demutatione, & nunc superstruimus officia ista membrorum necessitatibus vitæ huius eò vsque consistere, donec & ipsa vita transferatur à temporalitate in æternitatem, sicut animale corpus in spirituale, dum mortale istud induet immortalitatem, & corruptiuum istud incorruptelam, & ipsa autem liberata tunc vita à necessitate, liberabuntur & membra ab officijs, nec ideò non erunt necessaria. Licet enim officijs liberentur, sed judicijs retinentur, vt quis referat per corpus, prout gessit. Saluum enim hominem tribunal Dei exigit. Saluum verò sine membris non licet esse, ex quorum non officijs, sed substantijs constat, nisi fortè & nauim sine carina, sine prorâ, sine puppi, sine compaginis totius incolumitate saluam asseuerabis, & tamen nauem procellâ dissipatam, vel carie dissolutam, redactis, & recuratis omnibus membris eandem sæpe conspeximus, etiam titulo restitutionis gloriantem de DEI artificio, & arbitrio, & jure torquemur? Porrò, si diues Dominus & liberalis adfectui, aut gloriæ

suæ præstans, solam nauis restitutionem, hactenus eam voluerit operari, idcirco tu negabis necessariam illi compaginem pristinam, vt exinde jam vacaturam, cùm soli saluti nauis sine operatione conueniat? Igitur hoc tantumodo discere sufficit, an Dominus hominem saluti destinando carnem destinauit, an eandem velit denuo esse, quam non debebis ex futura membrorum vacatione præscribere, denuo esse non posse? Licet enim esse quid denuò, & nihilominus vacare; nec potest autem dici vacare, si non sit. At enim si sit, poterit & non vacare. Nihil enim apud Deum vacabit. Sed accepisti homo os ad vorandum atq; potandum, cur non potiùs ad eloquendum, vt à cæteris animalibus distes? cur non potiùs ad deprædicandum Deum? vt etiam hominibus antistes. Denique Adam antè nomina animalibus enuntiauit, quàm de arbore decerpsit, antè etiam prophetauit, quàm vorauit. Sed accepisti dentes ad macellum coornandum, cur non potiùs ad omnem hiatum & rictum tuum coronandum? cur non potiùs ad pulsus linguæ temperandos, ad vocis articulos offensione signandos? Denique & edentulos audi, & vide, vt honori oris & organum dentium quæras. Forata sunt inferna in viro, & in fœminâ, nimirum quâ li-

bidines fluitent, cur non magis quâ potuum defricta colentur? Est adhuc in fœminis intus, quâ semina congerantur, an quo sanguinis onera secedant, quem pigrior sexus discutere non sufficit? Dicenda enim & hæc quatenus quæ volunt, & qualiter volunt, & quorum volunt officia membrorum ludibriosè de industria suffundendæ resurrectioni oblatrant, non recogitantes, ipsas priùs caussas necessitatis tunc vacaturas, cibi famem, & potus sitim, & concubitus genituram, & operationis victum. Sublata enim morte neque victus fulcimenta ad præsidia vitæ, neque generis supparatura grauis erit membris. Cæterùm & hodie vacare intestinis & pudendis licebit. Quadraginta diebus Moyses & Helias ieiunio functi, solo Deo alebantur. Iam tunc enim dedicabatur: Non in pane viuit homo, sed in verbo DEI. Ecce virtutis futuræ lineamenta. Nos quoque vt possumus à cibis excusamus, etiam sexum à congressione subducimus. Quot spadones voluntarij, quot virgines Christo maritatæ? quot steriles vtriusq; naturæ infructuosis genitalibus structi? Si & hîc iam vacare est, & officia, & emolumenta membrorum temporali vacatione, vt temporali dispositione, nec homo tamen minùs saluus est, proinde homine sal-

uo,

uo, & quidem magis tunc in æterna dispositione, magis non desiderabimus, quæ iam hîc non desiderare consueuimus.

§. XVI.

An, & modo resurrecturi sint, qui antè moriuntur, quam nascantur?

Feminæ igitur resurgent, resurgent & viri, vt diuinæ sapientiæ opificium etiam in sexu laudetur. Et resurgent omnes iusti in sua perfectione, omnibusque membris naturæ debitis præditi: quamuis in hac vita illis, vel per naturæ errorem, vel per tyrannorum crudelitatem, vel per alium casum fuerint destituti. Quin & illi resurgent, qui nunquam fuerunt nati, sed in materno vtero mortui, & abortiui vel eiecti, vel exsecti sunt. Si enim semel vixerunt, anima eorum interire non potuit; neque æternùm sine corpore manebit. Enimuerò illi infantes, qui exserta aliqua corporis parte baptismo tincti, postea antè, quàm plenè in lucem ederentur, defuncti sunt, etiam ad gloriam, & *ad mensuram ætatis plenitudinis Christi* resurgent. Sicut & multò magis infantes, qui postquam nati & baptizati vitam amiserunt. Illi enim *non in ea resurrecturi sunt corporis exiguita-*

S. Augustin. lib. 22. ciuit. cap. 13.

Idem ib. c. 14.

te, qua mortui. Sed quod eis tardiùs accessurum erat tempore, hoc sunt illo Dei opere miro atque celerrimo recepturi. In sententia quippe Domini, vbi ait: Capillus capitis vestri non peribit: dictum est, non defuturum esse, quod fuit; non autem negatum est, affuturum esse, quod defuit. Defuit autem infanti mortuo perfecta quantitas sui corporis: perfecto quippe infanti, deest vtique perfectio magnitudinis corporalis: quæ cùm accesserit, iam statura longior non esse possit. Hæc Augustinus, qui

Idem eod. lib. c. 16.

alio loco ita concludit. Resurgent itaque omnes tam magni corpore, quàm vel erant, vel futuri erant in iuuenili ætate: quamuis nihil oberit, etiamsi erit infantilis vel senilis corporis forma: vbi nec mentis, nec ipsius corporis vlla manebit infirmitas. Vnde etiam si quis in eo corporis modo, in quo defunctus est, resurrecturum vnumquemq; contendit, non est cum illo laboriosa contradictione pugnandum. Et infrà: Si contenditur, in ea quemque statura corporis resurrecturum esse, in qua defunctus est, non pugnaciter resistendum est: tantùm absit omnis deformitas, omnis infirmitas, omnis tarditas, omnisq; corruptio: & si quid aliud illud non decet regnum, in quo resurrectionis & promissionis filij æquales erunt an-

Lib. cit. cap. 20.

gelis

gelis DEI: si non corpore, non ætate, certè felicitate.

§. XVI.

Epilogus huius, de monstris & monstrosis, tractatus, ostendens, non esse in his caussam querelarum; sed occasionem diuinæ prouidentiæ & bonitatis admirandæ.

Quæ cùm ita sint, quis conqueri iure, potest, naturam secum nimis illiberaliter egisse, quòd vel deformem genuerit, vel mancum, vel alio defectu monstruosum? Respiciat ad primam hominis originem, quàm illa sine næuo, sine vitio, quàm perfecta fuit? Reuocet in mentem primi parentis præuaricationem, nonne in eo, tanquam in capite, omnium mortalium progenies fuit damnata? Quid habet, vt ploret, si ei natura formæ gratiam negauit; quando peccatum genitoris ei gratiam diuinam profligauit? Beneficium accipit, qui clementer plectitur, meritus grauiora. Quid quòd plurimis sua monstrositas prodest? Deformes sunt? non habent corporis pulchritudinem, habent autem vtilitatem. Sic insidijs carent; sic minùs periclitantur; sic non sunt illecebrosi; sic

faces extinguunt; sic incendijs obsistunt, & animorum, & Tartarorum. Sic superbiam subigunt; sic se ipsos & terrena omnia faciliùs despiciunt; sic in terris meliora quærunt, in cælo reperiunt pulchriora. Non odit pater filium, cui canem negat, equum donat. Multis Deus non vult dare, quod morbus tollit, senectus perdit, mors funditus euertit; & donat aliquid, in quod neque morbus, neque anni, neque ipsa Libitina habet potestatem. Sæpe enim florens animus, in putri corpore habitauit.

2. Cor. 12. 10. Nunquã audiuisti dicentem: *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs, pro Christo. Cùm enim infirmor, tunc potens sum.* Potior hominis pars est anima, huic additur, quod corpori demitur. Non æstimanda est exigui repulsa, quam maximi oblatio compensat. Quid curas, si te despiciunt mortales, quem suspiciunt & amant immortales? Naturæ est opus, & laus parentum, si nihil est in corpore tuo monstrosum: si te virtutibus ornas, tibi imputatur. *Pulchrius est, pulchrum fieri, quàm nasci.* Quod natura dedit, potest auferre casus: animi bona nolentibus nunquam eripiuntur.

piuntur. Cui deeſt decor frontis, cómparet decus mentis; hoc ſi habet, omnem corporis labem compenſauit. Breuis es? Mors te extendet. Longus es, contrahet ſepulchrum. Claudus es, ambulare non potes? mente ad cælum euola. In morbo, & lecto iacere cogeris? Aſſurge animo, ſi corpore non potes. Pede cares? non cares ratione. Maculam tibi mater in vultum impreſſit? gratulare tibi, ſi non & mens tua eſt maculata. Prolem nactus es beſtiæ ſimilem? fortaſſe & tu ipſe ſicut beſtia vixiſti; mitte querelas, ſi tibi parem vel Deus, vel natura ſobolem dedit. Gibbum tergo tuo mater iniecit? porta hanc farcinam patienter, quæ te ſemper monet, quantum onus, pro tua ſalute, Dominus geſtârit. Caluus es? & magnus Propheta caluus fuit. Oculos amiſiſti? clauſa eſt feneſtra, per quam mors intrare potuiſſet. Exſurdatæ aures vocem non admittunt? Ergo neque conuicia, neque contumelias, neque adulationes, neque detractiones, neq; mendacia. O quot hoſtes excludunt! Neſcis loqui? ô quantis peccatis liber es! Ita non reddes ſummo iudici de otioſis verbis rationem; ita nulli maledices; ita non

peierabis;

peierabis; ita obscœna non proferes; ita nullius famam subhastabis. Brachijs truncatus es? nec teipsum vestire, nec cibum ori inferre potes? Ast alij te vestiunt, alij pascunt; ita pro duobus brachijs duos famulos, aut plures accepisti. Denique si monstrum esse non vis, si horrescis monstrositatem, ne te subijce malo dæmoni, ne mancipium esse velis vitiorum; his enim qui seruit, omnium monstrorum est monstrosissimus; & inter longè truculentiora monstra, in Acheronte, æternùm sedebit. Qui autem seipsum ornat pietate, quamuis sit deformis, non solùm facilè & speculum suum, & oculum alienum contemnet; verùm etiam in altera vita, siue puer, siue senex; siue rufus, siue canus ex hac discedat, formosus & pulcher, inter formosos & pulchros, arcana Dei consilia, & prouidam bonitatem lætissimè laudans cantabit: *Mementote mirabilium eius, quæ fecit: prodigia eius, & judicia oris eius.*

Psal. 104. 5.

FINIS.

INDEX

INDEX CAPITVM ET PARAGRAPHORUM.

CAPVT I.

Quid, & quàm varia sint monstra? & num etiam in omnibus Mundi partibus reperiantur?

§. 1. *Cur de Monstris agendum?* pag. 1.
§. 2. *Monstri acceptio, & exempla.* 2.
§. 3. *An monstra in omnibus rebus, etiam in artibus dentur?* 5.
§. 4. *In cœlo stellato, & sub eo Monstra esse.* pag. 6.
§. 5. *Ignium Monstra.* 8.
§. 6. *Aëris Monstra.* 11.
§. 7. *Aquarum Monstra.* 14.
§. 8. *Duo Nilotica vel Monstra, vel spectra.* pag. 15.
§. 9. *Piscis mirificè figuratus.* 17.
§. 10. *Alius piscis armis bellicis prodigiosus.* 19.
§. 11. *Terrena Monstra.* 22.
§. 12. *Monstrosi terræ motus.* 23.
§. 13. *Monstrosorum effectuum lapis.* 24.
§. 14. *Metallorum Monstra.* 27.
§. 15. *Plantarum Monstra.* 28.
§. 16. *Animalia intra rupes monstrosa inuenta.* 30.

§. 17.

§. 17. *Animalia monstrosè loquentia, vel parientia.* 31.
§. 18. *An mulæ sint monstra, & num naturaliter pariant?* 33.
§. 19. *Monstra ex hominibus nata.* 33.
§. 20. *Infantes locuti, & varia superstitio quorundam de nòcte Natiuitatis Christi.* 35.

CAPVT II.

De illis elementorum Monstris, quæ in dubium vocantur, vt de Pyrali, Salamandra, Phœnice, Scylla, Charybdi, Sirenibus, piscibus fossilibus, vnicorne, Sphynge, Centauris, &c.

§. 1. *Pyralis & Salmandra num sint fabulosæ?* 37.
§. 2. *Vnde probari videatur, Phœnicem esse in rerum natura?* 39.
§. 3. *Phœnicis ætatem & vrbem fabulosam esse.* 44.
§. 4. *Semendæ & Phœnicis refutatio.* 48.
§. 5. *Qualis concedi possit Phœnix?* 50.
§. *Scyllas esse rem fabulosam.* 52.
§. 7. *Variæ de Sirenibus opiniones.* 54.
§. 8. *Sirenes omnino in rerum natura esse.* 57.
§. 9. *An dentur pisces fossiles?* 59.
§. 10. *Fossiles pisces à Seneca non rectè esse negatos.* 61.

§. 11. *Quo modo pisces fossiles sub terram venire possint?* 63.
§. 12. *An & quomodo pisces extra aquam viuere, & spirare possint?* 65.
§. 13. *An sint in terris Monocerotes?* 67.
§. 14. *Bestias quasdam raras monstra videri.* 72.
§. 15. *An, & quid sint Sphinges?* 73.
§. 16. *An dentur in rerum natura Centauri, Hippocentauri?* 77.
§. 17. *Vnde probabile fiat Centauros esse?* 81.
§. 18. *Qui negent Centauros esse?* 84.
§. 19. *Respondetur Centaurorum oppugnatoribus.* 87.

CAPVT III.

Iniquas hominum de Monstris & monstrosis querelas compesci ex eo, quòd Monstra & monstrosi sint DEI opus, & eorum irrisores diuinitus puniantur.

§. 1. *Murmurationes & querelæ contra monstra.* 90.
§. 2. *An, & quomodo Deus sit author monstrorum.* 94.
§. 3. *Monstra tanquam Dei opus non esse carpenda.* 97.
§. 4. *S. Gregorij Turonensis solatium breuitatis Deus author.* 98.

§. 5.

§. 5. *Roberti Bellarmini Cardinalis heroicum responsum.* 100.
§. 6. *Sæpe sub deformi corpore pulchram animam latere.* 102.
§. 7. *Non esse iudicandum secundùm faciem.* 103.
§. 8. *Deformes legatos despiciens Valentinianus à Deo punitus.* 105
§. 9. *Ob corporis defectum non esse murmurandum, aut querendum.* 106.

CAPVT IV.

Vniuersum Monstris ornari, Pygmæis, & Gigantibus, ac enormiter fortibus ostenditur.

§. 1. *Rebus monstrosis, tanquam oppositis, res non monstrosas magis elucere.* 110.
§. 2. *Pygmæos ipsa deformitate sua esse gratiosos.* 112.
§. 3. *Procerus miles à pumilo, per crudelem iocum iussus trucidari.* 114.
§. 4. *Pumilorum gratiosa paruitas.* 115.
§. 5. *Paruitas corporis, quæ in nostra potestate non est, tamen vtilis est, & aliquibus nomen fecit.* 116.
§. 6. *Deum per paruos magna patrasse.* 118.
§. 7. *Num totæ sint in terris, Pygmæorum nationes?* 121.

§. 8. *Gigantéæ ſtaturæ homines curioſorum voluptas.* 123.
§. 9. *Gigantes eſſe terribiles.* 125.
§. 10. *Voluptas & vtilitas pariter de Galetio & Ænothero gigantéæ fortitudinis viris percepta.* 127.
§. 11. *E Gigantibus, vt ex omnibus alijs magnis rebus, DEI gloriam magis elucere.* 130.
§. 12. *In Samſone, meliore Hercule, quanta decora, donaq́; DEI conſpecta ſint?* 132.
§. 13. *Quos Poëtæ finxerint monſtroſæ fortitudinis viros, & de Cleomede.* 141.
§. 14. *Alij prodigioſarum virium viri, Tritanus & Georgius Caſtriotus.* 142.
§. 15. *Deo non ſecus ac Aureliano, ob fortitudinem laudes dicendas.* 145.
§. 16. *DEI potentia contra potentes oſtenſa.* 147.
§. 17. *Impij Gigantes fulminati.* 149.
§. 18. *Milonis fortitudo quomodo ſuperata?* 151.
§. 19. *Maximini fortitudo, & ſuperbia deiecta.* 153.
§. 20. *C. Marij vis, honor brevis, & vana dignitas.* 156.
§. 21. *Polydamas alter Samſon, quomodo oppreſſus?* 158.

CAPVT V.

Climata cæli, regiones terræ, imaginationes vehementes, aliæq; naturales monstrorum cauſſæ.

§. 1. *Quibus terris, & temporibus, diuerſi coloris & magnitudinis homines nati?* 161.

§. 2. *Quibus in locis homines puſilli naſcantur.* 165.

§. 3. *Naturæ authoris eſſe rerum naturis curſum ſuum relinquere.* 167.

§. 4. *Cur alia alibi monſtroſa, vel non monſtroſa videantur?* 169.

§. 5. *Vbi caninâ, aliysq; figuris homines naſcantur?* 171.

§. 6. *Lunæ, aliorumq; ſiderum influxus etiã in monſtra multum poſſe.* 174.

§. 7. *Quam vim in monſtra habeat materia, vis formatrix, &c?* 175.

§. 8. *Imaginationem multa poſſe in hominum formas, varijs exemplis oſtenditur.* 178.

§. 9. *Matres aſpectu partum afficientes.* 180.

§. 10. *Laruati mariti effectus.* 181.

§. 11. *Nomen & inſignia fœtui impreſſa.* 182.

§. 12. *Quid imaginatio poſsit vel non poſsit in corpus proprium?* 184.

§. 13. *Quid imaginatio poſsit in corpus quaſi alienum?* 186.

CAPVT

CAPVT VI.

Prima moralis monſtrorum cauſſa, vt ſint ſigna DEI, monere, aut ſanare volentis.

§. 1. *Per monſtra aliquid ſignificari.* 191.
§. 2. *Monſtrum ſub Polycriti forma vaticinans.* 194.
§. 3. *Victoriarum amittendarũ nuntia monſtra.* 195.
§. 4. *Deum per monſtra ac præſertim per cometas de ventura calamitate præmonere.* 196.
§. 5. *Igniũ monſtra clades vaticinantia.* 199.
§. 6. *Ignis & Aëris alia boni ominis monſtra.* 201.
§. 7. *Aquarum prodigia.* 202.
§. 8. *Terrarum monſtra.* 205.
§. 9. *Lapidum & metallorũ monſtra.* 206.
§. 10. *Plantarum fauſta, & infauſta monſtra.* 210.
§. 11. *Auium exoticarum monſtra.* 212.
§. 12. *Apum, formicarum, aliaq; monſtra infantium fauſtorum præſagia.* 214.
§. 13. *Quadrupedum, & loquentiũ beſtiarum monſtra.* 215.
§. 14. *Præſaga hominum monſtra.* 217.
§. 15. *Quanta ſit DEI bonitas homines per mon-*

monstra præmonentis? 221.

CAPVT VII.

Secunda moralis monstrorum causa, vt sit pœna hominum ob scelera plectendorum. Et qui, aut cur aliqua capitis parte aut toto Capite monstroso nati sint?

§. 1. *Monstra esse justitiæ diuinæ monimenta.* 225.

§. 2. *Visionibus Deus docuit monstra esse in pœnam peccatorum.* 226.

§. 3. *Ob peccata homines decaluari.* 228.

§. 4. *Pili color monstrosè mutatus, & pileus monstrosus in pœnam datus.* 232.

§. 5. *Frons filij in parentem ingrati à bufone deformata.* 236.

§. 6. *Oculorum & aurium peccata in ijsdem membris punita.* 243.

§. 7. *Facies adulteræ monstrosa.* 247.

§. 8. *Adulteri & laruatorum monstrosa facies.* 248.

§. 9. *Diabolica facies imprecatione impetrata.* 251.

§. 10. *Voce monstrosa puniti.* 253.

§. 11. *Capita vitulina in humanum versa.* 255.

§. 12. *Caput piscis in caput Symmachi mutatum in terrorem Theodorici regis.* 257.

§. 13. *Caput S. Ioannis Baptistæ in ferale conuiuium illatum capite saltatricis vindicatur.* 259.
§. 14. *Irrisor retorto collo præposterè videns punitus.* 261.
§. 15. *Ex illegitimo matrimonio regis proles anserino collo nata.* 263.
§ 16. *Venationis amore diuinum cultum omittens caninâ prole plectitur.* 264.

CAPVT VIII.

Qui, & cur, reliquis corporis membris, aut etiam toto corpore prodierint in lucem.

§. 1. *Cur homines quidã nascantur & fiant gibbosi?* 267.
§. 2. *Cum veste carneâ natus.* 269.
§. 3. *Sanctorum virorum irrisores equorum ritu caudati facti.* 270.
§. 4. *Manus monstrosa è ligno enata.* 272.
§. 5. *Impij in noctem natiuitatis Christi; toto anno saltantes.* 274.
§. 6. *Chorearũ indecentia, & periculũ.* 277.
§. 7. *Malè occupati saltantium pedes.* 279.
§. 8. *Ebriosi Bacchanalia celebrantis filius monstrificus.* 282.
§. 9. *Crudelitas regis Morindi, exotico monstro vindicata.* 285.

§. 10. *Monstrosissimus partus vigilandum clamans.* 287.

CAPVT IX.

Punitorum monstrosa lepra, & monstrosa statua, è diuinis litteris explicata.

§. 1. *Lepram olim fuisse pœnã peccati.* 289.
§. 2. *Lepram Iudæorum olim multas ob causas fuisse monstrosam.* 290.
§. 3. *Murmuratio sororis Moysis qualis fuerit, vt lepram mereretur?* 295.
§. 4. *Murmuratricis Mariæ imitatores, quâ pœna, pœnitentiaúe digni?* 297.
§. 5. *Alia peccata lepram merentia, & remedia eandem sanantia.* 300.
§. 6. *Statuæ salis in quam versa est vxor Lot, perennitas.* 301.
§. 7. *Firmitas & miraculũ statuæ salis.* 303.
§. 8. *Solum corpus vxoris Lot non item animam in statuam salis esse conuersam.* 305.
§. 9. *Peccatũ vxoris Lot num fuerit mortale?* 307.
§. 10. *Quid discamus ex vxoris Loth exemplo?* 309.

CAPVT X.

Quantum ex rege Nabuchodonosore, & ob quæ peccata, monstrum factum sit?

§. 1. *Iouis in taurum mutati fabula in rege Nabuchodonosore historia facta.* 314.
§. 2. *Quanta in Nabuchodonosore facta sit metamorphosis?* 316.
§. 3. *Non esse parabolam, sed veram historiam regis Nabuchodonosoris.* 317.
§. 4. *Quibus modis mutari potuerit, vel non potuerit Nabuchodonosor?* 318.
§. 5. *Cerebro corruptorum lepida exempla.* 321.
§. 6. *Mutationem Nabuchodonosoris non fuisse merè imaginariam.* 323.
§. 7. *Nabuchodonosorem nec bestiam, nec semibestiam fuisse.* 325.
§. 8. *Quam Nabuchodonosor in anima passus sit mutationem?* 326.
§. 9. *Quam in corpore passus sit mutationem Nabuchodonosor?* 332.
§. 10. *DEI erga Nabuchodonosorem iustitia, quàm clemens fuerit?* 339.
§. 11. *Babylonis magnitudo, superbiæ Nabuchodonosoris caussa, cum aliorum superbia collata.* 341.

CAPVT XI.

Tertia moralis monstrorum caussa, vt non tam pœna, quàm medicina; diuinorumque Sacramentorum commenda-

tio, & procuratio virtutis, conseruatio. que castitatis sit.

§. 1. *Monstrositatem Nabuchodonosori profuisse, eumq; pœnitentiam egisse; non item Pharaonem.* 344

§. 2. *Monstrositas vultûs occasio est pœnitentiæ agendæ, & commendandæ.* 346.

§. 3. *Monstrosus regis Cassani filius baptismo curatus.* 348.

§. 4. *Baptismus è porcis præstigiosis hominem faciens magnæ conuersionis caussa fuit.* 349.

§. 5. *Baptismo leprosi curati.* 351.

§. 6. *Constantinus Imperatrtor baptismo à lepra curatus.* 352.

§. 7. *Monstrum à baptismo abhorrens.* 356.

§. 8. *Etiam confirmationis Sacramento mõstra curata esse.* 357.

§. 9. *Eucharistiæ desiderio monstrosa virgo sanata.* 358.

§. 10. *Virgo castitatis amore deuenusta.* 361.

§. 11. *Virginitatem vt seruarent sanctæ puellæ oculos perdiderunt.* 363.

§. 12. *Virginitatis seruandæ caussa spontaneo vulnere denasatæ.* 367.

§. 13. *Linguam potiùs, quàm virginitatem amittens martyr.* 369.

§. 14. *Mulier muta ne esset maledica.* 371.
§. 15. *Sancta Liberata obtenta à Deo barba virginitatem defendit.* 373.
§. 16. *Galla vidua amore castitatis barbata.* 376.
§. 17. *Aliæ virgines morbis deformatæ, ne virginitatis iacturam paterentur.* 378.
§. 18. *Virgo in vrsæ speciem mutata ne violaretur.* 379.

CAPVT XII.

Quarta monstrorum causſa Diabolus se transfigurans, vt probet, terreat, puniat, & suam deformitatem detegat.
§. 1. *Variæ Dei, variæ Diaboli causſæ, ob quas monstra inducunt.* 384.
§. 2. *Diaboli atrâ formâ apparentes.* 386.
§. 3. *Diabolus Mauri specie Dei seruos ab oratione impediens.* 390.
§. 4. *Variarum bestiarum figuræ in quas se stygius Vertumnus transfigurat.* 393.
§. 5. *Acherontici Protei, versipelles ludi.* 397.
§. 6. *Diabolus Draconis formâ descriptus.* 398.
§. 7. *Quibus modis Dæmon apparere soleat?* 402.
§. 8. *Veræ, & phantasticæ apparitionis discri-*

men, & modus. 405.
§. 9. *Diabolus apparens cogitur se signo aliquo prodere.* 407.
§. 10. *Spiritus aliquando vera, aliquando ex aëre, aliáue materia facta corpora assumere.* 409.
§. 11. *Ob quas caussas tam turpis appareat superbus alioquin spiritus?* 411.
§. 12. *Monstrorum Acheronticorum fœditas hoororem parit.* 414.
§. 13. *Vtile esse vt subinde talia monstra terreant peccatores.* 416.

CAPVT XIII.

Cur, & quàm monstrosos diaboli faciant eos, quos insident?

§. 1. *Homines quosdam à malis spiritibus verè insideri.* 419.
§. 2. *Idem à sacris litteris docetur.* 420.
§. 3. *Quid sit à dæmone insessum esse?* 423.
§. 4. *Exempla eorum, quos insidens diabolus in monstra deformauit.* 426.
§. 5. *Quot mala corporibus & animabus eorum, quos insidet, inferat diabolus?* 428.
§. 6. *Sine potestate à Deo datâ in neminem posse intrare diabolos.* 434.
§. 7. *Variæ caussæ, ob quas diuina bonitas homines sinit ab insidente humani generis hoste*

ſte vexari. 436.
§. 8. *Omnis peccator meretur à diabolo cui ſe ſubijcit, poſſideri.* 440.
§. 9. *In energumenis pœna diuina conſideranda.* 442.
§. 10. *Exempla eorum, qui in pœnam à dæmone ſunt inſeſſi.* 444.
§. 11. *Ob leuiores quoq; culpas dæmoni in hominem dari poteſtatem.* 445.
§. 12. *Clariora exempla eorum, qui ob leues culpas, traditi ſunt diabolo cruciandi.* 448.
§. 13. *Multò magis ob grauiora peccata alij puniti recenſentur.* 450.
§. 14. *Sancti dæmonem in alios ſæuientem impetrantes.* 452.
§. 15. *Quàm iuſtè Dini ſubinde, immiſſo malo ſpiritu, impios puniant?* 455.
§. 16. *An, & cur innocentes Deus ſinat à malis ſpiritibus inſideri?* 457.
§. 17. *Exemplum innocentis à diabolo inſeſſæ fœminæ.* 460.

CAPVT XIV.

An, & quomodo diabolus poſſit creaturas in monſtra conuertere?

§. 1. *Senſus quæſtionis & aduerſariorum fundamenta.* 462.
§. 2. *Miræ plantarum, & animalium metamorphoſes.*

morphoſes. 454.
§. 3. *Sexuum inter ſe naturalis tranſmutatio.* 466.
§. 4. *Qui authores, & quæ exempla doceant, homines in lupos aliasq; beſtias mutari?* 468.
§. 5. *Magarum & magorum in Theſſalia tranſmutatio.* 474.
§. 6. *Sagæ in feles verſæ.* 476.
§. 7. *Sagæ foras vectæ ſub alieno ſchemate vulneratæ.* 479.
§. 8. *Sagæ in vrſum, & ſagi in truncum, & bouem lepida conuerſio.* 482.
§. 9. *Experientijs ſuprà narratis, quinam authores decepti ſint?* 485.
§. 10. *Senſus humanos errare poſſe.* 487.
§. 11. *A diabolo non poſſe homines in beſtias, aut beſtias in homines conuerti.* 488.
§. 12. *Varij modi, quibus malus Spiritus videtur homines in beſtias tranſmutare.* 493.
§. 13. *Multas mutationes hominum tantùm phantaſticas eſſe.* 497.
§. 14. *Naturali vi corporis, nec in duobus ſimul locis poſitionem, nec penetrationem dari poſſe.* 499.
§. 15. *Aduerſariorum ratio diluitur.* 503.
§. 16. *A tranſmutatione ſexûs, & authoritate ſuſpectorum non validum duci argumentum.*

tum. 505.
§. 17. *Varijs præstigijs efficere dæmonum, vt hominum in bestias mutationes veræ videantur.* 507.
§. 18. *Quænam insit in fabulis veritas?* 513.
§. 19. *Cur à Deo præstigiæ dæmonum permittantur; & quænam sint contra eas remedia?* 515.
§. 20. *Magos dum illudunt, illudi, & præstigijs suis sæpe perire.* 517.

CAPVT XV.

Suismet homines vitijs in quales bestias transmutentur?

§. 1. *Vitijs homines, non naturâ, sed moribus in bestias mutari.* 521.
§. 2. *Peccatis rationem sopiri, quâ solâ à brutis distamus.* 523.
§. 3. *In quasnam bestias homo malus ex Epicteti sententia vertatur?* 527.
§. 4. *Philonis, & S. Gregorij Nysseni de hominis in bestiã metamorphosi sententia.* 528.
§. 5. *D. Chrysostomi, & Isidori eius imitatoris de eadem re verba.* 530.
§. 6. *Clementis Alexandrini, & Senecæ iudicio luxuriantes in bestias mutari.* 532.
§. 7. *Eiusdem Clementis sententia, quos vulpibus, cicadis, &c. comparet?* 534.

§. 8.

§. 8. *Monstrosi superbarum faminarum sumptus.* 537.
§. 9. *Monstrosus faminarum, virorumq; fucus.* 541.

CAPVT XVI.

Defectus monstrorum & naturæ plerumque aliunde compensari.

§. 1. *In libera DEI potestate esse, vt monstra producat.* 549.
§. 2. *Compensatio eorum, quæ desunt in vno loco, aut aliare à diuina prouidentia mundo prospecta.* 550.
§. 3. *Paruorum hominum magna virtus.* 553.
§. 4. *Alypianæ breuitas excusata, virtus laudata à S. Gregorio Nazianzeno.* 557.
§. 5. *Formæ deficientis compensatio.* 559.
§. 6. *Auriũ defectus aliunde compensati.* 560.
§. 7. *Monstrosarum aurium vtilitas.* 564.
§. 8. *Monstrosorum pedum vtilitas.* 566.
§. 9. *Manuum & brachiorum compensatio admiranda.* 568.
§. 10. *Cæcitas oculorum, manuum dexteritate compensata.* 573.
§. 11. *Oculorum sensus animi sensum impedit.* 576.
§. 12. *Cæcorum mirifica ingenia.* 577.
§. 13. *Cæci venatoris ingeniosa industria.* 581.

§. 14. *Exemplũ cæci per naſum videntis.* 583.
§. 15. *Aliquos ſanctos alijs ſanitatem à Deo impetraſſe, qua ipſi caruerunt.* 586.
§. 16. *Linguæ vſu priuatus, prophetiæ dono ornatus.* 588.

CAPVT XVII.

Monſtroſitatem omnem ceſſaturam apud Beatos, futurã autem, apud damnatos.

§. 1. *Monſtroſos homines æternæ vitæ capaces eſſe.* 591.
§. 2. *Omnibus Sanctorum membris, in reſurrectione, ſuum decorem futurum.* 593.
§. 3. *Vt in Chriſto reſurgente, ita & in alijs Sanctis quædam vulnera, tanquam virtutis teſtimonia manſura.* 594.
§. 4. *An, & quæ monſtroſitates ſint in damnandis manſuræ?* 597.
§. 5. *In Sanctis, ſeruata ſubſtantiæ integritate, ſolam deformitatem perituram.* 601.
§. 6. *Qui nunc gemino, aut ſemiferino, aliterúe monſtroſo ſunt corpore, ſiue boni, ſiue mali, quo modo ſint reſurrecturi?* 603.
§. 7. *Quo modo Sancti, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, ſint reſurrecturi?* 606.
§. 8. *Omnia membra & naturæ debitos humores reſurgentibus eſſe reddenda.* 611.
§. 9. *Vngues quoque, & capillos reſurgentibus*

bus esse reddendos. 613.
§. 10. Quæ materia resurgentibus, & an costa sit reddenda Adamo? 614.
§. 11. Medicina monstrosorum. 617.
§. 12. Qui, & cur dixerint, feminas non in suo sexu resurrecturas? 620.
§. 13. Fœminæ cur in suo sexu sint resurrecturæ? 621.
§. 14. Solutio argumentorum contra sexum femineum obiectorum. 622.
§. 15. Ad quid sexuum & membrorum diuersitas sit resurrectura, & in cælo futura? 626.
§. 16. An, & quomodo resurrecturi sint, qui antè moriuntur, quàm nascantur? 631.
§. 17. Epilogus huius, de monstris & monstrosis, tractatûs, ostendens, non esse in his caussam querelarum; sed occasionem diuinæ prouidentiæ & bonitatis admirandæ. 633.

INDEX RERVM ET VERBORVM. PRIOR NVMERVS CAPVT, POSTERIOR Paragraphum significat.

Aborsiui an resurrecturi? 17. 15.
Abydi lapis de calo lapsus & cultus. 1. 6.
Accendendi faces & vestes per fontem modus. 17.
Adam an monstrum fuerit, vel futurus sit? 17. 9. eius lachryma, vbi dicantur fontem fecisse? 1. 6.
Adulterio vultus deformatus. 7. 7. seq. & 11. 2. diabolo potestas data. 13. 10. magia adiutrix. 14. 6. absoluta ob imaginationis vim. 5. 9.
Aegospotamus vrbs à lapide caelesti celebris. 1. 6.
Aemilianorum familia cur Pauli nomen sortita? 16. 3.
Aenotheri prodigiosum robur. 4. 10.
Aer calum vocatur. 1. 3. qua monstra habeat? 1. 5. seq. assumitur à diabolo corpora fingente. 12. 10.
AEris prodigia. 6. 9.
Aesonis renouati fabula. 17. 6.
Aesopi forma & animus dispar. 3. 6. ingenio compensata. 16. 5.
Aetas resurgentium qua? 17. 2. qua plenitudinis? 17. 6.
Aethiopes apud Aethiopes non videri monstra. 5. 4. diaboli cur? 12. 2. seq.
Aethiopissa albam prolem cur pepererit? 5. 8. seq. cur proles parta? 5. 9.
Africanus Scipio corpore celso. 3. 7.
Agesilaus parum, & contemtus. 3. 4.
Agrigentum donum sponsa. 15. 8.
Albus pauo quomodo nascatur? 5. 13.
Alexander Macedo statura parum. 3. 7.
Altitudo hominum fabulosa. 5. 1.
Aluear esse putans caput suum. 10. 5.
Alypiana paruitas defensa. 16. 4.
Alypius parum statura,

Dialecticus magnus. 16. 3.
S. Ambrosii ominosa apes. 6. 12.
Ambulantes in somno. 5. 12.
Amuleta sacra. 14. 19.
Anaxagoræ prædictio de lapide casuro. 1. 6.
Adolescentem cur rapturus diabolus? 12. 12.
Androgyni ubi? & quales? 2. 17.
Andromeda paruitas. 4. 4.
Anebergicus spiritus qua forma terruerit? 12. 4.
Angela Virginis sapiens fatuitas, & deformitas. 11. 10.
Angelorũ splendor. 1. 15. *forma cùm apparent.* 12. 7. *pictura & aspectus.* 5. 8. *seq. metamorphesis.* 12. 2.
Angues ominosi. 6. 12.
Anima hominis, an possit corpus bestiæ informare? 14. 11. *an effectu damoniacorum producere?* 13. 5. *obsessi quid patiatur.* 13. 5. *Uxoris Lot an in statuam uersa?* 9. 8. *an damnata?* 9. 9.
Animalia Nili. 1. 8. *imperfecta unde?* 14. 15. *homines per ignominiã dicti.* 15. 6. *uarias figuras experimentia in uno monstro.* 8. 10.
Animus pulcher in deformi corpore. 3. 6.
Annulus Gygis, quid? 14. 14.
Anser à bufone cur occupatus? 7. 5. *uenenatus ubi sit?* 1. 6.
Anserino collo ex incestu natus. 7. 15.
Anthylla urbs in sumptum calceorum unius fœminæ. 15. 8.
Anthropophagi in resurrectione, quam materiam sint habituri? 17. 9.
Antoninus Pius cur tabulis compactus? 8. 1.
S. Antonij Hippocentaurum. 2. 16. *uaria monstra diabolica.* 12. 3. *de cæcitate. iudicium.* 16. 12.
Anus uenefica insidiantes. 14. *seqq.*
Apes unde nascantur? 14. 2. *ex ore Platonis & S. Ambrosij.* 6. 12. *laudatæ.* 16. 3.
Appetitus prægnantiũ monstrosus. 5. 11.
Appium Claudium cæcus, quã doctus?

doctus? 16. 2.
Apollonij Thyaneus quo modo inuisibilis factus? 14. 14
Apulei asinum an verum? 14. 18.
Aquarũ monstra & miracula. 1. 7. quid significent? 6. 7. benedicta qua vi contra diabolum polleant? & in obsessis maximè. 12. 4. & 13. 4.
Arborum prodigia 1. 15. loquela ib transmutatio. 6. 10. resurrectio & partus ib.
Arcades in lupos vers. 14. 4.
Archidamus ob paruam vxorem punitus. 3. 4. Arculfus Ingolstadiensis cæcus quàm ingenios? 16. 10.
Arcus circa solẽ quando? 1. 4.
Aries, multicornis à Daniele vbi visus? 1. 4. homo putatus capite plex? 14. 17.
Arignotus spiritum è domo ejciens. 12. 5.
Arimaspi vnoculi. 1. 2.
Armorum mater arbor. 1. 15. crepitus in cælo. 1. 4. pondus in saltatore onerato. 4. 10.
Arnulphus baptismo lepram abluit. 11. 5.
Arrogantia quantum punita? 9. 4.
Ars nequit monstra producere. cur? 1. 3.
Arsaces rex à quo cæcatus? 7. 6.
Asinaus dux corpore paruus, animo magnus. 3. 7.
Asinius Gallus, ob paruitatem vtiliter spretus. 4. 5.
Asina locuta. 1. 17.
Asinus ex homine. 14. 5. ex Mida. 14. 9. ex Apuleio. 14. 8. ex quibus vitiosis? 1. 53. & 2. 5. onustus à quo in altũ sublatus. 4. 10
Aspectus imaginationem & fœtum mutat. 5. 9.
Aspidi quis similis? 15. 5.
Astaces fluuius lac nigrum facit. 1. 7.
Athenodoro vmbra qualis apparuerit? 12. 2.
Augadrisina virgo castitatem lepra tuetur. 11. 17.
S. Augustinus moribundus alium sanat. 16. 15.
Augustꝰ Cæsar statura parnus. 3. 7. ossibus gigantũ villas ornat. 5. 1. Sphinge vsus pro sigillo. 2. 15. visis nouis stellis illustratꝰ. 1. 4.
Aues ominosæ. 6. 11. Diomedis. 14. 9. hominum quos mores denotent? 15. 4.

Auis Schafgotiana quàm magna? 6. 11.
Aureliani fortitudo, & quot occiderit? 4. 15.
Aurifodinarum damones quid moliantur? 14. 17.
Auribus priuati qui? & cur? 7. 6. *magnis praditi, qua vtilitate?* 16. 7. *quid pro eis responderit Cardin. Bellarm.* 3. 5.
Aurum non sine omine à muribus rosum. 1. 14.

Babylonis magnitudo, firmitas, descriptio. 10. 11.
Baptismus monstroso puero formam dat. 11. 3. *porcorum formã aufert.* 11. 4. *item lepram.* 11. 5. *seq. quibus aduersetur?* 11. 7.
Brbata facta S. VVilgefortis ob castitatem. 11. 15. *item & Galla.* 11. 16.
Batti statua. 9. 6.
Beatorum corpora qualia sint futura? 17. 3. *seqq.*
Behemoth quàm terribilis? 12. 6.
Bellarminus Card. quid statura breuitatem obiicienti responderit? 3. 5.
Bellum prodigijs indicatum. 1. 4. *seq. dissuasum.* 6. 3.
Beneficium quantũ sit Dei, damone liberari. 13. 5. *quàm multiplex in Nabuchodonosorem?* 10. 9.
S. Bernardus quàm fadum damonem esecerit? 13. 4.
Bestia qua locuta? 6. 13. *an loquantur in nocte Natiuitatis Christi?* 1. 20. *num illis annumerandus Nabuchodonosor?* 10. 7. *cur ab illis non deuoratus Nabuchodonosor?* 10. 9. *quid sit ex homine bestiã fieri?* 15. *quàm ignominiosum bestiam dici?* 15. 16
Blasphemus punitus. 13. 15. *diabolo subiectus.* 13. 10. *à diabolo raptus.* 12. 2.
Bos locuta. 1. 17. & 6. 13. *agnum peperit.* 1. 2. *nigredinem vel albedinem ab aqua trahens.* 1. 7. *pede retenta à Tityrno.* 4. 18. *pede tracta à Polydamante.* 4. 21. *magum tegens.* 14. 8.
Breuitas an, & quomodo possit emendari? 4. 11. *excusata.* 3. 4 *seq. laudata.*

data. 16. 3. seq.
S. Brigida oculos mauult amittere, quàm castitatem. 11. 11.
Bruno diabolum videt Mauri forma Cæsari insidiantem. 12.
Bubonem induit venefica. 12. 5.
Bucicaldus Gallus ingens à paruo victus. 4. 6.
Bufonis specie diabolus filiũ ingratum puniens. 7. 5. nauem detinens. 14. 7.
CAdauera ingentia. 4. 8. seq. obuia pregnanti monstrum caussantia. 5. 13.
Caci ob curiositatem. 7. 6. ob alias caussas. ibid. A diabolo. 13. 3. sanati per sacramentum confirmationis. 11. 8. compensationem adepti per dexteritatem & arcularium. 16. 10. per ingenium & doctrinam. 16. 11. seq. per nasum videntes. 16. 14.
Calum pro aere. 1. 3. quo modo viuentia producat? 14. 1. quid producere possit? 14. 15.
Canis in Caũ mutata. 14. 3.
Cæsar de Bus quo modo cacitatem tolerârit? 16. 12.
Calceis vnius famina quantũ assignatũ. 15. 18.
Caluities obiecta. 3. 9. pœna superborum crinium. 7. 3. in cælo non erit 17. 4. & 17. 8.
Calix sacer gemmam de cælo excipit. 1. 6.
Callot in pingendis monstris elegantiam ponens. 4. 2.
Camelo quis similis? 15. 5.
Campana indicans futura. 6. 9.
Cana facta puella petulantes. 7. 3.
Cancer in scorpium quomodo vertatur? 14. 21.
Candidi potu boues. 1. 7. corui quid significent? 6. 11.
Caninus hominis latratus. 7. 10. cultus. 5. 5.
Canis locutus. 6. 13. in rupe viuus repertus. 1. 16. in piscẽ mutatus. 14. 2. vbi nõ latret? 16. 2. ex Hecuba factus. 14. 9. & 14. 8. lacerat hominẽ lupina pelle tectum 14. 12. ex homine iracundo factus. 15. 4. &

15. 4. & 15. 10. ex phantasia. 10. 1.
Canopus quàm paruus? 4. 4.
Capilli deformati. 10. 9. resurrecturis dabuntur ne calui sint. 17. 4. & 17. 8.
Caput alienũ habentia animalia. 1. 4. splendidũ fulgore. 1. 5. ironicũ retortum in pœnã. 7. 14. infantis loquens. 6. 2. geminũ in vna aue. 1. 6. latrocinij indiciũ. 7. 10. Io. Bapt. in disco. 7. 13. caninũ. 7. 16. aluear esse putans. 10. 5. sibi omnino desse putans. ibid.
Cardinalem se putans phãtasta 10. 5.
Carnis pluuia. 1. 6. & 1. 17.
Caseus homines in iumenta mutans. 14. 4.
Cassani conuersio per monstri baptismum. 11. 3.
Cassiopea noua stella. 1. 4.
Cassius Parmensis ante obitũ à spectro monitus. 12. 2.
Castitatis amore quid fecerint Sancti? 11. 12. seq.
Castoris & Pollucis ignes. 1. 5.
Casus ridiculi Faustuli. 4. 5.
S. Catharinus dæmoniacum sanans. 13. 4.
Cauda equina praditi homines. 15. 7.
Cauda draconis quàm magna? 12. 6 bouina an fuerit regi Nabuchodonosori. 10. 9. equina data irrisoribus sanctorum. 4. 3.
Cellis persculosi lupi magici. 14. 4.
Centauri an, & quid sint? 2. 16. seqq.
Cephisi aqua oues albas facit. 1. 7.
Ceruis timidi similes. 15. 10.
Christi prodigiosa stella mõstratus. 1. 4. & sol resplendens 1. 5. formosissimus, quã à Iudais deformatus? 3. 7. pro dæmoniaco habitus. 13. 2. ianuis clausis ad Apostolos intrans. 14. 14. Vulnera gloriosa in corpore retinens. 17. 3.
Colchidis mirabile flumẽ. 1. 7
Chorea choreis punita. 7. 13. & 8. 5. & 13. 14. à SS. PP. reprehensa. 8. 6. seq.
Chrysalides quo modo nascantur? 14. 2.
Chrysorij visio metuẽda. 12. 2.
Cibis quã miris & venenatis vsi sint homines? 10. 9.

Cicadis qui similes. 15. 7.
Ciconũ mirabile flumen. 1. 7.
Cimonis omen canis loquens. 6. 13.
Cingulũ Paryſatidis quàm pretioſum? 15. 8. & regina, Gallorum. ibid.
Circe in varias formas homines mutans. 7. 10.
Cladiũ nuncia monſtra. 6. 3.
Claſſẽ exprimens piſcis 1. 9.
Cleomedis robur, & cũ Samſone comparatio. 4. 15.
Cleopatra ſuperba prodigalitas. 15. 8.
Climatum caliditas. 5. 1.
Clypeus ardens in cælo. 1. 5. Perſei quid? 14. 1.
Collum irriſori à Deo intortum. 7. 14. ſeq.
Color hominum diuerſus in diuerſis regionibus. 5. 1.
Coloſſi cur erecti? 4. 11.
Columnæ Herculis & Samſonis. 4. 12. & Cleomedis. 4. 13.
Cometa monſtrum. 6. 4. regis Ferdinandi mortem portendens. 6. 14.
Commune pijs & impijs cur ſit robur corporis? 4. 20.
Cõparatio Herculis & Samſonis, 4. 12.
Compenſationes diuerſarũ rerum. 16. 2. ſeqq.
Confeſſio neceſſaria peccatori. 9. 5. ſagarũ qualis? 14. 13.
Confirmationis Sacramento curata cæca, & Suecia. 11. 8. (14. 4.
Congregatio mira luporum.
Conſtant. Mag. per baptiſmũ lepra liberatus. 11. 6.
Conſtantinopolis à lupis infeſtata. 14. 4.
Conſiliorum meglectus quàm noxius? 6. 3.
Contumelia punita. 7. 10.
Conuitia quã indignat? 3. 9.
Conuiuia funeſta 7. 12. ſeq.
Cor Nabuchodonoſori quo modo commutatum? 10. 9. cor fera quid ſit? 10. 8.
Cornua an habuerit Nabuchodonoſor? 10. 9.
Cornutꝰ aries 1. 4. Moyſes. 1. 5.
Corpora animæ deformitatẽ prodentia. 11. 2. qualia aſſumant Angeli. 12. 7. qualia diaboli? 12. 10. quando ſe mutuo penetrarint? 14. 14.
Corui roſores auri. 6. 9.

Costa Adamo ademta an reddenda? 17. 9.
Crabrones ϑnde nascantur? 14. 2.
Creatoris iniuria fucus feminarum. 15. 9.
Crepidarum sumtus quantus? 15. 8.
Crimina monstro significata. 6. 14.
Crinium superbia salubriter punita. 7. 3.
Cræsum infans loquens seruat. 6. 14.
Crucifixa S. Liberata ob ϑirginitatem. 11. 15.
Crucifixo Christo similis infans natus. 5. 13.
Crudelitas in hostes monstroplexa 8. 9. Solimanni in militem procerum. 4. 3.
Crux formata damonem ligat. 14. 19.
Cucullatus spiritus. 12. 4.
Curiositas caussa monstrorũ. 5. 8. cacitate punita. 7. 6. ϑxoris Lot 9. 9. S. Petri. ibid.
S. Cuthbertus mulierem aduentu suo liberat à damone. 13. 17.
Cynamolgi qui? ϑbi? 5. 5. & 2. 17.
Cynocephali an dentur? 5. 5.
Daemon natus ex laruato. 5. 10. innocentẽ torquet. 13. 16. & feminã piam. 13. 17. eijcitur cum potestate. 13. 2. facit euomere clauos & quisquilias. 13. 4.
Damoniaci an tantùm morbo agitentur? 13. 1. seqq. quàm ϑarijs modis deuastentur? 12. 13. seqq.
Damophili opera nemo carpebat. 3. 3.
Danielis predictio de Nabuchodonosor. 10. 1.
Danubius, Cæsare per eum ϑecto, à damone infestatur. 12. 2. glacie prodigiosè solutus. 6. 7.
Dauidis cum Goliath pugna 4. 6.
Deceptiones ϑaria damonũ. 14. 7.
Deformis corpore, sæpe animo pulcher. 3. 6. non impunè despectus. 3. 8. pœnitentia reformatus. 11. 2. ob ϑirginitatem. 11. 10.
Democritus se ipsum excæcans amore sapiẽtiæ. 16. 12.
Dentes superiores an habuerit

erit Nabuchodonosor in silua? 10. 9.
Deus ingens gigantis. 4. 8.
Deo non sunt fortuita monstra, 3. 2. *laudes dicent astra, & fortes.* 4. 15. *quanta sit in homines potestas?* 16. 1. *pro omnibus rebus gratia agenda.* 16. 16.
Detestatio monstrosi diaboli. 12. 11. *seqq.*
Diabolus à muliere genitus. 7. 9. *ex homine prodiens.* 8. 8. *monstrum nasci faciens.* 5. 8. *nil potest sine potestate diuina.* 13. 6. *in varias figuras quo modo mutetur?* 12. 7. *cogitur se prodere aliquo indicio.* 12. 9. *in varias se bestias induit.* 12. 1. *seqq. tribus modis est caussa monstrorum.* 12. 1. *quib. formis appareat?* 12. 2. *seqq. semper aliquid monstri fert secum. sb. in pœnam immissus.* 13. 8. *seqq. an, & cur etiam innocentes insideat?* 13. 16. *in corpus humanum tyrannus est.* 13. 5.
Dialectici Alypij statura & ars. 16. 3.
Dij stultè culti, Deum laudabilè ostenderunt. 4. 15.
Diodorus Stoicus cæcus, quã multa nôrit? 16. 12.
Diogenes caluitiem exprobrans. 3. 9.
Diomedis aues 14. 9. *an vera?* 14. 18.
Dionysio tyranno mare dulce. 1. 7.
Dispositiones in monstra quid possint? 5. 6.
Dissimiles patri proles vnde fiant? 5. 8. *seq.*
Dodonis fons mirabilis. 1. 7.
Dominus quod vult de suis facit. 16. 1.
S. Dominicum concionantem daemoniaca turbat, & sanatur. 13. 4.
Domus ob dæmones infesta 12. 2. *seqq.*
Draconis forma apparens diabolus. 12. 2. & 12. 6.
Dux via cæcus. 16. 13.
Dydimi cæci sapientia. 16. 12.

EBba amor castitatis. 11. 12.
Ebrius in vxorem iniurius

grauiter punitus. 8.8.
Edgardus parum Rinardum prouocet. 4. 6.
Eleazar an peccârit subeundo elephantum. 4. 12.
Elementorũ prodigia à Deo. 6. 8.
S. Eligius saltantes quàm grauiter punierit? 13.14.
Elymas magus cur à Paulo cæcatus? 7. 6.
Emphini qui dicti? 5. 1.
Enos cur homo nominatus? 15. 4.
Ephemera animalia, & planta. 1. 15.
Ephori reum puniuerunt, ob paruã uxorem ductã. 3. 4.
S. Equitij auxilium. 13.14.
Equa vulpem pariens quid significârit? 6. 1. item leporem. 6. 13.
Equites duo Romani quàm parui? 4. 4.
Equus Mauritij Imp. omen. 6. 13. seq. currens sine freno cohibitus. 4. 10. in crabrones mutatur 14. 2. diabolica arte factus in argentifodina. 12. 4. similis luxurioso. 15. 4. seq. variegatus qua arte reddatur? 5. 8.
Eua costam Adami an in resurrectione sit perditura? 17. 9. lachrymis quẽ lacũ dicatur implesse? 1. 6.
Eucharistia desiderio Virgo sanata. 11. 9.
Excommunicatorũ miseria 13. 14. horror & detestatio. 7. 5.
Exercitus in nubibus apparentes. 1. 4.
Exhalationes lethales vbi sint? 1. 11.
Exorcismus quid sit? 13. 2. eius antiquitas & potestas. ib. (num. 7. 1.

Fabula mutatorũ homi-
Fabulosi gigantes. 4. 13.
Faces aquis accensa. 1. 7.
Facies cadaueroſa ob matrẽ prægnantẽ territã. 5. 13. ob dæmonem insidentem. 13. 4.
Fœtus matris imaginationem exprimit. 5. 9.
Feles magica. 14. 6.
Feminarum in viros mutatio. 14. 3. Syrma serpentinum. 15. 7.
Femineus sexus an in cælo futurus? 17. 11. seqq.
Falisci aqua boues albos facit. 1. 7.

Fames monstrosa. 13. 5.
Fatuitas sapiens Virginis casta. 11. 10.
Faustuli ridicul⁹ casus. 4. 5.
Ferri pluuia. 1. 6.
Figuli in suũ op⁹ potestas. 3. 3.
Figura duplicis animalis. 2. 17.
Filius in parentes ingratus punitus. 7. 5. & 13. 13. *ob matrem punitus.* 16. 6.
Filũ pro homine suspensum. 14. 17.
Flãma è capite elucens. 6. 6.
Fluctuantes insulæ vbi? 1. 11.
Fluminum miracula. 3. 7.
Fodinæ metallicæ à dæmone infestatæ. 12. 4.
Folcardus pacis contemtor punitus. 13. 10.
Folia arborum in pisces. 14. 2. *in lapides.* 3. 7.
Fons faces accendens. 3. 7. *Varia prodigia exhibens, ib. à S. Iacobo Nisibita exsiccatus.* 7. 3. *an vinũ fundat in nocte Natiuitatis Christi?* 3. 20.
Forma nocens. 11. 10. *seq. exterior non est iudicanda.* 3. 7. *quo modo deformanda?* 10. 5. *quo modo per matrem filio procurata?* 5. 9. *terribilis dæmonum in inferno.* 17. 5.
Formicæ Midæ grana in os intulêre. 6. 12.
Fortitudo gigantum. 4. 10. *portentosa.* 4. 18.
Fortuita Monstra ratione caussæ secundæ, non primæ. 3. 2.
Fossiles pisces an & vbi dentur? 2. 9. *seqq.*
B. Francisci Borgiæ de forma Sanitate sententia. 15. 9.
Fraxinus milites gignens. 6. 10.
Frigidus fons interdiu, nocte feruens. 3. 7.
Frons ingrati punita. 7. 5.
Fucus mulierum Creatori iniurius. 15. 9.
Fulminum monstra. 6. 5.
Furtum ingeniosè deprehensum. 16. 13.

Galecij proceritas, robur, artes, facta. 4. 30.
Galeazius Gonzaga parvus magnum vicit. 4. 61
Galenus in somno quantum ambu-

ambulârit? 5. 12.
Galla amore castitatis barbata. 11. 16.
Gallina à milvo territa. 5. 8.
Gaugericus baptismo liberat leprosum. 11. 5.
Geilana cur à diabolo possessa? 13. 10.
Gemini homines separabuntur in resurrectione. 17. 5.
Gemma de calo in calicem S. Lupi cadens. 1. 6.
Generatio in calo cessabit, non tamen sexus. 17. 13.
Georgasi opera irreprehensibilia. 3. 3.
Georgij Castrioti robur & facta. 4. 14.
Gibbosus, sed ingeniosus Galba. 3. 6. cur Pasiades. 8. 1. cur alij? ib. 22.
Giezi in panâ leprosus. 9. 1.
Gigantes esse. 2. 19. cur mortui vocentur. 4. 9. in scriptura qui? 4. 12. à Deo fulminati. 4. 16. seq. ratione loci nati. 5. 1. fabulosi. 4. 13. & 5. 1. portarum custodes. 4. 9. fortes 4. 10. voraciss imi. 4. 8. è pusilla matre. 6. 14. à pumilis victi. 4. 3. in resurrectione an diminutionem passuri? 17. 9.
Glacies saltatrici caput abscindens. 7. 13. dat quibusdam loricam. 5. 5. Danubij in gratiam Cæsaris soluta. 6. 7.
Gladius Castrioti magni factus. 4. 14. decussatus in fronte Principis. 5. 11.
Glis cum nola facit vt terrigli rem pariat. 5. 13.
Gloriosa corpora, vt videantur, vel invisibilia fiant, vnde pendeat? 12. 8.
Goliath pugna cum Dauide. 4. 6. & 4. 9.
Grana tritici Midæ in os illata à formicis. 6. 12.
Gratia Deo pro omnibus rebus agenda. 16. 16.
S. Gertrudi specie muriũ apparet diabolus. 12. 4.
S. Gregorius Turonensis paruitatem suam quo modo excusârit? 3. 4.
S. Gregorius Thaumaturgus cæno immersus, à Deo vindicatus. 11. 4.
S. Gregorius Mag. orans à diabolo vexatus. 12. 3.
Grues cum Pygmæis pugnantes.

tes. 4. 7.
Gruino ore qui populi? 4. 7.
Gulæ damna. 15. 6. fructus diabolus. 13. 12.
Gygini qui nuncupati? 5 1.
Gygis annulus, quid? 14. 14.

HAbacuc ductus ad lacum per clausum aditum. 14. 14.
Hammonis fons quàm mirus? 1. 7.
Haruillariæ sagæ Spiritus qualis? 12. 2.
Hecuba in canẽ mutata fingitur. 14. 9. cur? 14. 18.
Helenæ ignes quid sint? 1. 5.
Herculis ex pede mensura. 4. 8. Cum Samsone comparatio. 4. 12. Vnde eius nomen ib.
Herodis ferale conuiuium. 7. 13. alteri cur non respondit Christus? 1. 20.
Hilarion mulierem videns, quam alij equam putauerunt. 10. 4.
Hippocentauri, an, & quid sint? 2. 16.
Homeri cæci ingeniũ. 16. 12.
Homo quid sit? 15. 2. flos & fœnũ. 1. 15. in lupum mutatus. 14. 4. in mustelam. 14. 5. à diabolo insidente, per omnia membra corruptus. 13. 5. geminatus. 1. 19.
Homicidium diuinitus proditum. 7. 11. seqq. lepra punitum. 9. 1.
Horologiũ sponte sonans. quid significet? 6. 9. Hostes crudeliter tractati non sine pœna. 8. 9.
C. Hostilij Mancini prodigiosa auocatio à bello. 6. 3.
Humiliatio fortium. 4. 16. seqq.
Humilitatis motiuum operis exigui consideratio. 10. 11.

IAcob oues maculosas, qua arte fecerit? 5. 8.
S. Iacobus Nisibita puellas petulantes canitie puniens. 7. 3.
Iaculatores sine manu. 16. 8.
Ianus monstrosus ex irrisore factus. 7. 14.
Idolum à coruis corrosum. 6. 9. cultum diaboli potestati subijcit. 13. 10.
Iezubel fuco quid merita? 11. 10.
Ignis an, & quæ animalia gignat? 2. 1 quæ monstra 1. 5.

& 6. 5. seq. in cælo apparens. 1. 4.
Illusoria dæmonum transfigurationes. 12. 7.
Imago impudica domino pœnam creat. 5. 13.
Imaginatio quantũ possit? 5. 8. seqq. & 10. 5. seq. etiã potens in aliud corpus, sed non in omne. 5. 13. ab Angelis mutari solita. 12. 7.
Impedire naturam non debet natura author. 5. 3.
Imparati à diabolo oppressi. 14. 20.
Impatiens à diabolo infessus. 13. 12.
Imprecatio mariti quo partu punita? 8. 8. eius grauitas. 13 15. & 7. 9.
Incestus regis monstro punitus. 7. 15.
Incubi pars monstrosus. 6. 2.
Indus è sene reiuuenescens. 17. 6.
Infans locutus. 1. 20. saltitans. 5. 10. crucifixo similis natus. 5. 13. futura nuncians. 6. 2. Crasum sermone liberat. 6. 14. monstrosus baptismo curatur. 11. 3. innocens cur à diabolo vexetur? 13. 16. à diabolo mutatus spectro. 14. 17. qua statura resurrecturus? 17. 6. & 17. 15.
Ingenium exprobratum C. Metello. 3. 9. magnum quorumdã cæcorũ. 16. 12.
Ingluuies quantum malum? 15. 6.
Ingratitudo exprobrantiũ defectum. 3. 9.
Inobediens à diabolo infessus. 13. 13.
Innocentes an, & cur à diabolo subinde infideantur? 13. 8. & 13. 16.
Insania hominũ Christo speciosо deformem diabolum præferentium. 12. 11. lupina quid? 12. 13.
Infessus à diabolo vt quis dicatur, quid opus? 13. 2. seq.
Insula fluctuantes. 1. 11.
Integritas resurgentiũ qua sit futura? 17. 10.
Inuidiæ quas causas habeat diabolus? 13. 7.
Inuisibiles magi quo modo fiant? 12. 8.
Inuocatio Dei contra diabolum vtilis. 12. 9. S. Equitij fructuosa. 13. 14. & S. Lapi, 13. 15. Ioan-

Ioannes Ferdinand. cæcus, quàm multiscius. 16. 12.
Iordanis aqua prodigiose stagnans. 1. 10.
Iphis in puerũ mutata 14. 3.
Irregularitas qua sit peccatoris, & leprosi? 9. 5.
Irrisor S Ludouici, quomodo punitus? 7. 14. *S. Thomæ Cantuar. & S. Bonifacij itidem.* 8. 3.
Ischendebergi robur. 4. 14.
Isidori error de physica hominis in bestiã transformatione. 15. 1.
Iudas Apost. an à diabolo insessus? 13. 3.
Iudicium temerarium ex vultibus nõ ferendũ. 4. 3. *seqq de superioribus, quã malum?* 9. 4. *supremum quàm seuerũ?* 9. 10. *à diabolis testatum.* 13. 2.
Iuppiter in taurum deformatus. 10. 1.
Iuuenum vanus contemtus. 15. 9.

K*Epleri de cæco vidente discursus.* 16. 14.

L*Abia concreta per S. Eucharistiam aperta* 11. 9.
Labores Herculis & Samsonis comparati. 4. 12.
Lac nigrum, vbi? 1. 7. *pluuiam facit.* 1. 6.
Lachryma Adami, vbi dicantur lacum fecisse? 1. 6.
Lampas facta è scintilla. 1. 5.
Lapides prodigiosi. 6. 9. *lucentes & valde miraculosi.* 1. 13. *è ligno.* 1. 7. *ingentes prosecti.* 4. 18.
Laruatorum vanitas & stultitia. 7. 8. *monstrosus partus.* 5. 10.
Lateres cocti per pluuiam cadunt. 1. 6.
Latrantes homines. 1. 2.
Laudes Deo canendæ. 4. 15.
Lecti vice aures vbi? 16. 7.
Leo genitus regi. 1. 2. *item ab oue.* 6. 13. *victus à Polydamante.* 4. 21. *Byzãtinus oculis laborans.* 8. 1. *Herculis & Samsonis.* 4. 12. *cui similis homini?* 15. 3. & 15. 7. & 15. 10.
Lepra à Christo mundata. 9. 2. *baptismo ablata.* 11. 5. *seq. an sit monstrosa?* 9. 2. *vnde oriatur? ibidem. an Iudæo-*

Iudaorum fuerit diuersa à nostra? ib. cur Oziam, Giezi, Mariam sororem Moysis percusserit? 9. 1. castitatem Augadrisina tuetur. 11. 17.
Lepus ab equa editus. 6. 13.
Leuinus Lemnius male daemoniacos negans refutatus. 13. 1.
Leuitas plumbo compensata. 16. 3.
Leuis culpa diabolum insidentem merita. 13. 11. *seq.*
Lia non pulchra, sed fœcunda. 16. 5.
S. Liberata ob virginitatem barbam impetrans. 11. 15.
Liberator populi Samson. 4. 12.
Lignum vbi lapidescat? 1. 7.
Lingua ob castitatem pramorsa. 11. 13. *energumenorum blasphema.* 13. 5.
Litaniarum contra spectra vsus. 12. 4.
Lithuania lupi. 14. 4.
Locus sacer non impunè violatus. 13. 14. *duplex vnius corporis.* 14. 14.
Lolium in triticum versum. 14. 15.
Loquela bestiarum. 6. 13. *muti per nutus.* 16. 6.
Luciferi parabolam in Nabuchodonosore Origenes putat. 10. 3.
S. Ludouici humilis vestitus miraculo approbatus. 7 14.
Luna quid possit in monstra 5. 6. *triplex quando apparuerit?* 1. 4.
S. Lupi gemma in calicē cadens. 1. 6. *patrocinium ad eum confugientiū.* 13. 15.
Lupina insania quid sit? 12. 13.
Lupus ex homine. 14. 4. *ex Lycaone.* 14. 9. *è magis quo modo?* 14. 12. *quis aut qualis homo vocetur?* 15. 3. *seqq.*
Lycaon in lupum? 14. 9. *vnde hac fabula orta?* 14. 18.
S. Lydvvina castitas morbis seruata. 11. 17.
Lysander leoni & vulpi cōparatus. 15. 7.
S. Macarius damoniacū curans. 13. 4. & 13. 12.
Machabæi monstra in cælo ostensa. 1. 4.
Machometis templum. 2. 13.

Macloüy piſcis. 1. 8. *gigas.* 4. 9.
Macula materna, ünde? 5. 8. *ouium Iacob. ibid.*
S. Magdalena cur à 7. diabolis inſeſſa? 13. 8.
Magi à magiſtro ſuo decepti. 14. 20.
Magorum ſtella, an monſtrum? 1. 4.
Magnitudo ingens gigantum. 4. 8. *in rebus laudabilis.* 4. 11. *qualium hominum fuerit?* 16. 4.
Maiorica diuina ünidicta locus. 7. 11.
Malis bene ünti Deum. 7. 1.
Mali reſurgent, & quo modo non immutentur? 17. 9.
Eques Rom. quàm parum? 4. 4.
Manus prodigioſa. 8. 4. *pedibus compenſata.* 16. 9.
Mare quando dulce? 1. 7.
B. Mariam Deiparã blaſphemans quo modo punitus? 13. 15. *quis putarit ſolam feminam in calo futuram?* 17. 11.
Maria ſoror Moyſis cur leproſa? 9. 1. *eius culpa & imitatores.* 9. 4.
Marij conſulatum que prodigia notarint? 1. 5. *robur & ünanitas.* 4. 20.
Mater impia cauſſa monſtrorum. 5. 7. *filia interitu punita.* 7. 13. *filio nomen patris imprimens.* 5. 11.
Materia quid in monſtris poſſit? 5. 6. *cauſſa monſtri.* 5. 7. *infantium in reſurrectione implenda.* 17. 9. *eadẽ ſucceſsiuè ſub pluribus formis, ad quem ſit in reſurrectione reditura?* 17. 9.
Mas Italia monſtrum. 2. 17. *occaſionatus quo modo ſit in femina?* 17. 13. *& 17. 13.*
Mauritio Imp. partus monſtroſus quid portenderit? 6. 14.
Muris forma diabolus apparens. 12. 2.
Maximiliani Imp. onocrotalus. 6. 11.
Maximini robur, nomina, mors. 4. 19. *& humiliatio. ibid.*
Melas oues nigras facit. 1. 7.
Meles rex ouem genuit. 1. 2.
Meliſſus parum ünictor magnus.

num. 16. 3.
Melle conditus Hippocentaurus. 2. 17.
Membra omnia insessorũ infestat diabolus. 13. 5. mutuo sibi succurrunt. 16. 8. seq. reddentur hominibus in resurrectione. 17. 7. quem tunc & sum sint habitura? 17. 14.
Menstrua effundere statuã salis. 7. 7.
Metallorum copia. 1. 11 prodigia. 6. 9. metamorphoses. 14. 2.
Metamorphosis regis Nabuchodonosoris. 10. 2. Veneficorum. 14. 12.
Mida formica cuius rei signum? 6. 12. metamorphosis in asinum. 14. 9. aures quid significent? 14. 18.
Miles & xorem quo modo correxerit. 11. 2. ex arbore qualis natus? 6. 10.
Milonis fortitudo, & interitus. 4. 18.
Milvus terrore quale monstrũ excluserit? 5. 8.
Miraculum fluminum & aliarum aquarum. 1. 7.
Molon quàm parvus? 16. 3.
Monialis in horto diabolum comedit. 13. 12.
Monstra ex variis naturalibus caussis. 5. 1. seqq. non sunt carpenda. 3. 3. sunt tamen murmurationis occasio. 3. 1. cùm sint à Deo. 3. 2. quid sint? & alibi non esse monstra. 5. 4. astris subiecta. 5. 6. mundum ornant. 4. 1. alio fine à Deo, alio à diabolo sunt. 12. 1. semper in diabolo elucent. 12. 2. per imaginationem fiunt. 5. 7. per laruatum patrem. 5. 10. impatientes faciunt parentes. 6. 1. sunt opera, & signa, & pœna Dei. ibid. partim humanæ formæ, partim plurium bestiarum. ibid. Cur Deus monstris futura significet? 6. 15. diabolica. 8. 8. seq. lepra. 9. 2. statua salis. 9. 6. pœna Dei. 9. 1. ex insessis facit diabolus. 13. 3. seqq. quid apud Athenienses passa? 12. 11. baptismo sanata. 11. 4. seqq. cur aqua-

æquanimiter toleranda? 17. 16. *æterna beatitudinis capacia.* 17. 1. *an monstra mansura?* 17. 2. *quo modo mutanda?* 17. 5. *in infernofutura.* 17. 3.

Montes inter se concurrentes. 1. 12.

Monoceros an detur? 2. 13. *eius descriptio. ibid.*

Monumentum cuius rei statua salis. 9. 10.

Morbis seruata castitas. 11. 17.

Morindi crudelitas quali monstro punita? 8. 9.

Mors per horologium indicata. 6. 9. *ea instante aliũ sanat Augustinus & alij.* 16. 15.

Mortui cur Hebræis gigantes dicti? 4. 9. *suscitari à damone non possunt.* 14. 17. *pygmæi spectaculi gratia asseruati.* 4. 4.

Motus terræ monstrosi. 1. 12. *in morte Christi. ibid.*

Mures aurum rodunt. 1. 14.

Moysis cornuta facies quid? 1. 5.

Muli mèdia animalia. 2. 17. *qui homines vocentur?* 15. 5. *num sint monstra?* 1. 18. *an mulæ naturaliter pariant? ib.*

Mulier leonem, alia vitulũ peperit. 1. 2.

Mundati cur dicantur leprosi? 9. 2.

Murmuratores contra monstra. 3. 1. *castigati.* 3 9. *seq. lepram meriti.* 9. 1. *seq. quàm graviter peccent?* 9. 4.

Muscæ quæ in igne viuant? 2. 1. *qui homines vocentur?* 15. 6.

Musicus bonus cæcus Ioann. Ferdin. 16. 12.

Mustelæ formam veneficæ induta. 14. 5.

Mutatio regis Nabuchodonosoris. 10. 4. *ea quanta?* 10. 9. *sexus.* 14 3.

Muti an in nauibus gignantur? 5. 3. *à diabolo facti.* 13. 3. *ne æternùm damnentur.* 11. 14. *loqui iubentur à S. Vincentio. ibid quo modo aurium defectũ suppleuerint.* 16. 6 *mutus vates.* 16. 16.

Mutuum auxilium membrorum. 16. 8. *seq.*

NAbuchodonosor quale somnium habuerit? 10. 1. quantum mutatus? 10. 2. non est parabola. 10. 3. quibus modis mutatus, vel non mutatus sit? 10. 4. seqq. plus quã naturali vi mutatus. 14. 15. an à diabolo possessus? 13. 9. an pœnitentiam veram egerit, & salvus sit? 11. 1.

Nauũ Pollionis amplitudo. 4. 8.

Nasus pro tubo optico cacis. 16. 14. longissimus cui visus sit? 10. 5. potiùs amissus, quã virginitas. 11. 12.

Natiuitatis Christi nocte an loquantur bestiæ? 1. 20. dies non impunè violatus. 8. 5. seq.

Natura suum cursum Deus relinquit. 5. 3. duplicis animalia an dentur? 2. 19.

Nauẽ detinet bufonis specie saga. 14. 7.

Nazaræatus Samsonis. 4. 12.

Nero cur se colosseum pingi iusserit? 4. 11. belluarum exuuijs tectus. 14. 12. pro Simone mago arietem capite plectit. 14. 17.

Nicasius de VVerda cæcus, Professor factus. 16. 12.

Nigras pecudes qua aqua faciat? 1. 7.

Nilotica duo mira monstra. 1. 8.

Noctambuli qui? & cur? 5. 12.

Nomen patris filius natus post aurem habens. 5. 11.

Nubes sagas vehens. 14. 7.

Nuptiarum nefandarũ effectus. 2. 17.

OBsessorũ à diabolo deformitas & destructio. 13. 5.

Occidens seipsum Samson, an peccârit? 14. 12.

Oculus vnus est Arimaspis. 1. 2. alijs in humero, alijs in genu. ibid. ingens Orcæ marinæ 4. 21. amissus ob curiositatem, 7. 6 & ob castitatem. ibid. ager exprobratus. 8. 1. curiosus quàm pernicioſus? 9. 10. erutus ne alios scandalizaret. 11. 13. vterq; potiùs amissus, quàm castitas a Brigida. 11. 11. mirè compensatus 16. 10. seqq. per nasum videns.

dem. 16. 14.
Odij erga homines quas cauſſas habeat diabolus? 13. 7.
Oliua per artem reuirescens. 17. 6.
Onocentauri an & quid ſint? 2. 16. ſeqq.
Onocrotalus Cæſarem ſecutus pro bono omine. 6. 11.
Oppugnator Vrbis Valde generoſus. 16. 3.
Opus authori ſuo non dat legem. 3. 3.
Oratio monſtris Stygijs interturbata. 2. 3.
Orca marina oculus quantus? 4. 21.
Oreſtis cadauer quantum? 4. 8.
Origenis de metãorphoſi Nabuchodõoſoris opinio. 10. 3.
Orionis cadauer quantum? 4. 8.
Ornatus mundi ſunt monſtra. 4. 1. mulieribus quã noxius? 11. 10. quam intolerabilis? 15. 8.
Oſſibus gigantum Villa ornata. 5. 1.
Quorum Vitellus geminatus monſtri cauſſa. 5. 7. quæ grues ponunt, cur frangant Pygmæi? 4. 7.
Oues à fontibus Variæ. 1. 7. à Virgis. 5. 8. leonem pepererunt. 6. 13.
Oziæ cur lepra percuſſus? 9. 1.

Pacis contemtor Folcardus punitus. 13. 10.
Pœna Dei diabolus inſidens. 13. 8. ſeqq. & 7. 5.
Pœnitentiã prædicant monſtra. 6. 4. ſeq. commendat forma Vultus reſtituta. 7. 7. ſeq. an egerit Nabuchodonoſor? 11. 1.
Pallantis cadauer quando & quale repertum? 4. 9.
Palma & Phœnix an idem. 2. 5.
Papilionum origo. 14. 2.
Parentum iniuſta de monſtris querela. 6. 1. à filio calamitas. 7. 5. imprecationes quàm perniciosa? 7. 9. & 13. 13.
Partus infelix. 7. 9. & 7. 15.
Paruis magna gratia ineſt. 4. 4 magna laus. 4. 6. item magnanimitas. 16. 3. magna Vtilitas. 4. 5.

magna excusatio 3. 4. & 3. 5.
Paruuli non ridendi. 16. 4.
Patientia in monstrosis defectibus cur habenda? 17. 16.
Patria nulli exprobranda. 3. 9.
S. Paulus statura qualis? 3. 7. *Vnde dictus?* 16. 3.
Pauo albus quo modo nascatur? 5. 13.
Peccata remedium habent apud sacerdotes 9. 5. *regis Nabuchodonosoris qua?* 10. 11. *septẽ capitalia quo modo connexa?* 13. 8. *sunt monstrorum maxima monstra* 8 9 *seq. ducunt ad insaniam.* 12. 11.
Pedis Herculani mensura 4. 8. *indicio diabolus proditus.* 12. 9. *compensatio.* 16 8. *agilitas.* 16. 9.
Peletronius cur centaurus putatus? 2. 16.
Pellex leonem peperit. 1. 2.
Penij aqua nigras oues facit. 1. 7.
Perfectus homo sitne femina? 17. 13.
Periurium in filio punitum. 16. 6.
Perses clypeus quid? 14. 14.
Persina ex aspectu albam prolem gignit. 5. 8.
S. Petrus Gallam ad calum vocat. 11. 16. *natalem suum violatum vindicat.* 13. 14.
Petrus Pontius quomodo docuerit mutos loqui? 16. 6.
Peuceri error de metamorphosi hominum. 14. 9.
Pfylensis regio quàm mira? 1. 6.
Phantasia potentia. 12. 13. *corrupta mira exempla.* 10. 5. *seq.*
Phantasmata quibus apparuerint, vel non? 10. 4.
Pharaonis induratio cum Nabuchodonosore comparata. 11. 1.
Phileta pondus à plumbo 16. 3.
Philippo Graciam inuadente calum sanguineum. 1. 5.
Phœnix quid? à quibus asseratur? 2. 2. *eius atas, & orbs.* 2. 3. *seq. qualis concedi possit?* 2. 5.
Phtaimi qui appellati? 5. 1.
Pica sagam vestiens & prodens. 14. 4.

Picenus lacus mirabilis. 1. 7.
Pictura & fucus in homine quàm turpis? 15. 9.
Pilei Iesuitici forma natus puer. 7. 3.
Pilis fulgor & ignis insidens. 1. 5.
Pipinus unde pusillus dictus? 4. 5.
Pisces è foliis arborum nati? 14. 2. fossiles. 2. 9. è carne facti. 14. 2. monstrosè picti, & classem referentes. 1. 9.
Piscis caput, in homines versum. 7. 12.
Plagarũ cæli diuersitas. 5 1.
Plantarum miranda metamorphoses. 14. 2. & 1. 15.
Planta hominis lunata. 1. 19.
Plantationi similis homo. 6. 10.
Platanus in oleam mutata. 1. 15.
Platonis apes. 6. 12.
Pluuia lactis, sanguinis, carnis, ferri, lapidũ. 1. 6.
Polycritis forma diabolus maritus. 6. 2.
Polydamantis robur. 4. 21.
Porcus visus Teridatem baptismo curatum. 11. 4.
Portarũ custodes gigantes. 4. 9.
Potentia Dei contra potentes. 4. 16. in homines. 16. 1.
Potestas ejiciendi dæmones. 13. 2. dæmonum à Deo concessa, vel laxata. 13. 6. in mutandis corporibus. 14. 11. & vertendis hominum figuris. 14. 19.
Prædicator mirabilis cum bufone in vultu. 7. 5.
Prægnantibus qua cautela vtendum? 5. 13.
Priscillianista dæmonibus quid tribuant? 14. 11.
Professor cæcus Nicæa. 16. 22
Proles monstrosa parentum dolor. 3. 1.
Protectio diuina erga Nabuchodonosor. 10. 9.
Puer Theodorus à dracone territus & conuersus. 12. 6.
Pugna glacie tectorum. 5. 5.
Pygmæorum & gruum. 4. 7.
Pulchra proles nata ex matre Angelum pictum sæpe aspiciente. 5. 8.
Puluis an omnes homines fiant? 17. 7.

Pumilus gratiosus. 4. 3. *in cauea psittaci, & quàm paruus? ib. per iocũ occidere iussus gigantẽ.* 4. 3.
Pusilli laudabiles. 3. 4. & 3. 7. *quàm felices?* 4. 5. *magnanimi.* 16. 3. *vbi nascantur?* 5. 2. *ob paruitatẽ vita donantur.* 4. 4.
Pygmaorum pulchra deformitas. 4. 2. *perdici par, & in aulis grata. ib. vbi nascantur?* 5. 2. *an tota sit natio?* 4. 7. *an in altera vita futuri?* 17. 6. *quid ijs futurum in resurrectione?* 17. 9.
Pyramides cur in Aegypto? 4. 11.
Pyrausta quid sit? 2. 1.
Pythagoras quo modo simul in duobus locis esse quiuerit? 14. 14.
Pythonissa an Samuelem verè resuscitarit? 14. 17.

Quadrigas retinere quiuit Polydamas 4. 21.
Quinquennis puer Stygios Mauros videns. 12. 2.
Quintus Asconius cacus, quã doctus? 16. 12.

Rachel pulchra, sed sterilis. 16. 5.
Radiare capita vnde, & quorum visa? 1. 5.
Ranas se peperisse putans. 10. 5.
Rationi sensum cedere debere. 14. 10. *qua sint encomia?* 15. 2. & 15. 6.
Regere ineptos cur Deus sinat? 9. 4.
Regis stupẽda mutatio. 10. 2.
Resp. interitus monstroso monstratus. 6. 1.
Religiosorum campana ad quid? 6. 9.
Reliquiæ Castrioti à Turcis cur cultæ? 4. 14.
S. Rembertus sacramento confirmationis cæcum & Sueciam illuminat. 11. 8.
Respicere retro quàm absurdum? 7. 14. *quàm noxiũ?* 9. 10.
Respiratione an egeant pisces? 2. 12.
Resurrectio arboribus significata. 6. 10. *omnia in iustis reparabit.* 17. 10. *feminarũ futura.* 17. 12. *seq.*
Retro vbi fluxerint fontes? 1. 7.

Rhabar-

Rhabarbarum humanã manum referens. 1. 15.
Rhinoceros, & Moneceros an idem? 2. 13.
Rhodiorum coloſſus. 4. 11.
Rhodope impudica & formoſa. 16. 5.
Rinardus ab Edgardo victus. 4. 6.
Robur Samſonis. 4. 12. *Cleomedis.* 4. 13. *Tritani & Caſtrioti.* 4. 14. *Aureliani.* 4. 15. *Milonis & Titorni.* 4. 18. *Maximini.* 4. 19. *Marÿ.* 4. 20. *Polydamantis* 4. 21.
Rubus incombuſtꝰ Moyſis. 1. 5.
Rufas pecudes qua aqua faciat? 1. 7.
Rupes vno digito mobilis. 1. 11. *canes in ſe conditos parit.* 1. 16.

Sabini militis heroicum factum. 16. 3.
Sacci monſtris pleni. 7. 2.
Sacerdotes lepra curatores. 9. 5.
Sacrilegiũ lepra punitũ. 9. 1.
Sadducæi ſpiritum negantes refutati. 13. 7.
Sagæ deſcriptio. 14. 4.
Sagittarÿ mirabiles. 16. 8.
Salamandra an ignem extinguat? 2. 1.
Salis ſtatua, an veri ſalis? 9. 6. *quàm multa prodigia in ea?* 9. 7.
Salomonis in ſenectute ſeductio. 11. 11.
Saltitans infans. 5. 10.
Saltatio in puella punita. 7. 13. *in alÿs caſtigata.* 8. 5. & 8. 6. *ſeq.*
Samſon cur cæcatus? 7. 6. *an Hercules fuerit.* 4. 12. *an gigas? ib. ſolem lætitiæ ſignificat. ib.*
Samuel an à Pythoniſſa verè reſuſcitatus? 14. 17.
Sancti capite radioſo fulgentes. 1. 5. *reſciunt arcana Dei conſilia.* 6. 15. *dæmones pepulerunt.* 13. 4. *ſæpe alÿs dant, quod ipſi non habent.* 16. 15. *in reſurrectione nihil monſtroſũ habebunt.* 17. 3. *ſeq.* & *cum (pulchris tamen) cicatricibus pro Chriſto acceptis in cælo erunt,* 17. 2. *eorũ corpora nequit aſſumere diabolus.* 12. 10.
Sanguineum cælum belli præſagium. 1. 5.

Sanguis in pluuia. 1.6. *in spicis.* 6.10. *è cadauere quid signarit?* 6.14.
Sanitatē alijs impetrāt sancti qua ipsi carent. 16.15.
Satana aliquē tradere quid sit? 13.14.
Satyri an, & quid sint? 2.16.
Saul procerus in regem electus 4.10. *an diabolo insessus?* 13.9.
Sauromata deformes, nō impunè despecti. 3.8.
Saxum de cælo cadens. 1,6.
Scintilla è stellis cadere visa. 3.5.
Sciopodes qui sint? 16.8.
Scipio male obijciens stupiditatem? 3.9.
Scorpius è cancro quo modo nascatur? 14.2. *cui similis sit.* 14.4. *seq.*
Scriba mirabilis. 16.9.
Scylla fabula. 2.6.
Secundarij Dei Platoni qui? 14.11.
Secundilla ob paruam staturam seruata. 4.4.
Sedecias rex cæcatus. 7.6.
Semen non ad individuum, sed ad speciem seruandā pertinet. 17.9.
Semenda fabula. 2.4.
Senectus Salomonis mala. 11.1.
Senes cur gibbosi? 8.1. *an cum senio resurrecturi?* 17.15.
Sensum destruit diabolus insidens. 13.5.
debere cedere rationi. 14.10.
Septem diaboli Magdalenæ quid significent? 13.8.
Sepulchrum Castrioti cur Turcis venerabile? 4.14.
Serpentem peperit ancilla. 1.19. *adhibet diabolus volens apparere.* 12.3. *seq. è virga producit Moyses & magi.* 14.16.
Seruij Tullij caput radians. 1.5.
Sexuum mutationes. 14.3. & 14.16.
Sicilia donum sponsæ. 15.8.
Siderum influxus quid possit? 5.1. *seq.* & 5.5.
Sigillum Sphingis cur adhibuerit Augustus? 2.15.
Signa iudicij & aliarū cladium à Deo, & cur? 5.4. & *cur in monstris?* 6.15.
Silarus fluuius lapidescere faciens. 1.7.

Silua natans. 1. 11.
Simia an idē, quod Sphinx? 2. 15.
Simon magus fictè mortuos excitat. 14. 17.
Simonia lepram merita. 9. 1.
Simulatio Sagarum. 14. 13.
Sirenum fabula. 2. 7. *Veritas.* 2. 8. *an monstra?* 2. 14.
Sisyphus pumilio, quàm paruus? 4. 4.
Spectrum Niloticũ. 1. 8. *Cassium monens de morte futura.* 12. 2.
Spes vbi non est, non est homo. 15. 4.
Spica cruenta. 6. 10.
Sphinges an, & quid sint? 2. 15.
Socij Vlyssis cur in sues versi? 14. 18.
Sodomita cæcitate percussi. 7. 6. *fulminati alij.* 4. 17.
Sol an lapis, vel lapideus? 1. 6. *obscuratus in morte Christi.* 1. 4. *multiplicatus. ibid.*
Solimanni crudelitas erga militem. 4. 3.
Solitudinem amant amentes. 10. 8.
Somniantes qui, & cur ambulent? 5. 12. *de monstrorum significatione.* 7 2. *de Nabuchodonosore.* 10. 1. & 10. 10.
Sophista vulpibus comparati. 15. 7.
Statua salis quàm diu, & quomodo durare potuerit? 9. 6. *seq.*
Statura hominis qua futura sit in resurrectione? 17. 6.
Stellas nouas posse monstra dici. 1. 4. *& quænam tales fuerint?* 6. 4.
Struma cur permittantur? 5. 3. *& quibus formosa?* 5. 4.
Stultum imitans verè stultus factus. 10. 5.
Stumphius in lupum quo modo versus? 14. 12.
Stupiditas malè obiecta. 3. 9.
Stylita quanta pœnitentia proleui culpa? 9. 4.
Subordinata esse quædam animalia. 14. 15.

Successio

Successio animaliũ ex animalib. 14. 2.
Sues ex socijs Vlyssis. 14. 9. *ex Voluptarijs.* 15. 10.
Superbia detecti. 4. 16. *seqq. crinium punita.* 7. 3. *regis Nabuchodonosoris.* 10. 11. *Vestium muliebrium.* 15. 8.
Surdi à diabolo facti. 13. 3. *quomodo auditum amissum suppleuerint?* 16. 6.
Surius fluuius ligna lapidescere facit. 1. 7.
Suspiciones falsæ ex filiorum dissimilitudine. 5. 8.
Symmachi caput Theodorico terribile. 7. 12.
Syrmata superbarum feminarum. 15. 7.

TAuro indutus Iupiter. 10. 1. *diabolus* 12. 4. *qui similes?* 15. 5. *apes nascuntur ex putrefacto.* 14. 2.
Tẽplis Sphinges appositæ. cur? 2. 15. *eorum Violatores puniti.* 13. 10. & 13. 14.
Tempus aliud alios homines profert. 5. 1.
Tenebræ meditationi idoneæ. 16. 1.
Tentationes Variæ S. Antonij, Gregorij. 12. 3.
Terra mira. 1. 11. *motus ib. & seqq. diuersa diuersi colores hominum.* 5. 1. *compensationes.* 16. 2.
Tiresias in feminam mutatus. 14. 3. *cæcus Vates,* 16. 11.
Teritates & socij in porcos 11. 4.
Theon in somno ambulans. 5. 12.
Thessali cur centauri putati? 2. 16. *à Veneficijs infames.* 14. 5.
S. Thomæ Cantuar. irrisores deformati. 8. 3.
Thomas Monachus à diabolo basulatus. 12. 9.
Tobias cur cæcus? 7. 6.
Tradere aliquẽ Satanæ quid sit? 13. 14.
Transformatio physica hominis in bestiam, quorũ error? 15. 1.
Tremunt ingressu terræ 1. 11.
S. Triphon dæmonem expellens. 13. 4.
Tritani Vires. 4. 14.
Tritorni robur. 4. 18.
Tubarum clangor prodigiosus. 1. 14.

Tumulus

Tumulus & tumulatus idē. 9. 7.
Turni robur. 4. 13.
Tyranno Dionysio pulso mare dulce. 1. 7 *similis diabolus.* 13. 6.
Tyridates conuersus ob vim baptismi. 11. 4.

Valentiniani deformes despicientis pœna. 3. 8.
Vanitas & robur C. Marij. 4. 20.
Varietas regionum variat effectus. 5. 3.
Vasa in melius restaurata. 17. 9.
Vates mutus. 16. 16. *& cæcus.* 16. 11.
Venatio intempestiua punita. 7. 16.
Venator cæcus. 16. 13.
Veneficæ specie mustelæ. 14. 5. *cati,* 14. 6. *bufonis.* 14 7. *subiectæ diabolo.* 13. 10. *quo modo mutentur?* 14. 12
Veneficio insana virgo. 13. 11.
Venenatis vesci qui soleant? 10. 9.
Ventus ferrum exedens. 5. 2. *saxum subuehens.* 1. 6.
Vesta & Vestales cur igni præsint? 2. 11.
Vestium mirabilis accensio. 1. 7. *luxus monstro punitus.* 8. 2. *excessus.* 15. 8.
Vexari à diabolo quid sit? 13. 3. *& qui soleant? ib.*
Victor insignis Galeottus. 4. 10. *magnorū parvus.* 4. 6.
Vidua Galla à S. Petro in cælum vocata. 11. 16.
S. Vincentius mutam loqui facit. 11. 14
Vindicta diabolum hospitem nacta. 13. 13.
Vinum an fundant fontes in nocte Natiuitatis Christi? 1. 20.
Vipera quis similis? 15. 4. *seq.*
Virga varia Iacob. 5. 8. *in serpentes mutata.* 14. 16. *vbi lapidescant.* 1. 7.
Virginitatis amantes quanta passi. 11. 9. *& 11.* 10. *seqq.*
Virgo vrsa visa ne violaretur. 11. 18. *à diabolo infesta vt iuuenem amaret.* 13. 11. *in virum mutata.* 14. 3.
Virorum in feminas mutatio. 14. 3.
Visa & inuisibilia corpora assumunt

assumunt spiritus. 12. 8.
Visiones quo modo contingant? 12. 7. sæpe non prosunt ipsi videnti, sed alijs. 12. 12.
Vita breuis pygmæorum. 4. 7.
Vitellus ouj geminatus monstri caussa. 5. 7.
Vitreum se putans esse homo delirus. 18. 5.
Vitriarius à mago lepidè deceptus. 14. 8.
Vitulus ex muliere natus. 12.
Vlyssis socij in sues. 14. 9.
Vmbra Athenodoro apparens. 12. 2. pedis totũ corpus protegens. 16 8.
Vngues magni ad regnũ promouent. 4. 10. mutantur. 10. 9. resurgentibus an relinquendi? 17. 8.
Vniones Cleopatræ quã pretiosi? 15. 8.
Vnipedes quales? 16. 8.
Vocatio promota per caluitiem 7. 3.
Voluptas videre gigantes. 4. 8.
Vomitus mirabilis carbonum 13. 4.
Voracitas gigantis. 4. 8. obsessi. 13. 5.
Vox de cælo monens Mancinum. 6. 3. & 6. 6. seq. prodigiosa. 1. 17. monstrosa regis Nabuchodonosoris. 10. 9. diabolorũ in hominibus 13. 5. animalium à dæmonibus fictâ. 14. 17.
Vrsi aspectus vrsinam caussat prolem. 5. 8. formâ Virgo seruata. 11. 18. exuuijs anus tecta. 14. 8. mores qui homines habeant? 15. 4. seq.
Vterinus rex in Gorloidis speciem mutatus. 14. 6.
Vulnera in bestia forma hominibus illata. 14. 6. quanta facta à Castriote? 4. 14. à Christo post resurrectionem seruata. 17. 3.
Vulpicanes quid? 2. 17.
Vulpes ex equa. 6. 1. ex mago in eius forma rapto. 14. 20. quibus hominibus similes? 15. 3. & n. 5. 7. 10.
Vultus adulterio deformatus. 7. 7. seq. horribili formâ. 7. 9. sanatus pœnitentia. 11. 2. trux obsessorum. 13. 5.

Vxor parua Archidamo obiecta. Quã ob causſam. 3. 4 *pregnans à marito malè tractata qualẽ partum ediderit?* 8. 8. *Lot in ſtatuam.* 9. 6. *quàm prodigioſam?* 9. 7. *an mortaliter peccarit?* 9. 9. *non naturaliter verſa in ſtatuam.* 14. 15.

VValchſtod ab agroto Cuthberto ſanatus, 16. 15.

VVandalorum rex templum ſpoliatorum punit. 13. 10.

VVeſterburgenſiũ comitum praſagium. 6. 9.

S. VVilgefortis obcaſtitatem ſeruandam, barbã à Deo impetrat. 11. 15.

Xanthus rufas oues faciens, 1. 7.

Xerxis vulpes ex equa. 6. 1. *platanus in oleam.* 6. 10.

Zacharias S. Io. Bapt. parens cur mutus factus? 7. 10.

Zachaus puſillus. 4. 11.

Zodiaci ſigna, eſſe duodecim labores Herculis. 4. 12.

Zonâ indutâ in lupum conuerſi. 14. 12.

FINIS.

De Monstris
Stengelii

641
Th
2975

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN